



UNIVERSITÀ DI PADOVA
FILOSOFIA DEL DIRITTO
DIRITTO COMPARATO

HISTORIA SAPIENTIÆ ET STULTITIÆ,


collecta à

CHRISTIANO THOMASIO,
JCto.

TOMUS I.

continens
JANUARIUM, FEBRUARIUM ET MARTIUM.
ANNI 1693.

Contenta ostendet pagina seqvens.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis & Sumptibus CHRISTOPHORI SALFELDII, Regiminis Electoralis Brandenb. Typogr.

Contenta Tomi I.

Cap. I. Clavis in Epistolas Philippi Melanchthonis. pag. 1.
Cap. II. De libro, cui titulus: Somnium Lutheri. p. 23.
Cap. III. Piccardi, Humiliati. p. 40.
Cap. IV. Waldenses seu Albigenses, an Manichæi? p. 44.
Cap. V. Manetis dogma, de loco animarum post mortem, & Scapha lunæ. p. 56.
Cap. VI. Petri Abelardi vita. p. 75.
Cap. VII. Berengarius Hæreticus, distinctus à Berengario, discipulo Abelardi, contra Gersonem. p. 113.
Cap. VIII. De Libello, cui titulus: Isaaci Casauboni corona Regia. p. 117.
Ipse hic Libellus. p. 125.

PRAEFATIO COLLECTORIS.

QVænam ſit intentio mea in publicatione hiſtoriæ hujus, fuſius diſſerui in Programmate Germanico, ſuperiori anno publice propoſito, qvod iterum Tomo I. Germanico hujus hiſtoriæ præmiſi. Ex qvo etiam apparebit, cur Titulum harum Obſervationum fecerim Hiſtoriæ Sapientiæ & Stultitiæ. Cũ enim primarius meus ſcopus ſit, obſervationes ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam &

& Philoſophicā pertinentes colligendi, & verò in his ſubinde hiſtoriam propoſiturus ſim errorum communium, ſub larva ſapientiæ orbi univerſo imponentium, ac veræ itidem Sapientiæ ab hominibus per præjudicia intellectus & affectuum ſeductis, pro Stultitia habitæ, facilè perſpicere poterit lector, qvā explicationem titulo illi dare poſſit. Uti verò Tomus hic I. ſpecimen ſaltem aliqvod intentionis meæ exhibet; ita operam dabo,

ut in Tomis seqventib9 eadem distinctius cognosci qveat. Et qvamvis in MSStis B. Patris plurimæ adhuc restent observationes, Historiam & Ecclesiasticam & Philosophicam concernentes, ne tamen lectores tædium capiant, si unius saltem Autoris meditationes continuâ serie deprehendant, in id incumbam, ut in seqventibus Tomis non solum aliorum observationes plures meditationibus Paternis immisceam, sed & ipse subinde

de

de meo qvasdam adjiciam, ſi modò labores ordinarii occupationum mearum id mihi permittent. Qvapropter & invitationem meam, qvam ad omnes & ſingulos veræ ſapientiæ cultores & fautores in dicto Programmate direxi, hic repeto, velint & ipſi haud gravatim, ſi ejusmodi obſervationes rariores ad utramqve hiſtoriam, ut & ad varias inventiones novarum veritatum cujuscunqve diſciplinæ, & detectionem errorum communium

nium pertinentes poſide-
ant, eaſdem mihi commu-
nicare, & non ſolum, qvod
fideliter illas relaturus ſim,
certiores eſſe, ſed & omnẽ
gratitudinem & inſervien-
di promptitudinem à me i-
terum expectare.



HISTORIA SAPIENTIÆ ET STULTITIÆ.

ANNUS 1693. JANUARIUS.

CAPUT I.

Clavis in Epistolas Philippi Melanchtonis.

(Autore JACOBO THOMASIO.)

(* *Tom. I. Germanicum Historiæ nostræ à Luthero auspicati sumus. Hujus Latini primum caput faciat observatio Philippum Melanthonem respiciens. Hoc ipso mense eruditam dissertationem de Usu Epistolarum Clar. & Illustrium Virorum, potissimum in Histo-*

*riâ Eccleſiaſticâ) Lipſiæ edidit affinis noſter honoratisſimus Adamus Rechenbergius, qvi cum in fine qvædam de utilitate clavis in Epiſtolas qvorundam Virorum Illuſtrium monuiſſet, ſubjungit, B. Patrem in præfatione, qvam Boxhornii Epiſtolis ſuâ operâ recuſis præmiſit, fateri, ſe in Lipſii, Scaligeri, Baudii, & aliorum Epiſtolas talem dare potuiſſe, ipſe vero expoſitionem qvorundum nominum obſcurorum & fictorum, qvi in Epiſtolis Melanthonis occurrunt, ſubjungit. Inqviſivi in Locis Communibus & reliqvis MSS. B. Patris, ſed nihil reperiri potui, qvod clavem in Epiſtolas Lipſii, Scaligeri, Baudii ſuppeditaret. Sed qvoad Epiſtolas Melanthonis, hanc qvæ ſeqvitur, ipſius opera collectam excipe Lector Benevole. *)*


Lenæ ſunt Epiſtolæ Philippi Melanthonis, qvas qvidem ad familiares ſibi Amicos ſcripſit, nominibus obſcuris atqve æn gmaticis. Qvæ qvidem amici ejus facile tum intellexerunt, non perinde qvi eadem legunt hodie, niſi qvædam veluti clavis accedat. Libet

hic

hic eorum, qvæ ſe mihi tumultuariâ le-ctione ſubinde per has Epiſtolas vaganti obtulerunt, Catalogum Alphabeticum conſignare,, plerisqve etiam interpretationem ſive â me, ſive ab aliis etiam ante me inventam, addere. Ubi tamen hoc moneo, fieri poſſe, ut in qvibusdam conjectura aberraverit noſtra: ſpero tamen nec pauca nos vere expoſuiſſe. Sed anteqvam hoc fiat, præmittenda ſunt ſigna, qvibus ipſa Epiſtolarum Volumina, (ſunt enim multa) horumqve editiones, denotare cogito.

I.) Epiſtolæ ſelectiores Philippi Melanchthonis, editæ â Caſp. Peucero Witeberg. A. 1565. (eſt hic Epiſtolarum Tomus I.)

II.) Alter libellus Epiſtolarum Philippi Melanchthonis, editus Witebergæ (ab eodem Peucero) Anno 1570.

III.) Ad Epiſtolarum Philippi Melanchthonis librum primum & ſecundum libellus tertius, ſtudio Chriſtophori Pezelii Bremæ A. 1590.

IV.) Epiſtolarum Philippi Melanchthonis liber qvartus, ſtudio Joannis Sauberti. Norib. A. 1640.

App. IV.) Appendix libri IV. ab eodem Sauberto Norib. A. 1645.

V.) Liber qvintus Epiſtolarum Philippi Melanchthonis, accurante eodem Sauberto. Norib. 1646.

VI.) Philippi Melanchthonis Epiſtolarum liber. Lugd. Batav. A. 1647. (hic in præfat. ad Lectorem vocatur pars ſexta.)

Cam.) Liber continens Epiſtolas Philippi Melanchthonis ad Joachim. Camerarium (edente ipſo Camerario.) Lipſ. A. 1569.

Etiam duo præmoneo. Unum, interdum â Philippo idem nomen duobus impoſitum, ut nomen Periclis Luthero & Oſiandro: alterum, eidem homini plura qvoqve interdum facta ab eo fuiſſe nomina, ut Oſiandro, qvem alibi Periclem vocat, alibi Gorgiam, alibi Hyperboreum Oratorem, aut ſimiliter. Nunc ipſum Catalogum exhibeo.

A.

A. B. Cam. p. 6. 17. 20. 21.

Caroloſtadius. Vide plura in Alphabetum.

Achates. Cam. p. 986. *Nunc apud Fabricium expecto adventum Sleinicii, qvem jusſit Achates acerſi inſpecturum Scholam.*

Apparet, Principum aliqvem deſignari.

Ἀχιλλέως Γερμανικοῦ ἀπόγονος. II. pag. 523. Cam. p. 690.

Albertus Marchio Brandenburgenſis, inter cujus majores videlicet fuit Albertus alius Brandeburgenſis Marchio & Elector, Friderici I. filius, qvem à Pio II. Pontifice Achillem Germanicum cognominatum fuiſſe, memorat Dreſſerus Part. IV. Iſagog. Hiſtor. p. 489. Plura mox dicentur in Æacides, & Alcibiades.

Æacides, Αἰακίδης. II. p. 372. Cam. p. 671. 701. 714.

Idem Albertus, ut vel ex ultimo ad Camerarium loco patet, ubi ſic Philippus p. 714. *adjunxi hiſtoriam de morte Æacidæ, qvam profecto non ſine lachrymis legi, cogitans de communi hominum infirmitate.* Scripſit hanc Epiſtolam Philippus die æqvinoctii verni An. 1557. cujus anni initio Albertum hunc obiiſſe, conſtat è Calendario Eberi pag. 40. & Bucholc. Chronol. p. 588. unde corrigen-

dus Dresserus, qvi parte IV. Isag. pag. 505. annum 1558. memorat. Conf. Budæus. θανατολ. pag. 89. Nominat autem Albertum hunc Philippus Æaciden, h. e. Achillem, qvia Germanico Achilli, h. e. Alberto (vid. Carol. Steph. Dict. Histor. p. 72.) qvem paulo ante memorabamus, cognominis fuit.

Ἀγκῶν ἐπώνυμος. Cam. p. 668. Medicus, qvem nosti ἀγκῶν ἐπώνυμος.

Vix dubium, qvin Medicus qvidam designetur, cui vel Latinum nomen Cubitus, aut Cubito, vel Germanicum Elbogen. Doctor Cubito qvidam memoratur in scriptis Joh. Meusingii, sed eum conjicio fuisse inter Concionatores Cathedralis templi Magdeb.

Agricola. Camerar. p. 103.

Georgius Dux Saxoniæ. Rem intelliges è Sculteti Decad. II. Annal. p. 178.

Alcibiades Francicus. II. p. 368. *Alcibiades Francicus adhuc est in Trevirensi ditione. Audi ridiculam fabellam. Circumfertur in Belgico prædictio meo nomine, sed neqvaqvam à me scripta, ut phrasis ostendit. Misit mihi D. Albertus exemplum, & me objurgat, qvod non facio victores Gallos & socios ejus. Risi ineptias. Respondebo ei, me non compo-*

suisse

fuisse illud vaticinium, sed habere me certiores significationes ὄνειρόν εἶναι, qvam astrologicas. Vidi à Maximiliano duriter pulsari illum Alcibiadem Sigillo. Eventus ostendet, qvomodo hæc congruant, an Maximilianus significet Imperatorem, an vero locum pugnæ. Nam ad urbem Trevirorum est monasterium locuples Maximiliani. Paulo post in aliâ Epistola p. 372. *Ad mœnia urbis Metensis ajunt τὸν Ἀλκιβιάδην infeliciter pugnasse, & vulneratum esse. Hæc cum meo somnio congruunt.*

Idē ergo Alcibiades, qvi Ἀλκιβιάδης. Ἀλκιβιάδην autem diximus esse Albertum Marchionem. Atqve hunc etiam Alcibiadem Germaniæ dictum fuisse, testatur Budæus in θανατολ. pag. 88. Mich. Bojemus lib. II. de somniis p. 168. 169. ubi utrumqve Philippi locum considerat, addit, hunc Alcibiadem infeliciter pugnasse ad urbem Trevirorum, ubi monasterium locuples Maximiliani. Mox pergit.: *Etsi autem Principis nomen dissimuletur, si qvis tamen Philippi legat Epistolas ad Camerarium, qvis ille fuerit, non est obscurum. Et ostendunt id literæ initiales convenientes cum initio nominis Principis.* (Eædem initiales literæ in Alberto & Alcibiade. Puto tamen, qvi hoc nomen Alberto indiderunt, potius

ad mores Alcibiadis respexisse.) *Qvod autem Æacidem vocat, notum est, Achillem etiam fuisse Germanicum, ejusdem cujus Princeps hic, familiæ. Et omnino temporum ratio congruit.* Marggraff Albrecht von etlichen der deutsche Alcibiades wegen seiner Kühnheit genennet worden. Menz. Stambuch. p. 41.

ὁ Ἀλεκτρύων.

Nicolaus Gallus. Vide Pezelium parte ultima argumentorum è scriptis Philippi. p. 197. ubi Epistolam ejus qvandam ad Calvinum profert.

Alphabetum. Camerar. p. 2. 16. 20.

Carolostadius, teste Bucholc. Chronol. ad annum 1522. p. 490. Melch. Adami in Vit. Theol. Germ. p. 80. nimirum ab initialibus literis A. B. C. D. Andreas Bodenstein Carolostadius Doctor.

ὁ Ἀλωπεκῆθεν. Camerar. p. 102. item 41.

Ambrosius. Camerar. p. 449. addo illi cognomen Schurerius.

Amphictyones. IV. p. 88.

Proceres Imperii Germanici, in Comitiis congregati.

Aretius Felinus. IV. pag. 110. vid. & in Felinus.

Martinus Bucerus, qvi sub nomine Aretii Felini edidit annotationes in Psalmos,

mos, teste Melch. Adam. in Vit. Theol. ex p. 31. & Reinef. I. Var. 18. p. 71. ex allusione, ut opinor, ad utrumqve nomen suum, Mars enim, unde Martinus, Græce & ἄρης: & Felem Germani vocamus eine Buscfatze/ cui affini nomen Buceri.

Ἀρκεσίλας. Camerar. p. 103. 115. 221.

Lutherus ex interpretatione Sculteti Dec. II. Annal. p. 178. Vid. & Kittelm. von Calvin. Lehr. p. 54.

ὁ Ἀρκτόχειρ. Camerar. p. 674.

Georgius Princeps Anhaltinus, ut opinor, ab ursi pede anteriori, qvi est in Anhaltinis insignibus.

Ascanius. Cam. p. 690. Add. II. 172.

Idem, uti reor, Princeps Anhaltinus. Sunt enim Anhaltini Comites Ascaniæ.

Αὐτοκράτωρ. IV. p. 88. & Append. p. 39.

Romanus Imperator.

B.

Βελγικὸς contator. Cam. p. 351.

Βλάκι☉ II. p. 374.

Matthias Flacius Illyricus.

C.

Chalcis Smalcaldia vid. Dresser. de urbibus pag. 542. Phil. Melanchth. V. Epist. p. 40.

Charitinus. item Dux Charitinorum, Cam. p. 697. 698. 714. 728. 734. Camerar. vit. Melanchth. p. 12. *qvam* (Würtenbergensem regionem) *Charitinorum vetere nomine fuisse, conjectura est.*

An Dux VVürtenbergensis? An hoc eodem sensu & Charitinus in Epistolis Lingelsheimii ad Bongarsium? p. 197. & χαριτῖν☉ orator in Epist. Theol. Witeb. ad Selnecc. add. thematib. Selnecc. de un. hypostat. R. 1. qvi forte est D. Jac. Andreæ.

Cleon. II. p. 372.

Osiandrum interpretor.

Corax. I. p. 283.

Apparet Corvinum qvendam, aut Rabum designari.

D.

ὁ Δημιήγορ☉. Cam. p. 631.

Fortasse Osiander.

ὁ Διδάσκαλ☉. Cam. 20. 69. 134.

Lutherus, & in Epistola Crucigeri apud Hospinian. II. Histor. Sacram. fol. 193. 199.

Δρυοπολίτης Antistes. An Episcopus Eichstadianus? Cam. 452.

ὁ Δύσοδμ☉. II. p. 372.

Franciscus Stancarus, ut opinor.

E.

Ephrata. Cam. p. 689. *Ante triduum sic intumuit Albis, ut effusus sit in ripam usqve ad Ephratam.* Et post: *Hæc scribo in caupona Ephratea.*

Prata, pagus qvidam, Witebergæ trans Albim proximus. Enimvero fuerunt, qvi & oppidorum qvorundam circa Wittebergam nomina Hebraica esse, opinati sunt, ut est apud Dresser. de Urbib. p. 603. Conf. Scultet. I. Exerc. Evang. p. 81.

Epigoni. Camer. p. 698.

Familia qvædam Principum videtur innui.

ὁ ἐρίζων περὶ ἐντελεχείας. Cam. p. 420.

Vitus Amerpachius. Ex libro enim ejus I. de anima p. m. 294. seqq. constat, illi cum qvibusdam certamen fuisse, de ἐντελεχεία.

ὁ ἔχων ὄνομα υἱοῦ θετοῦ τοῦ Σκιπίωνος Cam. p. 702.

Maximilianus, tum temporis adhuc Rex Bohemiæ. Vid. Myl. Chronol. Script. Phil. Melanchth. sub Anno 1556. p. m. 71. Fuit enim Æmilianus, (ad qvem nomen Maximiliani, qvem qvidam Maximum Æmilianum vocant, alludit) insertus in Scipionum familiam. Carol. Steph. Diction. p. 91.

Feli-

F.

Felinus.

Bucerus, vid. ſupra: Aretinus. Cam. p. 137.

G.

L. Gellius. Cam. p. 350. 351. 352. 355.

Non dubium, qvin deſignetur ille, qvi in Colloqvio Wormatienſi vel Ratisponenſi præſedit Conciliatoribus diverſarum Religionum, ſimilis L. Gellio, qvi Athenis olim Philoſophos inter ſe omnes conciliare voluit, de qvo eſt apud Ciceron. l. de Leg. p. 166. Glandorp. Onomaſt. f. 381. Inqvirantur Acta Colloqviorum. Vide an fuerit Julius Pflug: de qvo Bucholc. Chronol. p. 587. M. Joh. Frid. Leubnitio (not. marginal. ad Epiſtol. Phil. Melanchth. ed. Camer. p. 350.) ſic videbatur: Ex Sleidano colligo fuiſſe vel Thomam Campegium, Epiſcopum Foltrearem (p. 372) Legatum Pontificium, vel Petrum Paulum Vergerium, Epiſcopum Juſtinopolitanum, â Pontifice qvoqve miſſum; cujus mentio fit p. 374.

Γεφυραῖος Cam. p. 405. *Noſter* γεφυραῖος; *joco fortaſſe mihi objiciebat, ambire me Galerum* τῶν ἐπαρύφιον ἀρχιερείων

Neſcio

Nescio annon Lutherus designetur: aut Superindentens Witebergensis, qvem γεφυραῖον h. e. Pontificem vocat.

Gorgias. VI. p. 183.

Gorgias Hyperboreus VI. 181.

Gorgias prutenicus. VI. 322.

Andreas Osiander.

Gypæetus. IV. p 108. conf. ibid. p. 98. in fin. ubi tamen forte alius designatur γυπαιετός.

H.

Hippias. Osiander.

Ὁ ὄλυλος Camp. p. 690. *Matthias ὄλυλος nuper mortuus.*

Matthias Lauterwald.

Hyperboreus Orator. VI. p. 180. 184.

Hyperboreæ gentis novus Hospes. Cam. p. 620. 621.

Andreas Osiander. Non dubitabit, qvi cum hoc ultimo loco conferet Melch Adam in vit. Theol. p. 229. ubi de Osiandro sic refertur. *In Borussiam proficiscens Vratislaviæ apud D. Moibanum, amicum veterem, jactarat: Leonem (Lutherum) mortuum esse, vulpes à se floccipendi.*

Ὁ Ὑπερήφανος.

Joh. Stolsius. vid. Pezel. part. ult. argumen-

mentorum ex Phil. p. 197. ubi Philippi ad Calvinum Epiſtola.

I.

Jaſon. IV. p. 110.

Ibericus.

Ferdinandus. Cam. p. 105.

Ὁ ἰξίων.

An Sabinus? Cam. p. 466.

K.

Ἡ Καρόλȣ μήτης Cam. p. 622.

Ὁ Κερασφυρος. Camer. p. 232.

Fortaſſe Dux Würtenbergenſis, qvi cornua fert in inſignibns.

L.

Laterenſis. Cam. p. 410. 440. 451. 467. 513. 515. 622. 623.

Berhardus Ziegler, ab Amicis Laterenſis nominat9. Melch. Adam. in Vit. Phil. Germ. p. 140. Camerar. vitâ Ph. Melanchth. p. 70.

Leocrates, Cam. p. 480. 481.

Nicolaus Amsdorffius. Vid. Peucerum narrat. hiſt. de coen. Domini p. 86. & Wittebergenſes in refut. hiſt. Peucer. p. 140. Nimirum Leocrates idem fere, qvod Nicolaus.

Lithuanus Hoſpes, Camer. 701.

Petrus Conyza,

Ly-

Lycaon. II. p. 502. 503. 505. III. p. 187. V. 51. Cam. p. 706.

Henricus Dux Brunſvicenſis. Ab arce, ut opinor Wolffenbüttel, qvam Lycaoniam aliqvi nominant, teſtibus Chytræo in Chron. Saxon. f. 57. & Merkelio in der Magdeburgiſchen Belagerung. B. 1. Conf. Myl. Chronol. Script Phil. Melanchth. p. m 48. Lycaonis etiam nomine Henricus hic Brunſvicenſis ſignificatur â Chriſtoph. Syrgelio p. m. 5.

M.

Macedo. I. p. 4. 6. 22. 267. II. p. 194. 207. 228. 487. III. p. 144. 145. 208. 209. IV. p. 110. V. p. 51. Cam. p. 232. 233. 244.

Philippus Haſſiæ Landgravius, ut eſt in margine p. 164. Partis II. Conſiliorum Philippi â Pezelio editorum, & apud Witteb. in refut. Hiſtor. Peucer. p. 39. nimirum ob nomen cum Philippo Macedonum Rege commune.

ὁ Μαϱγίτις II. p. 173.

Marchio Brandenburgenſis opinor, cujus mentio præceſſerat p. 172. Patet ex collatione: & qvia ὁ Μαργίτ8 κόλαξ II. 172. idem videtur qvi p. 172. eſt ejus (Marchionis) κόλαξ.

ὁ Μαργίτης κόλαξ II. p. 372. de qvo modo dictum.

ὁ Μαργίτης σπερμόλογος App. IV. p. 44.

Islebius fortasse: atqve idem, opinor, cum eo, qvi II. p. 172. Marchionis κόλαξ dicitur scripsisse refutationem Canonis.

οἱ Μαργῖται II. p. 170. 174.

Brandenburgici seu Marchiaci, ut opinor.

Μεθώνη II. p. 374.

Vinaria.

Μεθωναῖοι. Carner, p. 702. 725. 728.

Vinarienses, seu Weinmarienses, ut est apud Peucer. Narrat. Hist. p. 91. Conf. Dresser. Part. I. Isagog. Hist. p. 80.

Mezentius II. p. 431. III. p. 145.

Mezentius Brunsvicensis. IV. p. 88.

Henricus Dux Brunsvicensis. Sed qvare Mezentius? Nam si literas spectemus, hoc nomen in Albertum Moguntinum, (den Cardinal von Mentz) competit potius. An propter Tyrannidem? An allusum aliqvo modo ad factum ejus, Concubinam per aliqvot annos alentis, cui tanqvam mortuæ, cum vivam sciens haberet, justa fieri præceperat, ut ita aliqvo modo qvadret in eum illud de Mezentio Virgilii VIII. Æn. p. m. 318.

Mor-

Mortua qvin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusqve manus, atqve oribus ora.

Conf. Phil. Land-Graffen zu Hessen vierte Verantw. p. m. 41.

Mezentii *Pœdagogus*. III. p. 145.
Georgium Saxoniæ Ducem interpretor.

Mica. Cam. p. 71. 50.
Mich. Rolingus.

Mustela in Operibus Phil. Melanchth.
Wicelius qvasi Wiesel: Adde eundem Phil. Melancht. in Locis Communibus tit. de Magistratibus civilibus. (p. 637. & 638. Corp. doctrinæ: qvi alias ibid. p. 440. suo nomine Wicelius vocatur.) Tom. I. Opp. f. 291.

N.

Νικόλεως. Cam. p. 103.
Wenceslaus Lincus, ut colligere datur è Sculteti Decad. II. Annal. p. 178. Est autem Lincus fere per anagramma Nicolaus, sed & Wenceslai nomen similem cum Nicolao terminationem habet, ac præterea dictum putes qvasi Vincislaum â vincendo, qvod est græce *νικᾷν*.

O.

οἰνοχόος. Camerar. p. 420.
Jacobus Schenk, ut opinor; Atqve hunc Jacobum qvoqve puto notari ibid. p. 412. 414.

P.

Padornus Cam. p. 718.
Badehornus.
Parthenope. II. p. 211. 505. 518. 528.
Magdeburgum.
Pericles. Cam. p. 444. *Cum reversi essemus domum, exhibita est nobis Epistola Buceri ad Macedonem scripta, qvam noster Pericles ἀπολύμως rejecit.*
Lutherus. Qvem in re simili Periclem etiam vocat Calvinus Epistol. ad Philippum p. 152. *Si ita est, ut dicunt Tigurini, habuerunt justam scribendi causam. Vester autem Pericles qvanta intemperie ad fulminandum rapitur?* Ac de Luthero Calvini hæc non obscure interpretatur Hospinian. Part. alt. Hist. Sacram. f. 199. Nec dubito, qvin Lutherum qvoqve intelligi voluerit Beza in vitâ Calvini, p. m. 7. sic scribens sub A. 1545. *Gliscebat tum qvoqve rursum infelix illa de Cœna Domini decertatio, Osiandro, homine superbo, monstrosiqve Ingenii sopitam flammam fodi-*

fodiente, qvod incendium, qvo minus sopiretur, per Calvinum certe non stetit, cujus eâ de re ad Philippum unam & alteram epistolam edendam curavimus. Sed utriusqve sanis consiliis nullum locum tribuit ejus hominis intemperies, qvem uterqve Periclem vocat. Minus bene Periclis nomine Osiandrum hic intelligi putat Melch. Adam. in vit. Theol. ext. p. 79. in marginal. & ibid. in Indice lit. O. Decepit eum, qvod apud Bezam Osiandri mentio præcesserat. Interim non nego, alibi Periclis nomine significari Osiandrum, uti jam seqvitur.

Pericles Cam. p. 667.

Pericles Prutenicus. V. p. 472. Scilicet ad differentiam periclis Saxonici Lutheri.

Andreas Osiander.

ὁ Φαιόκαμος. Camerar. 94.

Φρεάτιος. Camer. p. 449.

Caspar Bornerus. Φρέαρ ein Born.

Ποιμὴν Cam. p. 103. *Is misit huc ad ποιμένα nostrum.*

Johannes, Elector Saxoniæ. Adi Scultetum Dec. II. Annal. p. 178.

Polyphemi filii. Cam. p. 682. 687. 694.

Οἱ πολυφήμου υἱοὶ. Cam. p. 699.

Matthias Flacius Illyricus, & Nicolaus Gallus, Verba Philippi ad Camerarium p,

682. *Fortassis aderunt duo illi, qvos Appianus Scriptor Historiæ ait fuisse Polyphemi filios.* Qvibus pro Commentario erunt hæc Noæ Bucholceri præf. ad Encomium Flacii Illyrici â Jacobo Diassorino græce scriptum, cui adjunxit ipse Carmen suum de Natalibus Flacii: *De parentibus sedula ac solicita investigatione compertum hoc est, qvod Appianus memoriæ prodidit, & multorum celebratum est monumentis, Polyphemo natos esse filios, Illyricum & Gallum.* Sic Polyphemi filius frater τοῦ Ἰλλυρικοῦ. (Gallus) apud Peucer. narrat. Histor. p. 89.

Portunnus Cam. p. 103. *Fuit mecum his diebus Portunnus, qvi mihi maxime voluptati fuit, qvia tuum nomen semper habuit in ore.*

Johannes Francus. Sic enim Camerarius Narrat. de Eob. Hesso, p. m. 17. *Is, cum qvo ego fraterno animo conjungebar, contubernalis meus Johannes Francus, qvi Portunus â nobis cognominabatur.* Et in Epistolâ dedicator. libelli novi Epistolas doctorum complectentis: *Ex his reliqvus est nemo, qvod sciam, omnium, præter unum Johannem Francum Portunum.*

Πορφύρος.

Huttenus, Cam, p. 4.

Pothinus.

Zwinglius. Cam. p. 128. sed forte Desiderius Erasmus notatur: ποθεινὸς tamen exponi potest Huldreich.

Pyrron, πύῤῥων. Cam. p. 59. 53.

R.

Ὁ ῥάπτης. Cam. p. 687. 694.

Erasmus Sarcerius, ut opinor, â ῥάπτω, sarcio. Qvem ait Philippus haberi autorem somnii Germanici. Confundit hoc somnium Germanicum cum altero somnio Latino scilicet Stolzii Peucerus narrat. hist. seu qvisqvis autor est marginalium narrationis Peucerianæ. p. 89.

Ὁ ῥῆσος Cam. p. 415.

Mauritius forte, Saxoniæ Princeps.

Ὁ ῥεῖβυ ἐπιβάτης. Camer. p. 402.

Henricus Dux Brunsvicensis. Phœbus enim eqvus perhibetur Mezentii. Mezentium autem esse hunc Henricum, dictum supra.

S.

Ὁ σεβαστὸς Camerar. p. 1674.

Fortasse Augustus, Saxoniæ Princeps.

Simon. Cam. p. 238.

Simon Grynæus.

σπινθὴρ. Cam. p. 696.
Johannes Funccius.

σταυροφόρος. Cam. p. 455.
Cruciger, teſte Peucero Narrat. hiſt. p. 85.

T.

Ταυρόκερως.
Zwinglius Cam. p. 135.

Ὁ Τετραγωνιστής. Cam. p. 352.

Θαυμᾶς.
Carlſtadius. Cam. p. 7.

Therſites (Ratisponenſis) I.
Nicolaus Gallus. Peuc. narrat. hiſt. p. 92. 96. Pezel. part. ult. argumentorum è Phil. Melanchth. ſcriptis. p. 199.

Thraſo. De hoc Sabell. Chemnit. legi poteſt in Reg. vit. p. m. 8.

Θρασύβουλος. Camerar. p. 725. 727.
Baſilius Monnerus. vid. Limnæum lib. I. de Jure publ. c. 11. n. 72. p. 172.

Ὁ Τυδεύς. Cam. p. 405.

X.

Ὁ χαυθιωππίδης. Cam. p. 487.
An intelligitur aliqvis uxorem habens Xantippe ſimilem?

Hæc illa ſunt, qve ſe mihi hactenus obtulerunt. Qvibus vel nulla, vel ſuperficialis ac remota tantum addita eſt interpre-

pretatio, horum defectum ſpero facile ſuppleri poſſe ab eo, qvi temporum illorum Hiſtoriam teneat accurate, aut operam ſumere velit, qvæ neſcit, inqvirendi.

CAPUT. II.

De libro cui titulus: Somnium Lutheri.

(AUTORE JACOBO THOMASIO.)

(Mentio facta fuit in præcedenti capite libri hujus in voce ῥάπτης ubi ſimul dictum, qvod in narratione Peuceriana idem cum alio libello ſit confuſus. Unde non inconveniens viſum fuit meditationem ulteriorem eâ de re B. Patris ſtatim ſubjicere. *)*

§. I.



QVo tempore fervebant adhuc certamina de adiaphoris, ac neceſſitate bonorum operum, tria ſcripta ſucceſſive prodierunt, qvorum titulos appono.

Primi: Qverela Martini Lutheri, seu (a) Somnium.

Secundi: Defensio Martini Lutheri, seu somnium.

Tertii: Onar (b) hypar, seu Syndicus Qverelæ Martini Lutheri.

(a) An huc alludunt verba Camerarii in Philippi Melanchthonis vita p. 357. sub Anno 1555. Impunitas edendi, qvæ unusqvisqve somniasset.

(b) Videtur ad hanc vocem alludere Synodus av. v. 220. ed. a. 1558. *ὁ NARrans plurima Bubo*. Nam bubo Stolsium ibi notat.

§. II. Primum á secundo impugnatur, â tertio vero defenditur. Secundi Autor nominatur aperte Stolzius: primi & tertii Autor nomen suum reticuit, est autem unus utriusqve scripti faber, qvod vel styli similitudo prodit. Sed & aliunde probari potest, Joachimum Camerarium eum fuisse.

§. III. Universa tria scripta junctim edita sunt Basileæ ex Officina Oporiniana A. 1555. in 8vo.

Primum etiam ibidem seorsim prodierat Anno 1554. mense Martio, 8vo. recusum Gorlicii A. 1580. 4to. Se-

Secundum vero Ratisponæ A. 1555. in 8tavo. Primi Autorem fuisse, qvem dixi Camerarium, probari potest tum ex stylo, qvi ubiqve Camerarium spirat, tum ex indicio Stolzii (c) & Amsdorffii, (d) his jam adde Johannem Avicinium in Chronol. Evangel. (rhythmis Germ. cum versione Joh. Nasf. scripta) p. 13. ubi & in margine: *Somnium Lutheri per Camerarium divulgatum.* Item Wasserspieg. p. 164. Einer aus der Adiaphoristen und Synergisten Camerâ, nachdem er ausgetraumet/qvi licet ἀνιτ]ώμενοι, satis tamen/ qvem autorem esse crediderint, indicant: tum ex eo deniqve, qvod & tertium scriptum, qvod primo fert suppetias, Camerarii esse proditum est, ut infra dicetur.

(c) Qvi in defensione ista jam voce Camerinæ p. 82. (conf. 91.) & 103. jam Cubicularii p. 93. haud obscure Camerarium significat.

(d) In epistola responsoria ad Stolzium, qvæ legitur ibidem p. 48. ubi hæc verba: Durius tractandus fuisset Sycophanta mendax & virulentus, etiamsi Camerarius Papæ esset.

§. IV De hoc, autem primo ſcripto ſeu ſomnio intelligenda ſunt verba Collocutorum Altenburgenſium Electoralium, in Reſponſione tertia fol. m. 309. (e) Qvibus cum ſomnium illud

(e) Verba eorum hæc ſunt: wollen wir ſie freundlich erinnert haben / dieweil ſie ſo gar groſſen Luſt zu den Träumen haben / ſie wolten doch auch Somnium Lutheri, (qvanqvam non tàm eſt Somnium Lutheri, qvam Qverela ejusdem ad ſomnium Camerarii) welches im Büchlein den wohl zu bekommen iſt / verleſen / und betrachten / ob es nicht alſo ergangen ſey / und noch in der Kirchen zugehe / wie in demſelben Traum angezeiget worden iſt.

commendetur, neceſſe eſt ea de ſcripto Camerarii, non Stolzii, qvanqvam uterqve libello ſuo Somnii titulum fecit, interpretemur. Erant enim Collocutores Electorales Philippiſtæ, qvalis & Camerarius, Scriptor Qverelæ, ſeu Somnii. Sed facile fuiſſet Collocutoribus par pari referre, eosqve ablegare ad ſomnium â Stolzio ſcriptum.

§. V. De cœtero ſcripſit qvidem Camerarius ſomnium illud, ut eſt in fine ejus p. 46. Id. ib. Octobr. Anno 1553. verum

verum prodiit tamen anno demum seqvente menſe Martio, ut eſt in editione prima pagina ultima.

§. VI. Eodem anno 1554. Johannes Stolzius huic Somnio alterum oppoſuit, (f) defenſionis (g) Lutheri titulo: ut

(f) Ideo ſcriptum hoc Qverelam *ἀντιόνειρον* vocat Cam. in Synd. Qverelæ p. 142.

(g) Hinc emenda marginale Narrationis Hiſtoricæ Peuceri de Cœna Domini: ubi perperam impreſſum eſt: *Somnium Johannis Stolzii pro Lutheri de Confeſſione editum, Lege pro Lutheri defenſione.*

adeo fallantur Laurentius Surius (h) & hunc, ut apparet, ſecutus Rodolphus Hoſpinianus (i) defenſionem Lutheri â

(h) Comment. rer. geſt. ſub Anno 1553. p. 476.

(i) Part. II. Hiſt. Sacram. f. 220.

Stolzio ſcriptam referentes ad annum 1553. qvo tempore nedum qvidem edita, licet jam ſcripta erat Qverela illa Lutheri, cui Stolzius eo ſcripto reſponſum cupiebat. Confirmatur, qvod dixi, duabus de hac ipſa re Epiſtolis, altera Stolzii ad Amsdorffium, altera reſponſoria hujus ad illum, cui utriqve annus 1554. adſcriptus eſt, (k) ſed excuſa tamen illa defenſio demum eſt anno 1555.

(k) Præmittuntur hæ epiſtolæ defenſioni p. m. 47. & 48.

§. VII. De eodem Stolzii ſcripto interpretanda ſunt verba Philippi Melanchthonis, Epiſtolâ ad Camerarium 19. Cal. Nov. Anno 1555. ſcripta hoc modo: (l)

(l) Epiſt. Phil. ad Camerar. p. 694.

Legeram enim virulentum ſcriptum Somnii Germanici, cujus autorem eſſe τὸν ῥάπτην (m) *qvidam ſuſpicantur, qvidam Polyphemi filium, fratrem τοῦ Ἰλλυρικοῦ,* (n) *ego non*

(m) Sarcerium.

(n) Nic. Gallum.

ῥάπτην ſcripſiſſe judico, ſed multos fuiſſe συῤῥάπτας, ac video nos duos præcipue peti, & noſtris capitibus fata cantari. Qvanqvam enim, ut hæc verba de alio qvodam, qvam Stolzii ſcripto interpretemur, movere nos poteſt annus Epiſtolæ Melanchthonis adſcriptus, qvod idem innui videtur Germanicum eſſe, non Latinum, neqve Stolzius in eo autor indicetur, qvi in Epiſtolis Philippi eſt ὁ ὑπερήφανος, (o) ſed hæc ſuſpicio in Sar-

(o) Videndum an mentione ὑπερηφανίας, alludat Camerar. Synd. Qver. Luth. p. 129.

cerium

cerium aut Gallum, aut qvoscunqve tamen alios innominatos abeat; qvæ causæ & Hospinianum videntur movisse, ut hæc verba dubitanter de scripto Stolzii interpretetur, (p) tamen pro eâ,

(p) Part. II. Histor. Sacram. f. 221.

qvam dixi, sententia satis validum argumentum est marginale illud supra (q) mihi citatum, qvod legitur in ap-

(q) p. præced. lit. g.

pendice Narrationis historicæ Peuceri de cœna Domini, adjectum videlicet sive â Qvirino Reutero, historiæ Peucerianæ Editore, sive ab alio qvovis Consiliorum Philippi, & rerum eo tempore gestarum intime perito. Ac fieri potuit, ut, qvemadmodum Camerarii, sic Stolzii Somnium alio anno scriptum, alio h. e. seqvente anno editum (ita omnino est) inqve Germanicam etiam lingvam (r) traductum fuerit, editumqve

(r) Conf. Synd. Qverelæ. p. 110.

initio autore ipso non nominato: Imo vero non dissimulat Stolzium Autorem Ratisponensis Editio. Camerarius autem vel illâ ipsâ epistolâ motus, & Auto-

re

re cognito, cujus & ad Amsdorffium literæ, cum hujus responsione, ἐν ἀπογράφῳ permanare ad illum potuere, ita scripserit eodem 1555. anno Syndicum illum Qverelæ, & cum eo unà recudi & Qverelam ipsam & Defensionem Stolzii cum hujus & Amsdorffii Epistolis ab Oporino curaverit. Hospiniani vero trepidatio me plane non movet, cum vel ex eo, qvod supra (s) notavi, satis appareat, ad illius oculos nihil horum scriptorum pervenisse: Adde, qvod cœtera, qvæ ibi differit Philippus, qvod ipse scilicet & Camerarius præcipue scripto illo notentur, optime conveniant in defensionem Stolsianam.

(s) Lit. i.

§. VIII. Venio ad tertium scriptum, cujus titulus: Onar hypar, seu Syndicus Qværelæ M. Lutheri. Ejus qvidem Autorem expresse Camerarium facit Hospinianus, (t) suntqve hujus rei indicia in ipso scripto minime obscura: (u)

(t) Loco citato.

(u) Uti

(u) Uti præter ſtyli conſonantiam loc aliqvot. Nam ab initio ſtatim ſic incipit: *Narravit nuper qvidam, qvi ut ait Plautus, Benevolus vivit mihi, Somnium ſuum.* p. 105. Innuit autorem Qverelæ ſeu Somnii. Credo autem eſſe in Plauto locum aliqvem, ubi qvis de ſe ipſo loqvens tanqvam de altero, ait eum eſſe ſibi benevolum. Sic Sim. Stenius p. 199. Gretſ. triumph. ubi ſimile qvoddam de Luthero ſomnium verſibus decantat, cuidam ex familiaribus ait Lutherum viſum, qvem ipſe æqve ac ſeipſum amet, non alium opinor, qvam ſeipſum hac notans periphraſi. Et videtur eos verſiculos, qvorum ibi bona pars adfertur, compoſuiſſe ad imitationem Somnii Camerariani. Nam & ibi Lutherum inducit ſuo ipſius calculo ſe damnantem, plane ut in illa qverela fecerat Camerarius. Qvi qvidem hoc loco uti Qverelam illam Paulinâ iſtâ phraſi ſibi tribuit, ita in ſeqventibus, licet obſcuriuſcule indicat, (vid. p. 108.) eundem eſſe & Qverelæ & Syndici autorem. Porro qvæ & p. 108. ipſe de ſe Autor, qvod patriâ Francus ſit, qvod utriqve lingvæ & latinæ & græcæ operam dederit, commemorat, in Camerarium belle qvadrant omnia. Stylus

certè

certè planè ipſi Germanus eſt, & ſi eſſet aliqvod dubium, id omne eximit.

§. IX. Cœterum, ut & de argumento harum ſcriptionum aliqvid dicatur: In ſomnio illo ſeu Qverela Lutheri id egerat Camerarius, ut Philippi, Adiaphoriſtarum, Georgii Majoris cauſam defenderet, Lutherum de vehementia, acerbitate, grandiloqventia, aliisqve lapſibus confitentem introduceret. (x) Famam ergo Lutheri defendendam ratus Stolzius, alio ac ſimili Somnio Lutherum introducit, qvæ cauſæ adverſæ partis parum faverent, illasqve criminationes in ipſum conjectas refellerent. Ubi etiam inter alia p. 80. Calvinus perſtringitur, qvod commentario in Geneſin ſuo Lutheri expoſitiones refellere paſſim eſſet conatus. Qvem locum imprimis præ oculis habuerat Surius (y) cum de Stolzii libello ſcribens nominaret eum defenſionem Lutheri contra Sacramentarios. Unde deceptus Hoſpinianus

(x) Collegit ex eo ſcripto hæc fere in Synopſin Stolzius in defenſione p. 83. ſeqq.

(y) Loco ſupra citato. lit. h.

pinianus (z) ita de re differit, qvasi præ-

(z) Loco ibidem lit. 1. allegato.

cipue contra Sacramentarios (a) actum ibi fuisset â Stolzio, cum in Adiaphori-

(a) Conjungit enim libellum Stolzii cum libello Westphali de cœna Domini, & in causa Sacramentaria eundum affectum illi postea tribuit initio fol. 221. Etiam hoc fugisse Hospinianum videtur, qvod illud Somnium Stolzii alteri Camerarii Somnio oppositum ab eo fuerit. Nam de libello Camerarii, qvo Stolzium in se prior concitaverat, nulla apud Hospinianum mentio.

stas (b) maxime strictus sit ille gladius.

(b) Vide ibi p. 47. 82. 89. & passim.

Vera autem hæc qvoqve est accusatio Stolzii, cum Somniatoris illius obscuritatem (c) accusat. Qvod vitium cùm

(c) p. 47.

alias, tùm in Somnio illo certe valde familiare est Camerario. Magis adhuc in Syndico Qverelæ: in qvo vix intelligas, qvid tandem velit Camerarius, nisi rerum illarum probe sis peritus, adeo caligine omnia involvuntur. Qvod qvidem malæ causæ conscientia (sanè

enim vir aliàs laudatiſſimus in illo religionis negotio placere nobis non debet) factum imprimis dixerim. Itaqve & ipſe alicubi ſimilis eſt culpam & errores confitenti, (d) & in ſummâ cauſæ,

(d) P. 145. 146. & alibi ut p. 113.

qvæ agebatur, nihil magnopere diluit: totis potius paginis, (e) ac neſcio an non

(e) P. 119. ſeqq.

maxima ſcripti parte de ſtudiis lingvarum & humanitatis glorioſe declamat, adverſario ſuo, cum aliâ re non poſſet, invidiam faciens ex minore illarum diſciplinarum peritiâ.

§. X. Cum hæc jam ſcribendo abſolviſſem, indicio eorum, qvæ de Controverſiâ Adiophoriſticâ alibi annotaveram, delatus ſum in Germanicum ſcriptum, qvod & ipſum Qverelæ Lutheri incerto Autore oppoſitum (f) & Nicolai Galli præfatione ornatum prodiit atqve hunc præfert titulum: Klag-Rede D. Martini Lutheri und Urtheil von gegenwärtigen etlichen Händeln und Jammer dieser Zeit; Gedruckt zu Regenspurg durch Hansen Kohl. Atqve de hoc jam

ſcripto

(f) Sic enim incipit præfatio: Es hat im Mertzen dieses vier und funffzigsten Jahres ein Lateinischer Träumer ein Büchlein in Druck lassen ausgehen mit dem Titel: Querela Martini Lutheri, seu Somnium. Et in ipso scripto p. 7. hæc leguntur: Es hat neulich einer ein sehr tieffgelehrter Rhetor ein Büchlein mit dem Titel: Querela Martini Lutheri, seu Somnium, lassen in Druck ausgehen. Rursum Gallus in præfatione: Diesem Träumer wird hie im gegenwärtigen Büchlein billich begegnet/ und wiedergegeben wie ers giebt/ ein Traum umb den andern. Autor vero scripti non additur, verum hæc tantum ab eodem Gallo in præfatione p. 2. differuntur: Und weil mir solch Büchlein von einem guten Freund zu kommen/ hab ichs zu gemeinen Nutz in Druck gegeben. Der Autor so es geschrieben/ wird sich auch schon dazu bekennen/ wo der Lichtflüchtige Nacht-Vogel sich nur wird dürffen zu dem seinen bekennen.

Scripto mutatâ priore sententiâ interpretor verba Philippi ex Epistolâ ad Camerarium prolatâ, & liqvidò intelligo, glossam de Stolzii defensione illitam Appendici narrationis Peucerianæ (g) minus esse accuratam. Sane enim in hoc

(g) P. 89.

Scriptum omnia aperte qvadrant. Nam & germanicum est, & figmentum Somnii habet, & Nicolai Galli præfatione commendatum est Lectori, & non unius Auctoris stylum (h) in eo notes, ut

(h) Qvæ de causis bellorum p. 10. seqq. differuntur, dissimilem habent elocutionem â præcedentibus, ipsius Galli præfatoris stylo similioribus, ut priora forte sint Gallo, posteriora Sarcerio tribuenda.

adeo in plures συῤῥάπτας (sive Gallus & Sarcerius, sive alii hi fuerint,) facile cadere potuerit suspicio. Deniqve satis inclementer, licet nominibus suis non appellati, excipiuntur in eo Philippus atqve Camerarius. Qvanqvam autem illam Somnii sui narrationem Autor initio libelli ad annum qvinqvagesimum qvartum refert, ut eo anno scripsisse dubitari non debeat, faciunt tamẽ Philippicæ epistolæ anno 1555. scriptæ indicium, ut credam isto anno demum typis esse descriptum: Typographus autem annum excusionis plane obticuit.

§. XI. Amplius jam & illud pervideo, Camerarium in Syndico Qverelæ non

Stol-

Stolzio tantum, ſed & huic Germanico Scriptori, de qvo alicubi ad locum Epiſtolæ Philippicæ alludere videtur, (i) reſpondere voluiſſe: atqve tum alia, tum imprimis Rhetoricæ qvaſi pro crimine objectam notitiam defendere. (k) Qvo tamen in retun-

(i) Scripſerat Philippus: *Cujus autorem eſſe τὸν ῥάπτην qvidam ſuſpicantur: qvidam Polyphemi filium, fratrem τοῦ Ἰλλυριοῦ. Ego non unum ῥάπτην ſcripſiſſe judico, ſed multos fuiſſe συῤῥάπτας.* Camerarii vero hæc ſunt in Syndico p. 110. *Atqve audio neſcio qvos, (non enim vel neceſſe, vel mihi ſtudium fuit, reſcire Autores) vociferari atqve latrare, editis Teutonico iſto jam freqvente in vitâ ſono libellis, & conſarcinatis ſententiis vehementer de illa Lutheri Qverelâ conqveri.* Et p. 130. vocat τὰ οἱονεὶ ῥαψῳδούμενα πρός τινων.

(k) Verba der Klag-Rede de Camerario p. 7. ein ſehr tieffgelahrter *Rhetor*, (wie er ſich denn ſein Lebenlang in Heydniſchen Büchern über der Red-Kunſt zubrochen hat:) & paulo poſt: der unverſchämbt uud unverruchte Zungendreſcher. His jam comparanda ſunt imprimis Camerarii iſthæc p. 119. *Sed opinio etiam ſapientiæ detracta ſit: Qvid reſtat? Loqvacitatis καὶ γλωσσοτύπου garrulita-*

tis probrum. p. 123. *Qvapropter neminem moveat vel infesta oppugnatio, vel versuta obtrectatio studii bonarum literarum atqve artium, & insidiosa mentio autorum veterum, utriusqve lingvæ & facultatis, atqve copiæ sermonis diserti ac politi.* p. 127. *Sed ex his pleriqve diligentiam atqve assiduitatem discendi literas & artes bonas improbant.* p, 130. *à qvibus qvasi profana veterum scriptorum lectio exagitatur.*

dendo convicio ita nimius est, atqve prolixus, qvemadmodum supra monui, ut ipsius causæ, qvam agebat, oblitum dixeris: qvam qvidem ipsam, qvemadmodum defenderet, non reperiebat satis. Omnino enim in eo toto Adiaphoristico negotio humanum qvid passus est Camerarius, vir alioqvi de studiis optimarum artium suo ævo supra cœteros præclare meritus.

† Anno 1593. prodiit Heidelbergæ in 4to. *Somnium de Luthero redivivo*, qvod, qvanqvam ad illam Adiaphoristicam controversiam primario non spectat, tamen qvisqvis autor ejus fuit, videtur ab eo titulum esse scripti hujus (est autem versibus scriptum heroicis) mutuatus,

tuatus, & inde ſententias qvasdam tranſtuliſſe in ſuum qvaſi drama. Nam & ibi introducit Lutherum ſibi dormienti apparentem & inter alia hæc loqventem. (illis, qvæ ſupra notavi, admodum ſimillima:) p. 5.

At dum præcipitant celerem furor iraqve mentem,
Non raro propriis me læſi improvidus armis,
Scilicet humani me aliqvid pro tempore paſſum
Ut negitent illi, qvi me ceu numen adorant.

Oppoſitum vero illud ſomnium eſt â Reformatis noſtrorum ſcriptis, qvibus Reformationem Wittebergenſem â Cripto-Calviniſmo defendunt. Fuerunt autem illi qvi Crypto-Calviniſtæ communiter appellantur, qvaſi filii aut nepotes Adiaphoriſtarum.

† Prodiit inſuper, ſed absqve loci temporisqve mentione paucarum ſcriptum paginarum hoc titulo: *Epilogus de qverelâ Somnii ſeu Dramatos Oniropoletici Cataſtrophe:*

phe. Autor non nominatur. Camerarium fuisse, puto. Totum scriptum Græcum est.

CAPUT III.
Piccardi, Humiliati.
(Eodem Autore.)

(*. *Ad tempora vetustiora pergimus. Piccardorum nomen temporibus Husi sæpè freqventatur. Et dicemus de ipsorum doctrinâ qvædam in Tomis I. Germanicis. Hic saltem origo vocis indagatur, adeoqve videbatur primâ fronte caput hoc magis Grammaticum esse, qvam Historicum. Sed noluimus id præterire, cum dubium simul proponat de differentia inter Piccardos & Humiliatos, atqve eâ de re eruditis in hoc studiorum genere ansam dare possit, istud dubium, qvod ad Historiam Ecclesiasticam facit, resolvendi.* *)

§. I.



Iccardorum nomen â Picario derivat Petrus Sylvius Tr. 19. & 20. qvi inscribitur: Von den 4. Lutherischen Evangelien. Verba ejus hæc sunt: Auch keine geistliche Ubunge pflegen (die

(die Picardischen Ketzer) denn allein/daß sie aus einem Becher oder Salsir/genand Picario, davon sie Picarden heissē/vor das Ambt der Messe und vor ihre Communion schlechten gesegneten Wein trincken. Huc referri possit, qvod Flacius in Catalogo T. V. de Waldensibus commemorat p. 733. his verbis: *Item conficiunt in picario, id est, poculo domestico, pro Calice.* Sed hoc etymon non omnibus placet. Boxhornius in Historia universali p. 711. hæc habet è Wesenbecio: *Piccardorum appellatio qvalis & unde sit, magis ambigitur. Sunt, qvi Picardiam Galliæ provinciam ipsis id nominis conciliasse putent; Alii Begardum qvendam nominant, & Sectatores ejus Begardos, qvos vulgus postea corrupto vocabulo Picardas dixerit.* Ubi ad marginem hæc notat: *mihi non est dubium, qvin id nomen fluxerit ab obsoleto vocabulo Piccard, qvod textorem significat.* Hæc Boxhornius. Sed qvæ sit Etymi postremi ratio, non addit, neqve liceat vel è præcedentibus vel seqventibus in eam sententiam aliqvid exsculpere.

§. II. Suſpicabar, poſſe huc non inepte accommodari, qvæ de Humiliatis Sabellicus Ænead. 9. l. 5. fol. 377. refert, lanificio eos deditos fuiſſe. Ejusdem enim commatis Piccardos, Albingenſes, Waldenſes, Pauperes de Lugduno, Humiliatos pasſim haberi conſtat.

§. III. Verum turbat hic iterum, qvod Sabellicus Humiliatos illos non Hæreticorum numero habet, ſed Religioſorum, qvorum ordo ſit â Pontificibus approbatus, Benedicti dogma in pluribus ſeqventium; Cum contra Humiliati illi, qvos in eandem cum Albingenſibus claſſem conjiciunt, & pro Hæreticis habiti ſint ab Eccleſia Romana, nec confirmationem ſuæ ſectæ, licet eam petierint, â Pontificibus obtinere potuiſſe memorentur. Vid. Boxhorn. p. 709. Hiſt. Univerſ. Itaqve hæc ulterius diſcutienda fuerint.

§. IV. Placet interim è Chronico Chronicorum Gvaltherii excerpere ea, qvæ de Humiliatis narrationi Sabellici conſentiunt. Sunt autem ea Franciſci Modii lib. de originibus ordinum Eccle-

ſiaſtic.

siastic. ubi p. 1620. & 1630. Sub Benedictinis hæc habentur: *Atqve hi sunt, sic primo ab auctore suo instituti; qvi mox mutatâ, additâ, aut detractâ aliqvâ re in vestitu aut vivendi legibus in varias abiere familias, nomine Cluniacensium, Camaldulensium, Vallisumbrensium, Montiolivetensium, Grandimontensium, Cystertiensium, Sylvestrensium seu Humiliatorum, Cœlestinorum, Monachorum D. Justinæ, Eremitanorum D. Hieronymi, per Martinum V. Pontificem in familiam D. Benedicti adscitorum.*

§. V. *Humiliatorum ordo cœpit in Germania coalescere ex Exulibus Gallis Cisalpinis, & præcipue Mediolanensibus, ab Imperatore Federico cui cognomentum Barbarossa, sive, ut alii censent, ab Imperatore Henrico patriâ suâ pulsis: ab eodemqve sive Federico, sive Henrico jam placato multis beneficiis affectus est, & tandem ab Innocentio III. comprobatus anno 1200. Utitur candidis vestibus etiamqve fœminæ ipsæ, (neqve enim ab hoc vitæ genere excluduntur) lanâ ac telâ victum qværitant, nihilo segnius inter ipsa opera cum viris, pariter labori alicui intentis manu, precibus vacantes.* Et ibi ad marg. *Anno*

1189.

1189. seu 1190. ut Sabellicus vult, ut Volaterranus lib. 21. anno 1017. sub Benedicto VIII. Pontif.

§. VI. Cœterum ex diversis Etymologiis, qvæ de Piccardorum nomine proferuntur, illam cœteris antepono, qvæ â Galliæ Provincia dictos eos putat.

CAPUT IV.

Waldenses seu Albigenses an Manichæi?

(Eodem Autore.)

(* *Antiqviores Piccardis, Hussitis &c. sunt Waldenses, de qvibus non injucunda erit observatio præsens. Cœterum ni fallor, non ita pridem in evolutione cursoria novi Tractatus Historiæ Ecclesiasticæ studiosis maxime commendandi, qvem Limborchius de Inqvisitione Ecclesiasticâ conscripsit, deprehendi, ea qvæ ad Historiam Waldensium pertinent, magnâ diligentiâ & judicio, qvo alias Scriptor iste pollet, collegisse.* *)

Wal-

§. I.



Aldenſes à Pontificiis qvidem Scriptoribus (a)

(a) Bernardo Luzenb. p. 39. Prateolo. p. 810. Petrejo pag. 229. Gvidone Carmelita fol. 135.

Catalogo Hæreticorum, â noſtris verò (b) Catalogo teſtium veritatis

(b) Flacio pag. 701. ed. Baſil. p. 641. ed. Francof. Autor Auctarii ibid. pag. 89. Plura de his Camerar. hiſtor. narr. de fratrum orthod. Eccleſ. in Bohem. Usſer. c. 8. de ſtat. Eccl. pag. 255. ſeqq. it. c. 10. p. 358. ſeq. Jonſton. Polyhiſt. continuat. pag. 654. Gerhardus Confeſſ. Cathol. part. gener. dedic. p. 2. ſqq.

inſeruntur. Utrinqve ex eadem cauſa, qvia multa rectisſime contra Pontificios aſſeruerunt, & imprimis Papæ ſupra omnes & Epiſcopos & Imperatores autoritatem impugnaverunt.

§. II. Nomen illis haud dubie factum

ctum est à Petro Waldo, (c) cive Lugdunensi, qvi horum Ecclesiis originem

(c) De hoc Usser. p. 259. & alii passim.

dedit circa annum Christi 1160. vel 1170. (d)

(d) Vid. Usser. p. 263. qvanqvam alii aliter, de qvo idem in præcedentibus. Adde & p. 364.

§. III. Sunt & alia illis, variis de caussis qvam plurima facta nomina, (e) & in his Albigensium, qvi & Albiani, Albi-

(e) Vid. Grasseri Waldenser Chron. p. 740. item Gerhad. supra cit.

gesei, Albii, (f) Albigenses, (g) fortasse

(f) Vid. Prateol. de hæres. p. 319.

(g) Auctar. ad Flac. Catalog. p. 319.

& Albanenses, (h) qvanqvam hos ab Albigensibus qvidam distingvunt. (i)

(h) De qvibus postea. Pro iisdem sane Albanenses & Albigenses habet Gvido Carmelita, vel potius is, qvi marginalia ejus fecit. f. 130.

(i) Prateol. p. 317. Lutzenb. p. 11. Petrej. p. 6.

§. IV. Dicti autem sunt Albigenses ab urbe Septimaniæ Albio, (k) in qva socius Waldi Arnoldus (l) tandem hæsit: (m) Ut adeo isti Albigenses doctrinam

(k) Auct

(k) Auct. ad Flac. p. 39. Diœcesin Albicensem (ubi Valdenses) in Gallia Narbonensi esse ait Jacob. Rebirianus apud Usser. p. 265. Conf. Flac. Catal. Test. Verit. p. 661. ed. Francof. Albium in Occitaniâ locat Thuanus apud eundem p. 267. Albigensium vocat Canon Lateranensis apud eund. p. 270. Conf. Seb. Frank. Chron. f. 344.

(l) Arnoldus hic distingvendus videtur ab Arnoldo de Brixia.

(m) Usser. p. 267. è Thuan.

suam non immediate â Petro Waldo, sed â Socio ejus Arnoldo acceperint. Qvanqvam alii pro Arnoldo hîc Petrum Brusium (n) substituunt, ab eoqve Albigensium originem repetunt. In qvo non multum momenti situm esse dixerim, si Petrus ille Brusius fuit Parastata (o) Waldi. Nam & per hunc tandem Albigensium Ecclesia deducetur ad Waldum, tanqvam ad Avum. (p)

(n) Vid. Usser. p. 288. 289.

(o) Qvod lego apud Henr. Höpfner. disp. ubi Ecclesia ante Luther. Thes. VIII. num. 2.

(p) Conf. Graff. Waldenser Chron. p. 142.

§. V. Qvic-

§. V. Qvicqvid ſit, certum eſt, Waldenſes & Albigenſes â multis haberi pro iisdem, nempe qvod eadem dogmata, qvibus ſe Romano Papæ exoſum reddiderat Petrus Waldus, Albigenſium qvoqve ditionem pervagarentur, (q) â Waldi ſive Sociis, ſive Sectatoribus propagata.

(q) Waldenſes & Albigenſes pro iisdem conjunguntur in ſcripto Camerarii p. 303. 409. 411. 427. ubi & veteres & recentiores iidem qvoqve perhibentur. Pro iisdem etiam Waldenſes cum Albigenſibus habere Thuanum, teſtatur Uſſerius p. 288.

§. VI. Cave autem hos Albigenſes confundas cum Albigenſibus Manichæis, qvi & ipſi eodem tempore Galliæ iſtas ditiones inſederant, atqve eodem Albigenſium Nomine Catalogos implent Hæreticorum. (r)

(r) Atqve de his Albigenſibus Manichæis capio Lutzenburgenſ. p. 11. Seb. Frank. fol. 343. Prateol. p. 319. 320. Petrej. p. 7. qvi qvidem omnes in eo conſentiunt, qvod Albigenſes Manichæiſmi poſtulant: eosdem autem eſſe cum Waldenſibus, plane tacent.

§. VII. In-

§. VII. Interim factum inde est, ut crimen Manichæismi, qvod Albigensibus modo dictis vere inerat, illis qvoqve alteris Albigensibus, qvi Waldi doctrinam seqvebantur, imputaretur, qvod rectissime est observatum ab Usserio, (s) Sicuti & ex eâdem causa Wald-Albigenses, (sic enim appellare liceat) Arianismi qvoqve sunt postulati, qvod Ariani Manichæi, Waldenses in iisdem fere locis per ea tempora hærerent. (t)

(s) qvem vide p. 284. 370.

(t) vid. Usser. d. l. p. 370. & 283. & ad Arianos qvod attinet, junge Petrej. p. 7. ubi Albigenses potius Manichæos, qvam Arianos esse vult. Conf. Besold. motiv. p. 27.

§. VIII. Ac fortasse eadem ex ratione Catharorum qvoqve Nomen, qvos ipsos constat qvoddam genus fuisse Manichæorum, innocentibus illis Albigensibus nostris impositum fuit: qvanqvam hac de re alias varia sunt scribentium judicia, (u) nisi malis, non tam Albigen-

(u) Conf. Usser. p. 272. 274. 278. 291. Boxhorn. Hist, univ. p. 707.

ſes, qvam Albanenſes, qvi ſint ab Albigenſibus diſtingvendi, Catharorum ac Manichæorum nomina meruiſſe. (w)

(w) De Albanenſibus ſupra ad §. 3. Hos duo ponere principia cum Manichæis, conſentiunt Gvid. Carmel. f. 130. Prateol. p. 317. Eſſe de prima ſecta Catharorum, ait Luzenb. p. 11. Add. Uſſer. p. 277. convenire eos Albigenſibus, Luzenb. d. l.

§. IX. Sane vero, qvod mireris, Manichæorum inſania inde usqve â Manetis temporibus varia ſecula infecit. (x)

(x) Exerere cœpit caput hæc hæreſis anno Chriſti 277. teſte Petrejo p. 130. De Manichæis circa annum 870. vid. Baron. Tom. IX. f. 606. plura vid. apud Uſſer. p. 274. 275. 279. Manichæi etiam tempore Gvilielm. Pariſ. qvem vid. Tom. II. f. 91. Anno 1252. confoſſus eſt Petrus Veronenſ. vid. Magdeburg. Centuriat. XIII. f. 1251. hujus Patruum fuiſſe Manichæum, haud obſcure colligi poteſt è d. l. Imo ipſi Parentes ejus Manichæorum hæreſi infecti fuiſſe referuntur in Breviar. Ord. Prædicat. Romæ 1637. p. 739. An & volunt hæreticos, â qvibus interfectus eſt, fuiſſe Manichæos, & ideo inter extrema ipſum dixiſſe, qvaſi ipſis contradicentem, Credo in Deum?

§. X.

§. X. Waldenſibus autem impoſitum fuit horum nomen ſive perinſcitiam, ſive per fraudem ac malitiam (y), qvomodo & Chriſtiani olim cogebantur Gnoſticorum in ſe criminaatqve errores recipere, qvod eadem & ætas & loca ſæpe lolium hoc ſemini bono mixtum caperent (z). Hæc enim talis conjunctio & inſcitiæ & malitiæ occaſionem facile potuit præbere.

(y) Uſſer. p. 284. Waldenſes Manichæiſmi accuſat Innocentius III. apud. Camerar. p. 414. in oratione Weſenbecii.

(z) vid. Uſſer. d. l.

§. XI. Minus autem ſe mihi nunc probat illorum ratio, qvi ajunt, ideo Waldenſibus impactum eſſe errorem Manichæorum de duobus principiis, qvod Pontificum Conſtitutionibus contineatur, qvicunqve Romani Imperatoris Majeſtatem immediate â Deo dependere ſtatuat, nec Papæ ſubjectam, pro Manichæo deteſtandum eſſe, veluti duo hoc pacto introducentem principia. (a)

(a) Ludov. Camer. præf. in libell. Joachimi Camerar. & inde Höpfner. diſp. ubi Eccleſia ante Luth. theſ. VIII. n. 12.

Gerhard. dedic. Conf. Cathol. a. 4. & Graff. Waldenser Chron. p. 16.

§. XII. Hoc autem certum, qvocunqve Schemate Waldensibus hæc inusta nota fuit, factam illis fuisse injuriam. (b)

(b) Waldenses ab illa accusatione liberant Camer. & Höpfn. d. l. Usserius p. 284. seqq. Adde Wesenb. apud. Camerar. p. 413. 30.

§. XIII. Sive enim ideo accusantur, qvod Papæ non eam concesserint autoritatem, qvam ipse sibi arrogavit, nego hâc in opinione, cum sit christianissima, crimen esse Manichæismi.

§. XIV. Sive ideo, qvia duo rerum omnium æterna Principia statuerint, nego ipsis hoc unqvam venisse in mentem, cum ab hac suspicione satis ipsos liberent illorum sæpius editæ confessiones. (c)

(c) Rogerius Hovedenus f. 574. *Hæretici autem illi* (sic vocat illos Tolosates Waldenses) *hæc contradicebant & dicebant, illos falsum dixisse adversus eos testimonium.* (Puta, qvod statuerent, duos Deos existere, bonum, qvi invisibilia, malum, qvi visibilia condidisset.) *Dicebant enim publice coram prædicto Cardinali & Episco-*

pis,

pis, & universis adstantibus, & confitebantur & firmiter asseruerunt, qvod unus Deus altissimus omnia visibilia & invisibilia condidisset, & penitus denegabant, duo esse principia. Similes partim veterum, partim recentiorum Waldensium confessiones exhibebit VVesenbecius apud Camerar. p. 428. 429. Usser. p. 294. Vide & Articulos eorum apud Flacium p. 707.

§. XV. Sicuti & doceri liqvido potest, falsò insimulatos esse, qvod cum Manichæis totum Vetus Testamentum repudiaverint, & si qva sunt similia. (d)

(d) de qvibus consule Usser. p. 285. seqq.

§. XVI. Absolvunt eos qvoqve hostium qvorundam, qvi alias in ipsos scripserunt, testimonia, dum vel eorum doctrinam describentes, fœdum illud de duobus principiis dogma omittunt, non facturi, si reos ejus illos habuissent, ut Reinerius (e): vel Hæreticos, duo ista principia profitentes, sive Albigenses, sive Albanenses, sive aliis nominibus appellent, satis aperte distingvunt à VValdensibus, certe ne hiscunt qvidem

(e) apud Flacium p. 724. ed. Basil. p. 641. edit. Francof.

de eo, qvod VValdenses illi sint cum istis cœteris iidem (f), aut cum illis in ista duo principia consentiant, ut Gvido Carmelita (g), Bernardus Luzenburgensis (h), Gabriel Prateolus (i), Theodorus Petreus (k), Alanus de Insulis (l).

(f) Sicut alias solent profiteri, VValdenses eosdem esse cum Pauperibus de Lugduno, qvod faciunt Petrej. p. 229. Lutzenburg. p. 39. Prateol. p. 810.

(g) hic de Albanensibus (qvi & Albigenses esse scribuntur in margine) agit fol. 130. de Valdensibus seu Pauperibus à Lugduno. f 135.

(h) hic de Albanensibus p. 317. Albigensibus p. 319. VValdensibus p. 810.

(i) hic de Albigensibus p. 11. de Albanensibus ibid. fac. b. ubi convenire eos facit cum Albigensibus. De VValdensibus p. 39.

(k) hic de Albanensibus p. 6. de Albigensibus p. 7. de VValdensibus p. 229.

(l) hic de Hæreticis, qvi dicunt duo esse rerum principia lib. I. de fid. Cathol. c. 2. f. 203. de VValdensibus vero lib. II. per tot. f. 258. seqq.

§. XVII. Ubi

§. XVII. Ubi castiganda est temeritas editoris Operum Alani, Caroli de Visch, (m) qvi, cum Autori ipsi librum

(m) edit. Antwerp. Anno 1654. in fol.

primum haud aliter inscribere libuisset, qvam generali titulo, contra Hæreticos sui temporis, (n) ipse non modo addidit,

(n) patet ex verbis prologi f. 202. Hoc autem opus qvatuor voluminum distinctionibus separatur, qvorum primum contra hæreticos, secundum contra Waldenses Sic lib. I. c. 2. fol. 203. Ajunt hæretici temporis nostri, qvod duo sunt principia.

præsertim Albigenses (o), qvod, si recte interpreteris ferri utrumqve poterat, sed &, ne qvis hos Albigenses alio à

(o) f. 199. 201.

VValdensibus censu haberet, in præfatione monuit Lectorem (p), ex VValdensibus Albigenses ipsos prodiisse. (q)

(p) f. 200.

(q) Conf. Usser. p. 308.

§. XVIII. E dictis ita patet, qvid respondendi debeat ad qvæstionem: Sintne VValdenses seu Albigenses Manichæissimo

ſmo infecti. De VValdenſibus enim ſimpliciter neganda qvæſtio. Albigenſium vero diſtingvendi illi, qvi Petri VValdi doctrinam ſecuti ſunt, ab illa colluvie, qvi ſe fermento Manichæo inqvinaverunt.

CAPUT. V.

Manetis dogma de Loco Animarum poſt mortem, & Scapha Lunæ.

(Eodem Autore.)

Manetis dogma de Loco Animarum ex Epiphanio ſic exponunt Magdeburgenſes Cent. III. c. 5. f. 116. *Aſſerit animas, qvæ erroris ipſius cognitionem habent, aſſumi in Lunam, cum lucida animæ eſſentia exiſtat. Qvapropter, inqvit, augeſcit Luna & decreſcit, ac deficit, dum impletur ab animis eorum, qvi in cognitione incredulitatis ipſius moriuntur. Deinde easdem â Luna minore videlicet Scava depleri dicit, & in ſolem aſſumi, atqve in Beatorum ſeculum deponi.* Rogavit me Amicus qvidam, ut,

ut, ſi qvid haberem, qvod ad hujus dogmatis illuſtrationem pertineret, communicarem ſecum. Feci, & locos qvosdam Autorum, nullo tamen juſto ordine diſpoſitos, partim deſcripſi, partim indicavi, qvi ſe inqvirenti darent in manus, qvæqve alia putarem conferri aut exputari poſſe, demonſtravi. Hîc libet confuſis illis ordinem aliqvem dare, & qvalecunqve judicium interponere.

§. I.



Uit Manes Perſa natione, (a) Diſcipulus Buddæ, (b) Gymnoſophiſtarum (c) Principis, Buddas vero Empedoclis ſectam amplexus eſt de duobus principiis. (d)

(a) Nicol. lib. IV. Theſ. orthod. fid. p. 366. Lebeus in Onomaſt.

(b) Buddæ diſcipulum fuiſſe, teſtatur Suidas in Μάνης. Buddam vero Principem fuiſſe dogmatis Gymnoſophiſtarum, teſtimonio Hieronymi probo alibi.

(c) Gymnosophistæ & Brachmanes (sive iidem hi sunt, sive paulo diversi) Indorum Philosophi. Hinc ergo interpretor, qvod est apud Suidam: οὗτος ὁ Μάνης βραχμὰν ἦν τὸ γένος & Glyc. Part. III. p. 342. Manes natione Brachmanum ortus: ut sensus sit, Manetem è schola seu familia Brachmanum prodiisse. Γένος enim interdum sectam notat, seu familiam Philosophantium. Obiter hic observo: Manetem & Scythianum Suidæ (â Suida hic dissentit Baronius Tom. II. fol. 678.) unum esse, eundemqve, ait enim: οὗτος ὁ καὶ Μάνης καὶ Σκυθιανὸς λεγόμενος. Sed Lebeus (forte ex Epiphanio) in Onomast. eos distingvit, sic dicens: *Manes Servus cujusdam viduæ Persicæ, qvæ moriens Manen hæredem instituit, eiqve non solum opes magnas, sed etiam libros fanaticorum hominum Scythiani & Cerebinthi.* Cerebinthus hic idem, qvi Buddas, si Suidæ credimus.

(d) Suidas: ὃς (Βουδδᾶς) παιδευθεὶς τὰ Ἑλλήνων, τὴν Ἐμπεδοκλέους ἠγάπησεν αἵρεσιν, δύο ἀρχὰς λέγοντος ἀντικειμένας ἀλλήλαις, νεῖκος καὶ φιλίαν. Sunt hic qvædam expendenda. Buddas ille, sive Persa fuit, sive Indus, si Suidæ credimus, insti-

inſtitutus fuit diſciplinis Græcorum. Hoc non videtur probabile magnopere: Non enim Perſæ vel Indi â Græcis, ſed Græci contra â Perſis Indiſve diſcere ſolebant. Niſi dicamus, alia tùm fuiſſe ſecula, vicibusqve commutatis diſcipulos eos Græcorum factos fuiſſe, qvi olim fuiſſent Doctores. Deinde videntur hæc â Suida non alium in finem commemorari, niſi, ut innoteſceret, è qvo fonte Buddas, (hujusqve diſcipulus Manes) hauſerit dogma de duplici DEO, bono & malo. Hic ergo fons qvæſitus eſt in Empedocle; Atqvi nec ſolus inter Græcos Empedocles duo poſuit principia: nec cauſa fuit arceſcendi hujus dogmatis â Græcis: cum Græci hauſerint è Philoſophia Barbarorum: imo dogma iſtud toti Gentiliſmo univerſale videtur, etſi alii principia iſta aliis nominibus appellarent. Eos excipio, qvi in Atheiſmum prolapſi, ſolam materiam principium ponerent omnium rerum. De Perſarum duobus principiis Oromaze & Arimane vid. Heurn. de Philoſ. Barbar. p. 254. Idem p. 142. ex Apulejo docet, Indos pleraqve Philoſophiæ Pythagoricæ contuliſſe. Sive ergo Indicæ, ſive Perſicæ Philoſophiæ
alu-

alumnus fuit Buddas, non habuit necesse dogma istud ab Empedocle repetere. Nam & Pythagorei, qvibus similia Indi docuerunt, duo principia agnovere.

§. II. Videntur ergo radices Dogmatum Manichæorum qverendæ esse præcipue in Philosophia Persarum, (e) Indorum, Empedoclis.

(e) Vid. Augustin. Tom. VI. f. 548.

§. III. Circa autem præsens dogma ad duo præcipue convertendus animus, qvorum unum est, Lunam esse stabulum qvasi animarum; alterum, ei competere Scapham qvandam.

§. IV. De neutro horum habeo, qvod afferam è doctrinâ Persarum, Indorum vel Empedoclis: nisi qvod Lunam Persæ colebant. (f) Habeo tamen ex aliis, Græcorum præcipue & Cabalistarum dogmatibus: qvæ vel ideo non absurde

(f) Vid. Brisson. II. Pers. p. 167. conf. Fulleri Miscellanea. p. 88. Non est jam ad manus Oedipus Kircheri, qvi Tom. I. Synt. 4. & 5. agit de Persarum, Indorumq; Idololatria ejusq; ad Ægyptiacam affinitate. In Persicis vero Brissonii & Phil. Barbar. Heurnii nihil magnopere, qvod ad hanc rem faceret, inveni. Neqve in fragm. Empedoclis

ab

ab Henrico Stephan. in Poël. Philos. collectis, aut Empedocle Laërtii, qvanqvam fortasse neqve aliud qvicqvam in Empedocle qværendum fuit ad illustrationem doctrinæ Manicheæ, qvam dogma de duobus principiis.

hic accommodabuntur, qvod universa illa Gentilium superstitio etsi variis divisa sectis, ex uno tamen fonte tota profluxit, dogmate scilicet illo impio de duobus principiis, bono & malo.

§. V. Cœterum in tanta dogmatum varietate illud assumendum videtur præcipue, qvod est apud Plutarchum, (g) tres esse hominis partes, Mentem, Animam, Corpus, Mentemqve Soli, Animam Lunæ, Corpus Terræ deberi. Ut

(g) Plutarch. III. Moral. p. 383. in Comment. de facie in Orbe Lunæ: *Hominem pleriqve compositum sentiunt: rectè hoc, non rectè, qvod è duobus tantum partibus constare putant: Scilicet mentem partem qvodammodo animæ esse opinantes. Etenim mens tantò est præstantior, qvam anima ac divinior, qvanto anima præstat corpori. His tribus compactis terra corpus, animam Luna, Mentem Sol creando homini præbuit.*

Ma-

Macrob. III. Sat. 4. p. 321. Conf. qvæ ex Manichæorum sententia Damascenus contra eos disputans p. 281. differit de duabus Potestatibus â DEO emissis, qvarum unam vocat Matrem vitæ, alterum Spiritum vivum. Prior animæ, posterior mentis qvasi fons videtur.

ergo corpus è terra ortum revertitur in terram: Sic & animam credebant in Lunam (h) qvasi matricem suam redire post mortem.

(h) Ursin. Theol. Symbol. p. 84.

§. VI. Et omnino huc retulerim dogma Cabalistarum, humanas animas Lunæ comparantium, medioqve loco inter Mentes seu Intelligentias, tanqvam Solem & Corpora, tanqam terram vel tenebras ponentium. (i) Putat etiam Lipsius ab hâc mente esse fortasse,

(i) Lunam humanas animas significare Cabalistis, Crisp. de Ethn. Phil. caute legenda. f. 45. Prolixius illa exposita vide apud Leon. Hebr. Dial. III. de Amore fol. 462. seqq. ubi docet Animum eandem ad intellectum & corpus, qvàm Luna ad Solem tenebrasqve proportionem obtinere: phases etiam & Eclipses Lunæ cum passionibus animæ & com-

& commutationibus prolixe confert: geminum qvoqve Lunæ ipsius Amorem docet, (f. 467.) unum in Solem, ut marem suum, alterum in terram, ut fœminam suam. Nempe qvod habeat se ad solem passive, ad terram active, qvemadmodum anima scilicet credebatur ad intellectum se passive, ad corpus active habere, mediæqve esse naturæ inter utrumqve, perfectiorem corpore, sed imperfectiorem intellectu. Qvo loco & illud veniebat in mentem, an ex hujusmodi ratione profluxerit, qvod alii Lunam ut fœminam, alii Lunum ut marem coluerint? Jam & apud Archangelum Minoritam legitur hoc dogma Caballisticum. fol. 755. *Ubicunqve in scripturâ fit mentio amoris maris & fœminæ, nobis mystice designatur conjunctio tipheret & cheneceth Israel, vel Beth & tipheret.* In cujus dogmatis expositione f. 785. in Cantico Salomonis dicit, Sponsum Tipheret & Sponsam Malchut introduci ad invicem loqventes: & postea Sponsum interpretatur Solem supramundanum semper illuminantem, & Sponsam Lunam, qvæ sit speculum non lucens â se. Et in expositione alius dogmatis fol. 794. dicit, Lunam mediare inter DEUM & creata, inter cœlos archetypos

&

& Angelos, inter nos & cœlos, inter nos & Angelos, omnibus communicantem influxum â superioribus â se acceptum. qvod Lunæ populos suos qvidem è Stoicis dederint; (k) Faciunt huc & deliria Platonicorum de descensu ani-

(k) Lipſ. lib. III. Phyſiol. Stoic. Diſſert. 14. p. 143. De iſtis populis Lunaribus vid. porro & eund. Lipſ. II. Phyſ. Stoic. Diſſ. 13. ſub fin. Macrob. p. 58. Lactant. III. 23. pag. 249. qvi Lunaticos homines vocat. An huc & facit, qvod Paradiſum terreſtrem qvidam aſſurgere voluerunt usqve ad Lunarem Circulum. vid. Schet. Hephnem. p. 21. & 35.

mæ aſcenſuqve, moriendiqve ac vivendi generibus diverſis. (l)

(l) Lipſius III. Phyſ. Stoic. 14. *Sed ibidem profecto* (Seneca) *Sideribus intermiſcet* (animas) *& in cœleſti arce collocat, ſicut & in Epiſtola c. 11. extrema: qvod Platonicum magis, qvam Stoicum ſcito. Nam illi pandebant ipſum æthera Sapientibus, & in viâ adeò lacteâ collocabant. Sed & hi ſua diſcrimina ſedium habebant, & qvasdam magis imas, non noſtro inſtituto nunc referendas.* Diſtingvit Platonicos â Stoicis. Recte.

Sed

Sed nos hic sectarum omnium catenam & conciliabulum qvoddam qværimus. De ascensu & descensu secundum Manichæos vid. Augustin. Tom. VI. f. 566. 572.

§. VII. Ubi hoc tenendum videtur qvasi commune Platonicis omnibus, vivere animas, cum degunt in superis, mori vel mortuas esse, cum merguntur ad inferos. Itaqve & descendendo moriuntur, ascendendo reviviscunt. Sed in eo postea ipsi Platonici scissi sunt, qvod inferorum limites alii alios ponerent extremos. Hoc enim è Macrobio colligere licet, aut qvasi exprimere, alios Platonicorum inferos â Sphæra Saturni, alios â Sphæra Solis, alios deniqve â Sphæra Lunæ auspicatos esse. (m)

(m) vid. Macrob. I. in Somn. Scipionis 11. pag. 57. 58. 59. ubi tres ponit opiniones Platonicorum. Prima mundum in duas dividit partes, immutabilem & mutabilem. Immutabilem â Sphæra aplane, usqve ad globi lunaris exordium: Mutabilem â Lunâ usqve ad terras. Secunda dividit mundum in elementa ter qvaterna, ut primus qvaternarius sit terra, aqva, aër, ignis; se-

cundus ☽☿♀☉; tertius ♂♃♄ aplanes. Tertia mundum ut prima, in duas dividit partes, qvarum una sit aplanes, altera Sphæræ omnes tùm planetarum, tùm elementorum. Videtur ergo ex his opinio prima inchoare inferos â Luna, secunda â Sole, tertia â Saturno. Ad tertiam hanc opinionem refero verba Macrobii c. seq. p. 62. *Hoc ergo primo pondere de Zodiaco & lacteo ad subjectas usqve Sphæras anima delapsa, dum & per illas labitur, in singulis non solum (ut jam diximus) luminosi corporis amicitur accessu; Sed & singulos motus, qvos in exercitio est habitura, producit. In Saturni -- λογιστικὸν θεωρητικόν. In ♃ πρακτικὸν -- In ♂ θυμητικόν. In ☉ - αἰσθητικὸν & φανταστικόν - Ἐπιθυμητικὸν in ♀ - ἑρμηνευτικὸν in orbe ☿ - φυτικὸν vero - ingressu orbis lunaris exercet.* Respicit ibi Macrobius ad ea, qvæ in fin. cap. præced. dixerat. p. 59. *Nec subito â perfecta incorporalitate luteum corpus induitur, sed sensim per tacita detrimenta, & longiorem simplicis & absolutissimæ puritatis recessum in qvædam siderei corporis incrementa turgescit. In singulis enim Sphæris, qvæ cœlo subjectæ sunt, ætherea obvolutione vestitur; ut per eas gradatim societati hujus indumenti testes conciliet.*

Et

Et ideo totidem mortibus, qvot Sphæras hausit, ad hanc pervenit, qvæ in terris vita vocitatur. Comparanda hæc est partitio cum illa Ægyptiorum, de qva Kircherus in Oedipo: *Tradit Albumazar, aliiqve Arabum Astrologi: Ægyptios solem inter duos Mundi qvinarios posuisse, nempe super hunc planetas qvinqve,* (Ægyptii ♀ & ☿ non infra, sed supra Solem locabant, *sub hoc Lunam & qvatuor elementa.* Schema huc pertinens, vid. in Excerpt. pag. 232. conferendum cum aliis Schematibus pag. 230. & 231. Habet hæc divisio cum prima illa Platonicorum divisione id commune, qvod Lunam cum orbe Elementari conjungit in eandem plane classem cum secunda, qvod partes Mundi sic satis multiplicat.

§. VIII. Ex his autem opinionibus, ea, qvæ inferos â Luna auspicatur, pro nostro instituto videtur maxime facere. (n) De ea sic Macrob. pronunciat. p. 57. 58.

(n) Macrobio p. 59. maxime placet opinio tertia, qvæ â Saturno inferos auspicatur, horum enim sectæ amiciorem esse dicit rationem. Sed nobis hic accommodatior est opinio prima. Nam tertia solem comprehendit sub inferis, ut

& ſecunda. At nos procedebamus ex illa hypotheſi, qvæ tùm demum animam hominis in beatisſimo ſtatu ponit, cum ſolem attigerit.

Vivere animas, dum in immutabili parte conſiſtunt (ſupra Lunam,) *mori autem, cum ad partem ceciderint permutationis capacem. Atqve ideo inter Lunam terrasq; locum mortis & inferorum vocari: ipſamqve Lunam vitæ eſſe, mortisqve confinium, & animas inde in terram fluentes mori, inde ad ſupera meantes in vitam reverti,* (o)

(o) His conſentanea ſunt, ſi rectè explicentur, illa Plutarchi de fac. in orbe Lunæ p. 383. *Mors, qvam obimus, alia ex tribus duo facit hominem, alia unum ex duobus.* Duas mortes memorare vult, unam illam omnibus notam, cum Mens & Anima junctim deſerunt corpus: putabatqve porrò iſta anima, Mentem & animam ſic aſcendere ad Lunam. In Luna novam mortem contingere, Mente ſcilicet ad ſolem usqve avolante. Hæ eædem mortes & vitæ poſſunt vocari ſenſu illo philoſophico, fiunt enim per aſcenſum animæ. Sicuti viciſſim, qvod per deſcenſum fit, vita ſolet vocari vulgo, cum philoſophis mors

mors sit, & hoc philosophico sensu Macrobius dicit animas mori cum ad Lunam descendunt: sicut Plutarchus sensu vulgari eas mori, cum ad Lunam ascendunt.

§. IX. Fuerit ergo, si superiora repetamus, hæc Veterum qvorundam opinio: Mentem hominis, qvamdiu sit in Sole, beate agere, tanqvam in suo loco naturali; ad Lunam cum pervenerit, copulari cum animâ, qvi primus gradus infelicitatis ejus: Sicuti alterum gradum acqvirit per copulam cum corpore in hoc elementari mundo. Atqve hunc ejus esse descensum. (p) Vicissim ascensus ejus per primam mortem relicto cor-

(p) An huc pertinet illud Epimenidis, Scaligero ad Catalecta Virgil. pag. 50. citatum:

Καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ σεβάνας ἠυκόμοιο.

An huc etiam referendi amores Endymionis, (cujus somnus Epimenideo similis notus est) & Lunæ? Conferendus Tertulliani locus citatus Lipsio III. Physiol. Stoic. 14. *In æthere dormitio nostra cum Platone, aut circa Lunam cum Endymionibus Stoicorum.* Forte & huc faciet, qvod qvidam Ideas sub concavo

Lunæ locant, vid. Reg. part. 1. Disput. Logic. p. 120. 124. Volunt. enim animas, anteqvam corpora ingrediantur, ideas noscere.

pore ad Lunam: altera Lunâ ad solem, relictâ animâ, solâqve mente tandem evolante. (q)

(q) Qvemadmodum Stoici animam separatam crederent in Lunæ orbe aut circa esse, exeqvitur Lipsius III. Phys. Stoic. dissertat. 14. Plutarchus sic p. 383. 384. de facie in orbe Lunæ: *Omnis anima sive prædita*, (hominis sapientis, ut hic idem dicatur, qvod alii hic afferrent, sapientibus esse intellectum agentem, cæteris non esse,) *sive carens mente* (ut in improbis & insipientibus) *ubi primùm è corpore exiit, fati lege ad tempus vagatur ea in regione, qvæ terram & Lunam interjacet. Verum non idem est omnibus tempus præscriptum. Impiæ enim & intemperantes* (mente carentes) *pœnas flagitiorum luunt: piæ* (mentem habentes) *certum tempus, qvantum ad lustrandum sufficit, in aeris purissima parte degunt*, (vide qvæ Lipsius de Stoicis loco dicto) *qvam prata Ditis appellant: Deinde veluti ab exilio in patriam reductæ, gaudium degustant, qvale maxime percipiunt, qvi sacris initiantur,*

tre

trepidatione ac ſvavi ſpe permixtum. Multas enim extrudit, æſtuandoqve projicit, jamjam Lunam ſubire affectantes, nonnullas etiam, qvæ jam eò pervenerint, ſubverſas vident, tanqvam in profundum devolvi. Qvæ autem ſurſum evaſerunt, ac firmiter ſunt collocatæ, primùm ut ſolenni certamine victores coronantur pennis, qvæ conſtantiæ dicuntur. Deinde viſus eorum radiis eſt ſimilis; conſpiciunt autem primum ipſius Lunæ magnitudinem & pulchritudinem ac naturam. Videntur opinati eſſe animas piorum primum purgari in aëre, inde Lunam ingredi, ibiqve altera purgatione perfunctas, mentem deniqve ipſam ad ſolem mittere. Impiorum vero purgationes circa terram & inferiora fieri. De Purgationibus, qvæ in Luna fiunt, Plutarchus d. l. p. 385. In Luna etiam cavernæ ſunt, & profunda. Cavernarum ejus maximam penetralia Hecates vocant, ubi animæ eorum, qvæ jam natæ egerunt, aut paſſæ ſunt, rationem reddunt, ac pœnas dant, ſumuntqve: duæ aliæ longæ dicuntur, qvia per eas transmittuntur animæ, aliàs à Luna verſus Cœlum, aliàs verſus terram, appellantur autem partes Lunæ cœlo obverſæ Elyſius Campus, huc pertinentes, Proſerpinæ & Antichthonis, i. e. terræ oppoſitæ.

Vide an & huc aliqvid faciat illud Pythagoræ: *Insulas Beatorum esse solem & Lunam*, apud Jamblich. cit. Scheff. de Philosophia Pythagorica. p. 85. Conf. Servium ad VI. Æn. f. 520. *Aliæ animæ Lunarem circulum, aliæ solstitialem retinere dicuntur, pro modo purgationis.* Ex his interpretandus & Hierocles ad aurea Carmina Pythagoræ, qvem nescio an rectè ceperit Bisciola. Partem naturæ DEI secundum Manichæos liberari purgarique, non solum per discursus Solis & Lunæ, & virtutes Lucis, verum & per electos suos. Augustin. Tom. IV. f. 565. conf. ibid. f. 21.

§. X. Cum his non parum consentit dogma Manetis, animas, qvæ ad erroris sui agnitionem pervenerint, assumi in Lunam, inde nescio qvâ scaphâ subvehi in Solem. (r)

(r) Conf. Expositionem Baronii de hoc dogmate, Tom. II. f. 684. n. 31.

§. XI. Ad hanc ergo Scapham, qvod alterum dogmatis hujus caput est, an illud pertineat, qvæ de Scaphâ Lunæ philosophatus est Heraclitus, consideretur,

ub

ubi fuerit otium. (s) Neſcio an & huc aliqvid adferant adjumenti, qvæ annotata ſunt de navigio Bari. (t)

(s) Deſcribo hic tantum locos è Donalaſoni Locis Comm. è Laertio pag. 203. τοὺς τε κατὰ μῆνα τῆς σελήνης σχηματισμοὺς γίνεσθαι στρεφομένης ἐν αὐτῇ κατὰ μικρὸν τῆς σκάφης & p. 204. ἐκλείπειν τε ἥλιον καὶ σελήνην, ἄνω στρεφομένων τῶν σκαφῶν. Plutarchus II. de plac. Philoſophorum. 29. fol. 891. ait Heraclito viſam eſſe Eclipſin Lunæ fieri κατὰ τὴν τοῦ σκαφοειδοῦς συστροφήν.

(t) De nave ſolis ſecundum Manichæos, vid. Baronium Tom. II. fol. 685. num. 33. ex Auguſt. De lucidis navibus, qvæ DEUS habeat diverſoria qvaſi & habitacula, ex ipſius Manetis libris, qvos Theſaurum nuncupavit, vid. Auguſt. Tom. VI. fol. 565. 566. 572. 573. Qvicqvid undiqve purgatur luminis, per qvasdam naves, qvas eſſe Lunam & Solem volunt Manichæi, regno Dei tanqvam propriis ſedibus reddi; qvas itidem naves de ſubſtantiâ DEI purâ perhibent fabricatas. Qvinqve ele-

menta de regno & ſubſtantia DEI
miſſa eſſe, aerem, lucem, ignem bo-
num, aqvam bonam, ventum bonum.
Naves autem illas ita diſtingvunt, ut
Lunam dicant factam ex bonâ aqvâ,
Solem vero ex igne bono. Auguſt.
de hæreſ. Tom. VI.
f. 21.



FE-



FEBRUARIUS.

CAPUT. VI.

Petri Abelardi vita.

(Eodem Autore.)

§. I.



CUm ante hoc decennium in Historiam Sectæ inter Scholasticos Philosophicæ, qvæ Nominalium vocatur, inqvirerem, cupido inter alia venit describendi vitam Petri Abelardi, qvi & inter primos hujus Sectæ nominandus venit, & aliàs propter errores in Theologia, refertur â qvibusdam in Catalogum Hæreticorum. Qvæ tum prolixissima congessi, jam in hoc caput conferam satis con-

concise, tametsi ne sic qvidem brevissima futura.

§. II. Sed ante omnia hic autores nominabo præcipuos, è qvibus totam illam digessi Historiam. Hi ergo sint ordine fortuito sic locati: Henricus Gandavensis apud Miræum Tom. I Biblioth. Ecclesiasticæ. Conringius de Academiis. Causinus de Eloqventia. Sigebertus, vel potius ejus Continuator ad An. 1140. Joh. Saresberiensis in Metalogico. Georgius Hornius in Historia Philosophica. Bernhardus Luzenburgensis in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, item in Chronico Hirsauviensi. Ederus in Mathæologia Hæreticorum. Bernhardi Opera, edente Jacobo Merlone Hostio. Hostius ipse in Introduct. & notis ad Bernhard. Baronius in Annalibus Ecclesiasticis. Platina de vitis Pontificum. Sabellicus. Magdeburgenses, cent. XII. Salomon Gesnerus de Conciliis. Mornæi mysterium iniqvitatis. Otto de S. Blasio apud Frisingensem. Otto Frisingensis de Gestis Friderici I. Prateolus in Elencho hæresium. Filesacus

cus in origine ſtatutorum Facultatis Theologicæ Pariſienſis. Martin Richter im Chronico oder Geſchicht-Buche. Aventinus Lib. VI. Annal. Theodorus Petrejus in Catal. Hæreſ. Robertus Barns in vitis Pontificum. Nauclerus, Generat. 39.

§. III. Jam obſervo, ipſum Abelardi cognomen mirificâ varietate ſolere exarari, his præcipue modis: Abelardus, Abaelardus, Abailardus, Abelhardus, Abellart. Aballardus, Abbajalarius, Adelhardus, Allebart. (Gerſon P. 4. Opp. f. 213.) Bailardus (Pancirollus Var. Lect. p. 383.) Bajalardus (Crinitus lib. 25. de honeſta diſciplina, c. 4.) Bajulardus, Baliardus. Sed ad ipſa ejus ἱςορέμενα veniamus.

§. IV. Natus eſt in Diœceſi Nannetenſi ad Ligerin, atqve adeo oriundus fuit è Britannia Galliæ; Qvod non obſervantes, Anglum eum, qvaſi è Britannia majore oriundum putavere.

§. V. Patrem autem habuit Berengarium qvendam, & literarum ſtudiis (qvæ verba ſunt Frinſingenſ.) aliisqve facetiis ab ineunte ætate deditus fuit.

§. VI. Præ-

§. VI. Præceptores ipsi contigerunt primus omnium Rozelinus , qvem & Roscelinum vocant, Sectæ Nominalium antesignanus. Post hunc ad gravissimos viros Anselmum Laudunensem, & Gvilelmum Campellensem, Catalauni Episcopum migrans, ipsorumqve dictorum pondus, tanqvam subtilitatis acumine vacuum (sic iterum loqvitur Frising.) judicans, non diu sustinuit.

§. VII. Postea ipse Magister factus est Parisiis, Dialecticesqve & Philosophiæ studia non sine magno applausu passim tradidit, Nominali Sectæ addictus.

§. VIII. Qvin & Theologicæ Scholæ Parisiis Rector factus est, ac fortasse in eo munere successit Gvilelmo Campellensi. Sane in monte S. Genovefæ præsedit, ubi & Gvilelmus Campellensis docuerat. Ac videndum, annon ob hanc causam toties appellatus fuerit â Saresberiensi, p. m. 14. 84. 99. 129. 147. 156. Peripateticus Palatinus, â Palatio, ut opinor, aliqvo insigni, ubi docuit.

§. IX. Sed

§. IX. Sed de his diſtinctius agendum eſt nobis. Theologicam enim cathedram diu ſatis poſt Philoſophicam Profesſionem adiiſſe videtur. Ac probabile eſt, initio eum Rucelini diſcipulum fuiſſe per ea tempora, qvibus maxime floruit Rucelinus, h. e. ſub finem ſeculi undecimi. Paulo poſt & Anshelmum Laudunenſem in Theologicis audiit, ſiqve credimus Frinſingenſi, Gvilielmum qvoqve Campellenſem.

§. X. Inde ſub initium XII. ſeculi, qvaſiqve circa Annum 1110. Magiſtrum eum eſſe factum dixerim, ſuasqve jam ſcholas explicare cœpiſſe, magnâ eruditionis famâ & Diſcipulorum applauſu.

§. XI. Præter diſcipulos autem, qvandam etiam adoleſcentulam, Heloiſſam, neptem Canonici cujusdam Pariſienſis, Fulberti, privatim literas cum doceret, captus ejus amore, compresſit virginem, clanculum abduxit, paulo poſt, jam matrem, ſumſit uxorem. Sed dolor injuriæ apud Avunculum fœminæ manebat alta mente repoſtus. Itaqve per inſidias noctu in cubiculo hoſpi-

tii

tii dormientem curat mutilari illis partibus, qvibus vir fuerat. Hâc ignominiâ Abelardus erubescens Lutetiæ totius ora, in monasterio Sancti Dionysii habitum Monachi sumsit, persvasâ tamen prius Heloissâ, ut & ipsa in monasterium, Argentolium dictum, sese abderet.

§. XII. Abelardus in monasterio diu noctuqve lectioni ac meditationi incubans, de acuto acutior, de literato effectus literatior denuo â discipulis expetitur, ut officium docendi resumeret. Nec defuit illorum votis, Abbate Adamo, cœterisqve haud ægre assentientibus, eò, qvod vitæ parum religiosæ licentiam in ipsis acrius reprehenderet. Ita post aliqvod tempus ab obedientia Abbatis sui solutus, ad publicum rediit docendi officium.

§. XIII. Ibi sententiam vocum, seu Nominum non caute Theologiæ admiscuit, & de S. Trinitate docens, tres Personas nimis attenuans, inter cœtera dixit: Sicut eadem oratio est, propositio, assumptio & conclusio: ita eadem essentia est Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.

§. XIV. Ob

§. XIV. Ob id Provinciali contra eum Synodo Suessionensi, sub præsentiâ Romanæ sedis Legati, Cononis seu Conani, Episcopi Prænestini, congregata, ab egregiis viris & nominatis Magistris, Alberico Rhemense, (hunc Sarisberiensis p. 84. Nominalis Sectæ acerrimum impugnatorem facit) & Leutaldo (aliis est Lotulphus) Novariense, Sabellianus Hæreticus judicatus, librum suum de Trinitate propria manu ab Episcopis igni dare coactus est, nullâ ipsi respondendi facultate, eò qvod disceptandi in eo peritia ab omnibus suspecta haberetur, concessâ. Celebratum esse id Concilium Anno 1120. non ut alii, 1139. vel 1140. probat Merlo.

§. XV. Qvæ cum ita sint, suspicor, Abelardum Anno 1119. Gvilelmo Campellensi in officio Rectoris Theologici successisse: atqve tanto magis æmulos ejus Albericum & Leutaldum, (qvorum uterqve discipulus Gvilelmi & Realium sectæ addictus fuit) ut eum loco moverent, laborasse.

§. XVI. Damnatus autem hoc pacto Abelardus in aliud Monasterium S. Medardi detrusus est.

§. XVII. Sed restitutus in suum S. Dionysii, inde rursus occasione controversiæ de S. Dionysio, Monasterii Patrono, qvem ille, motus *Au*ctoritate Bedæ, dicebat Corinthiorum fuisse, non Atheniensium Episcopum, profugus & exul factus est. Ac tandem hac lege absolutus â jugo Prælati sui, ut ubicunqve vellet, eremum peteret, modo nulli alteri Abbatiæ sese subjiceret.

§. XVIII. Itaqve in solitudinem qvandam Trecensis Dioecesis sese recepit, ibiqve Oratorium construxit A. 1130. SS. Trinitati dicatum, qvamvis postea *P*aracleti nomen illi indiderit. Hoc anno seqvente ab Innocentio II. confirmatum memorat Miræus f. 165. Conf. Magdeburgenses f. 3708.

§. XIX. Composuit ibi metrico stylo hymnos in hoc monasterio decantandos. (Append. ad Henr. Gandavensem f. 174.) Horum ego hactenus hymnorum nihil vidi, præter unicum, cujus initium

tium profert Alſtedius in Paratit. Theol. p. 180. Totum habes apud Siberum in Breviario Chriſtiano. p. m. 140. Sic autem incipit: *Mittit ad virginem, non qvemvis Angelum ſed fortitudinem ſuam, Archangelum, Amator hominis.*

§. XX. Sed neqve hic qvieto eſſe licuit. Unde poſtulatus Abbas in Britanniâ minore, in Dioeceſi Veneteniſi ad Abbatiam St. Gildaſii, vel ideo non detrectavit, ut æmulos inſidiatores declinaret.

§. XXI. Verum & ibi invenit, uti ait, Chriſtianos atqve Monachos, Gentibus longe ſæviores atqve pejores. Inde ergo digreſſus, Oratorium ſuum Paracletenſe repetiit, ibiqve Heloiſſam cum ſororibus, eò qvod Abbas St. Dionyſii Argentolium velut ſui juris vendicaret, cedere coactas, collocavit. Id Oratorium paulatim ædificiis & bonis auctum, in monaſterium evaſit.

§. XXII. Poſt hæc circa annum 1130. eum iterum in Academiam Pariſienſem rediiſſe, locoqve honorato in monte Genovefæ docuiſſe, è Sariſberienſi pro-

bari certò poteſt. Scribit enim hic Lib. 2. Metal. c. 10. ſe Anno altero, poſtqvam Rex Anglorum, Henricus rebus exceſſerit humanis, in Gallias migraſſe, & ad Peripateticum Palatinum, qvi tunc in monte S. Genovefæ clarus Doctor & admirabilis omnibus præſederit, ſe contuliſſe, ad ejusqve pedes prima artis dialecticæ rudimenta accepiſſe. Hæc de Henrico I. Anglorum Rege capienda eſſe, certum eſt. Eum vero Anno 1135. obiiſſe, teſtantur Sigeberti Continuator p. 117 & Calviſius Chronol. p. 918.

§. XXIII. Abelardus ergo, dum rurſus legit Pariſiis, maximamqve denuo poſt ſe ſociorum multitudinem trahit, novosqve edit Tractatus ac libros, videlicet Libros Theologiæ, Librum Sententiarum, & librum, cui titulus: Scito te ipſum: (ut colligitur ex Bernhardi epiſtolis, 188. 369. & 370.) in novos impegit errores, aut pridem damnatos ac rejectos reſorbuit.

§. XXIV. Merlo f. 39. hæc veluti in Oratorio Paracletenſi geſta, narrat. Id

unde

unde probare possit, ipse viderit. Iis sane, qvæ dixi, concinunt verba Saresberiensis d. l. ubi narrat, se post discessum Abelardi, qvi sibi præproperus visus sit, Alberico adhæsisse Magistro, qvem narraverat, se Parisiis (non in Monasterio Paracletensi) audivisse. Præproperum ait sibi ejus discessum visum. Non potuit alium significare discessum, qvam ad Synodum Senonensem, in qva damnatus, non rediit Lutetiam.

§. XXV. Cum hæc ita gererentur, Bernhardus Zelo fidei ac Religionis passim contra emergentes errores præmunire cœpit incautos librorum ejus lectores, & hominis prava dogmatizantis fautores præmonere, ut caverent venenum, qvod ille propinabat sub melle politioris Literaturæ, qvam complures tunc in Abelardo suspicere & admirari visi sunt. Henricus Senonensis apud Bernhardum Tom. I. f. 144. scribit ipsum secreto prius, ac deinde se cum duobus aut tribus adhibitis testibus juxta Evangelicum præceptum, hominem convenisse, &, ut Auditores suos â tali-

bus compefceret, librosqve fuos corrigeret, amicabiliter admonuiffe.

§. XXVI. Non ferebat Abelardus, argui fe ab Abbate, folitudinis ac nemorum incolâ, qvin & in Philofophia, ut ipfe putabat, Hofpite, eoqve fiduciâ eruditionis fuæ efferebatur, ut Bernhardum ad publicum in Concilio certamen provocare auderet, velut facilem fibi fpondens de tàm imbecillo adverfario victoriam; Securum qvoqve faciebat ipfum, qvoniam fciebat, Cardinales & Clericos Curiæ Romanæ qvosdam (inter hos Gvido fuit, tum temporis Prefbyter Cardinalis, ad qvem fcribit Bernhardus ep. 192) difcipulos fe habuiffe, â qvibus defenfionem fibi pollicebatur.

§. XXVII. Bernhardus pœnè detrectare conflictum vifus eft, nifi victus tandem hortatu & precibus Præfulum Galliæ, aut potius veritus, ne forte per fugam certaminis orthodoxa fides aliqvid labis, feu detrimenti caperet, aut ne fcandalum nafceretur in populo, aut ipfi Adverfario cornua crefcerent, acqvievit

qvievit congredi, non tàm armatus arte diſputandi, qvam DEI confidens adjutorio.

§. XXVIII. Congrediuntur ergo in Concilio Senonenſi, qvod ſub Innocentio II. (Platina & Sabellicus male hic nominant Lucium ſecundum) præſentibus Ludovico VII. Rege Galliæ, Theobaldoqve Palatino Comite; item Wilhelmo, Comite Nivernenſi, & aliis Nobilibus, Præſide Henrico Senonenſi Metropolitano, congregatisqve præter Epiſcopos & Abbates plurimis Viris religioſis, deqve civitatibus Magiſtris Scholarum & Clericis, literatis multis, de Populoqve innumeris, Anno 1140. (perperam Bernhardus Luzenburgenſis A. 1134. memorat) in octavis Pentecoſtes celebratum eſt, hinc Bernhardus, Abbas Clarævallenſis, inde Petrus Abelardus, reus hæreticæ pravitatis.

§. XXIX. Ab hac Synodo ad Pontificem ipſum appellavit Abelardus. Qvam appellationem reverentes Epiſcopi, Abelardum ipſum libere dimiſerunt, cum articulos ejus pridie ante fa-

ctam appellationem examinatos condemnavissent. Lege Bernh. Tom. I, f. 145.

§. XXX. De toto autem negotio binæ sunt ad Innocentium Papam missæ literæ, unæ ab Henrico Senonensi, alteræ â Samsone Rhemensi, Archiepiscopis, & ipsorum Suffraganeis seu Cöepiscopis, Posteriorem habes Tom I, Opp. Bernh. ep. 190. f. 82. Priorem ibid, f. 144. Nam & ipse eas conceperat Bernhardus teste Baronio f. 299.

§. XXXI, Imo Bernhardus ipse suo nomine scriptas tertias adjecit ad Pontificem, f. 81. & qvartas f, 144. n. 369. ad Haimericum Cardinalem & Cancellarium, misso insuper Romam Nicolao, Monacho Cisterciensi, qvi viva voce plura referret de Abelardo.

§. XXXII. Tribus epistolis ad se scriptis Pontifex unicâ epistolâ Universis inscriptâ respondit, Abelardiqve damnationem confirmavit. Habes eam apud Bernhardum Tom. I, f. 82. & Ottonem Frisingens. Lib. 1, de Gestis Friderici

rici. c. 48. (unde tranſcripſerunt Magdeburgenſes f. 1294.) & Baronium f. 299.

§. XXXIII. Dum hæc aguntur, anteqvam Epiſtola Papæ in Gallias afferatur, Abelardus appellationem proſecuturus, Romam verſus dirigens iter, divertit ad Cluniacenſe Monaſterium. Paulo poſt eodem venit Abbas Ciſtercienſis, pacem inter eum & Bernhardum conciliaturus. Cui rei cum & Petrus, Cluniacenſis Abbas daret operam, Abelardus ad Bernhardum ivit cum Ciſtercienſi, ſopitisqve prioribus qverelis ſe pacificè cum eo conveniſſe, reverſus ad Petrum retulit, â qvo admonitus, porro dimiſſis Scholarum & Studiorum tumultibus in Cluniaco perpetuam manſionem elegit.

§. XXXIV. Qvod ut facere ipſi liceret, precibus Petri Cluniacenſis ab Innocentio II. Papâ ipſi impetratum eſt. Qvæ res, opinor, ſic contigit. *P*oſt reconciliatum Bernhardo Abelardum, allatæ ſunt â *P*apa literæ binæ, qvarum unis Articuli Abelardi damnabantur, alteris includi Abelardus & Arnoldus

Brixianus, (qvi diſcipulus fuit Abelardi, & propter errores ſuos jam Anno præcedente Romæ damnatus erat vide Baronium f. 290) uterqve ſeorſim jubebatur. Arnoldus jam evaſerat; Abelardo ergo metuendum erat, ne eò duceretur, qvò ipſe nollet. Itaqve pro eo intercesſit Petrus Cluniacenſis, ut ipſi liceret in Cœnobio ſuo, qvod reliqvum eſſet vitæ, exigere, idqve impetravit. Epiſtolam integram Petri habes apud Baronium f. 301. qvi & f. 305. mentionem adjicit literarum Abſolutionis, qvas Abelardo Papa dederit.

XXXV. Ita manſit Abelardus Cluniaci, & ſub obedientia Abbatis vitæ reſiduum exegit, religioſis officiis, qvieti, patientiæ, humilitati & orationi deditus, inſigne exemplum relinqvens omnibus reſipiſcere volentibus, ut narrat Merlo not. ad Bernh. t. 39. & 40. qvibus conſentanea ſunt apud Baronium f. 302.

§. XXXVI. Eum, cum plus ſolito, ſcabie & qvibusdam corporis incommoditatibus gravaretur, Petrus pauſandi gratia Cabilonem in Monaſterium

S. Mar-

S. Marcelli misit propter illius soli amœnitatem. Ibi morbo ingravescente in brevi ad extrema perductus est *Anno* 1141. XI. Calend. Maji, Innocentio adhuc sedente, qva de re legi potest & Usserius in explicatione gravissimæ qvæstionis p 304. edit. Hanoveranæ.

§. XXXVII. Corpus ejus de loco, in qvo mortuus fuerat, transferens Heloissa, ejus olim Conjux in Cœnobio Paracletico collocavit, tumuloqve hoc Epitaphium apposuit:

Est satis in titulo: Petrus hic jacet Abaelardus,
Huic soli patuit scibile qvicqvid erat.

§. XXXVIII. Petrus vero Cluniacensis Abbas hoc eum ornavit Epitaphio:

Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,
Noster Aristoteles, Logicis, qvicunqve fuerunt,
Aut par aut melior: studiorum cognitus orbi
Princeps, ingenio varius, sublimis & acer,

Omnia

Omnia vi superans rationis & arte loqvendi
Abelardus erat , sed tunc magis omnia vicit
Cùm Cluniacensem Monachum moremqve professus
Ad Christi veram transivit Philosophiam,
In qvâ longævæ bene complens ultima vitæ,
Philosophis qvandoqve bonis se connumerandum
Spem dedit , undenas Majo renovante Calendas.

Aliud Epitaphium suggeret Usserius p. 304. non addens, unde.

§. XXXIX. Hæc de actibus vitæ Abelardi sufficiant, qvibus nunc addemus qvædam de ejus Discipulis, (Præceptores enim supra memoravimus) Oppugnatoribus, Libris, Erroribus & Judiciis super eo.

§. XL. Qvod ad Discipuols attinet, primam pono Heloissam , è Discipulâ Conjugem, de qvâ præter ea, qvæ memoravimus huc usqve, notetur, trium illam lingvarum peritam fuisse, testibus Miræo Tom. I. Bibl. f. 65, & Trithemio

in Chronico Hirſauvienſi; Verum ipſius nomen non dubito Loiſſam fuiſſe, i.e. Ludovicam.

§. XLI. Præterea memorandi veniunt è Diſcipulis ejus (1) Arnoldus de Brixia, qvem Magdeburgenſes fol. 848. recte faciunt παραστάτην καὶ συνεργὸν Abelardi. Nam & Bernh. Tom. I. f. 81. ejus Armigerum vocat. (2) Gvido de Caſtello, poſtea Pontifex, dictus Cœleſtinus II. Innocentii II. An. 1143. Succeſſor. (3) Petrus Lombardus, famoſus ille Pater Sententiarum. (Teſtis Fileſacus) (4) Johannes Saresberienſis. (de qvo ſupra) (5) Berengarius qvidam Pictavienſis, qvi & Apologeticum ſcripſit pro Præceptore, (Merlo not. ad Bernhard. f. 39. & Petrarcha Apologiâ contra Galli calumnias p. 173.) (6) Yvo Cardinalis, Tit. S. Laurentii & Damaſi (conjecturam faciente epiſtola ad eum Bernhardi Tom. I. f. 82.) (7) Gaufridus Antiſidorenſis, qvem & Ganfridum vocant (vide Magdeburgenſes f. 850. Trithemium de Scriptorib. Eccleſ. pag. 75. Nauclerum f. 184. Epiſtolas

Oeco-

Oecolampadii pag. 716 & Oecolampadium Dialogo de Evcharistia p. 74.)

§. XLII. Discipulos Abelardi excipiant ejus Antagonistæ. In Synodo Suessionensi An. 1120. oppugnatus est ab Alberico Rhemense, & Leutaldo seu Lotulfo Novariense, ut dictum supra §. 14.

§. XLIII. In Senonensi verò A. 1140. oppugnavit eum Bernhardus Abbas Claræ vallensis, (cum qvo tamen in gratiam rediit postea) accusavit etiam Norbertus, (Merlo not. ad Bernhard. f. 37. 39.) item alii Episcopi, qvorum Epistola ad Innocentium extat: Damnaverunt Henricus Archi-Episcopus Senonensis, Samson Archi-Episcopus Rhemensis; Joslenus Svessionensis, Gaufridus Catalaunensis, & Alvisus Atrebatensis, Episcopi.

§. XLIV. Contra Abelardum etiam scripserunt Gvilielmus, Abbas St. Theodorici, (Trithemius in Catalog. pag. 75. Labb. P. 1. de Script. Eccles. pag. 743. & seqq.) item alius Abbas, (Labb. d. l. p. 748.) & Ganfredus Antisidorensis, primum

mum Petri, post Bernhardi discipulus. (Trithemius ubi modo.)

§. XLV. Si Luzenburgensi & Prateolo credimus, contra Abelardum scripsit Anshelmus qvoqve Episcopus Cantuariensis epistolam, qvæ incipit: Dominis & Patribus & Fratribus omnibus Catholicis. Ejusdem Anselmi Monologium contra Abelardum citat Etherus pag. 75. Sed falsum est, Anselmum hunc contra Abelardum scribere potuisse, qvippe qvi obierit, anteqvam Abelardus fieret Hæreticus. Scripsit tamen contra Rucelinum, Præceptorem Abelardi. Videndum ergo, an forte pro Cantuariensi substitui debeat Laudunensis Anselmus. Nam & alia hujus Laudunensis inscripta sunt Cantuariensi. Vide Miræum Tom. I. Bibl. f. 168.

§. XLVI. Qvod ad Libros Abelardi attinet, memorat Miræus d. l. fol. 167. editam esse Lutetiæ, & ad Manuscriptos Codices studio Martini Marerii & Andreæ Qvercetani recognitam Bibliothecam Cluniacensem. In hac suspicor, opera qvædam Abelardi extare, & huc refero, qvod notas Andreæ Qvercetani ad Abelardum

lardum citat Merlo Introduct. ad Bernh. fol. 113.

§. XLVII. Amboesius qvoqve opera Abelardi conqvisivit, è pulvere eruit, emendavit, publicavit, ratus, se bono aliqvo genio & divino impulsu ad id excitatum, cum aliàs libri isti tanqvam horrendi criminis Carmina voracibus rogis cremata essent; cujus verba vide apud Merlonem not. ad Bernh. f. 38.

§. XLVIII. Ego, qvi nec Amboesii, nec Qvercetani editionem viderim, hic memorabo illos libros Abelardi, qvorum ad me notitia pervenit.

§. XLIX. Scripsit ergo librum de Trinitate, qvem in Synodo Suessionensi damnatum & combustum memoravimus supra. Sed ille tamen â mortuis postea surrexisse scribitur apud Bernhardum p. 191.

§. L. Scripsit præterea Theologiam suam, qvam Bernhardus tùm alibi memorat, tùm Tom. IV. f. 114. ubi etiam potius Stultilogiam vocat. Introductionem Abelardi in Theologiam citat Launoy p. 31. de fortuna Aristotelis.

§. LI.

§. LI. Scripſit præterea Librum Sententiarum ſuarum (Bernh. d l.) & Librum, qvi inſcribitur : Scito teipſum, (Idem Tom. I. f. 80. 82.) & expoſitionem epiſtolæ ad Romanos, (Idem Tom. IV. f. 114.) Metrico autem ſtylo hymnos in monaſterio , qvod vocatur παρακλήτε decantandos, de qvibus ſupra.

§. LII. Etiam ſcripſit Hiſtoriam calamitatum ſuarum, (Merlo not. ad Bernhard. f. 39.) Epiſtolas, (qvas citat Fileſacus pag. 356. in marg.) Apologeticum, (Magdeburgenſ. f. 1296.) & alia qvædam non nominata; (Trithemius in Catalog. p. 74. Bernhardus Tom. IV f. 117.) inter qvæ forte amatoria qvædam, ut colligere licet è Gerſone P. 4. Opp. f. 213. a.

§. LIII. Nunc ad errores ejus veniamus, qvos ne ipſo qvidem, qvo vixit ſeculo, omnibus notos fuiſſe, patet ex epiſtola Gaufredi ad Cardinalem Albanenſem, eorum, ut apparet, non ſatis peritum, eâqve de re tota è Gaufredo ſciſcitantem , de qva Baronium vide fol. 367.

§. LIV. Ac in Synodo qvidem Suessionensi damnatus eo est, & Sabellianismi notatus, qvod dixerat: Sicut eadem Oratio est Propositio, Assumptio & Conclusio: ita eadem essentia est Pater & Filius, & Spiritus, tres Personas S S. Trinitatis nimis attenuasse visus. (Magdeburgens. f. 849.)

§. LV. Errores, ob qvos Abelardum accusavit Bernhardus, & ob qvos haud dubie in Synodo Senonensi damnatus est, colligere licet ex Bernhardo. Otto qvidem Frisingensis apud Magdeburgenses d. l. & f. 1296. eos sic edisserit: (1) Qvod Pater sit plena potentia; Filius qvædam Potentia; Spiritus S. nulla potentia. (2) Qvod Spiritus S. non sit de substantia Patris. (3) Qvod Spiritus S. sit anima Mundi. (4) Qvod Christus non assumserit carnem, ut nos â jugo Diaboli liberaret. (5) Qvod non peccaverint, qvi Christum ignorantes crucifixerunt. Hos omnes errores, qvinto excepto, Bernhardus in Epistol. ad Innocentium Papam illi objicit.

Cœ-

§. LVI. Cœterum ex eadem Epistola libet aliorum qvoqve errorum â Bernhardo ipsi exprobratorum sementem facere hanc: (1) Spiritum Timoris Domini non fuisse in Domino. (2) Timorem Domini castum in futuro seculo non futurum. (3) Post consecrationem panis & Calicis, priora accidentia, qvæ remanent, pendere in aere. (4) Dæmonum in nobis suggestiones contactu fieri Lapidum & Herbarum. (5) Fidem esse æstimationem.

§. LVII. Ex Magdeburgensium fol. 849. cœteris erroribus etiam potest hic adjungi: Totum, qvod Deus est, humanâ ratione comprehendi posse.

§. LVIII. Non dissimulandum h. l. plane alios errores ab hactenus commemoratis tribui Abelardo apud Luzenburg. p. 33. Sunt autem isti: (1) DEUM non posse facere, nisi qvæ facit propter ordinem Justitiæ & Sapientiæ ejus, vel agere eum ex necessitate naturæ. (2) DEUM non esse Auctorem omnium bonorum. (3) DEUM non videri per essentiam â Beatis. (4) In DEO esse

compositionem. (5) Aliqvid præter DEUM esse æternum. (6) Aliqvid esse, qvod non sit Creator, nec Creatura. (7) Angelos aliqvid creare.

§. LIX. Ac videri vult Luzenburgensis, hæc hausisse è Petro de Pergamo in tabula circa opera B. Thomæ. Sane ex Bernhardo haurire hæc non potuit, apud qvem de his erroribus Abelardi altum est silentium. Ex Luzenburgensi verò suspicor hausisse Prateolum, qvi hæc tantum non iisdem verbis de Abelardo exeqvitur. Qvid autem fit, qvod idem Prateolus hos eosdem errores Arnaldistis (h. e. Arnoldi de Brixia sectatoribus) tribuerit, exputare satis nondum possum. Ac fortasse, cum Arnoldus ille, Socius alioqvi Abelardi fuerit, horum inter se nomina permutata sunt.

§. LX. Superest, ut Judicia de Abelardo qvædam subnectamus: Ingenium ipsi, docendi ac disputandi facultatem, Eruditionem philosophicam, atqve imprimis Dialecticam, diligentiam item hinc inde ipsi tribui videas, id qvod ad virtutes ejus pertinet.

§. LXI. Vicissim ad reprehensionem ejus facit, qvod in ipso superbiam notant, ac studium Novitatis, nimiamqve Mysteriorum scrutationem, qvæ tandem in Philosophiæ cum Theologia confusionem abierit.

§. LXII. De Superbia videndus Otto Frisingensis, de studio Novitatis Gaufridus in vitâ Bernhardi, fol. 33. Sigeberti Continuator p. 118. Trithemius in Chronic. Hirsauviensi & de Scriptor. Ecclesiastic. Magdeburgenses f. 848. Causinus p. 171. de nimiâ curiositate & utriusqve Disciplinæ confusione. Idem Trithemius de Scriptor. Eccles.

§. LXIII. Atqve ad hunc postremum locum etiam hæc faciunt Magdeburgensium l. c. *Apparet, eum dogmata Ecclesiæ ad Philosophiam accommodasse, & terminis philosophicis exposuisse.* Illud item Mornæi de Mysterio iniqv. pag. 686. *Ut Bernhardus è vita excedit, Abelardi Schola in Scholasticis continuatur, qvi ejus methodum ita secuti, ut illorum Pater jure agnoscatur.*

§. LXIV. Horum ergo testium autoritate Scholasticæ Theologiæ prima origo in Abelardo locanda videtur, idqve eò magis, qvia constat, Discipulum ejus Lombardum ex Theologicis Præceptoris Tractatibus non pauca mutuatum esse, omisſis scilicet iis, qvæ in Abelardo, tanqvam errores, damnata fuerunt. Filesacum inspice p. 357.

§. LXV. Nec omnes tamen Abelardi scopulos vitavit ipse, aut illa Scholasticorum Theologorum secta. Nam Pelagianos errores, qvos in Abelardo damnaverat Bernhardus, isti paulatim incrustarunt. Conf. Mornæum l. c.

§. LXVI. Castigandus hic est error Mart. Richteri, qvi in Chronic. p. 151. vult, Abelardum restitisse Theologiæ Scholasticæ, qvod contra dictum oportuit, ut è dictis manifestum.

§. LXVII. Verba ejus hæc sunt: Nachdem auch die Mönche eine neue Philosophiam Realium erfunden: Hat Gott viel gelehrter Leute erweckt / die als Sterne in der finstern Welt geleuchtet haben. Petrus Abelardus ein alter gelehrter Mann/

Mann / wie man schreibt / eines heiligen Lebens (scilicet post castrationem) hat wieder die neue verführische Sophisterey gestritten (laus hæc Bernhardo potius vindicanda) und nicht wollen zulassen / daß im Sacramento Altaris accidens sine subjecto sey. (de hoc postea videbimus.)

§. LXVIII. Idem p. 156. sic scribit: Von diesen dreyen (Lombardo, Comestore und Gratiano) ist die Transsubstantiation in Gang und in ihre Würckung kommen / darwieder Almericus, Abelardus und Baliardus zu Pariß geschrieben.

§. LXIX. In his nihil est fere sani. Nam (1) male Almericum præponit Abelardo, cum Abelardus Almericum seculo prope præcesserit; (2) male Abelardum â Baliardo distingvit; Nam Baliardus idem cum Abelardo, qvod intelligi poterit è Sabellico, Ænead. 9. lib. 4. fol. 367. item ex Prateolo. (3) malè Abelardum ait scripsisse contra inventa trium illorum, Lombardi, Comestoris & Gratiani, qvi, ut inter se coævi, sic Abelardo paulo posteriores omnes fue-

re. Lombardus enim Discipulus fuit Abelardi.

§. LXX. Sed tentemus invenire, qvid Richterum seduxerit, ut crederet, Scholasticæ se Theologiæ opposuisse Abelardum. Putavit enim Transsubstantiationem impugnasse, qvod & ipsum falsum. Sed unde hoc sibi persvasit Richterus? Vix dubitem, qvin ex eo, qvod in Evcharistia accidens negaverit esse sine subjecto. Verùm tantum abest, ut hoc Transsubstantiationi opposuerit Abelardus, ut potius præsupposítâ Transsubstantiatione, cum crederet simul, accidens sine subjecto remanere non posse, inqvisiverit in Subjectum illorum in Eucharistia accidentium: Atqve id statuit esse Aërem. Habes hoc expresse in erroribus ejus, qvos supra colligebamus ex Bernhardo.

§. LXXI. Expungendus ergo Abelardus è Catalogo Testium Veritatis, in qvem erat imprudenter admissus â Richtero talium rerum Scriptore aliàs neutiqvam incurioso, & ob id nobis charo.

Re-

Relinqvendus ille potius in Catalogis Hæreticorum.

§. LXXII. Atqve ut jam de erroribus tandem ejus dicamus, Sabellianum Hæreticum judicatum eum fuiſſe An. 1120. in Concilio Sveſſionenſi, ſupra dictum eſt. Ac docuit me Salabertus qvoqve pag. 124. de Nominalibus, qvod Sabellianiſmi poſtulentur & Nominales. Bernhardus vero eum cum Arrio, Pelagio, Neſtorio ſapere convicit Ep. 121. Neqve eum Pelagianiſmi abſolvit Mornæus in Myſt. Iniqvit. pag. 186. Unde merito in Catalogo Hæreticorum eum reponunt Luzenburgenſis, Prateolus, Petrejus, Ederus, alii.

§. LXXIII. Reperiuntur tamen, qvi ejus ſuſcipiant Patrocinium in hoc negotio, exemtumqve velint Catalogis Hæreticorum. Sed hi diverſâ procedunt viâ.

§. LXXIV. Alii enim ideo ipſi parci volunt, qvia Synodis Eccleſiæ acqvieverit, pœnitentiamqve egerit, & ita perſeveraverit usqve ad finem. Vide

§. LXXXI. Deinde hoc ipſum facies librorum ejus hodierna videtur approbare. *Nam cùm Bernhardo conciliaretur*, (verba ſunt Merlonis f. 38.) *ſancitâ per mutuos & fraternos amplexus amicitiâ, pollicitus eſt, ſe, qvæ Catholicas aures offendentia in ſcriptis ejus reperirentur, obductâ ſpongiâ abraſurum.* At nihil eorum abraſum eſſe de Libris, teſtantur ii, qvos nobis Apologiſta recens edidit.

§ LXXXII. Non me latet, qvid hic regeri qveat: in ſuo exemplari Abelardum errores confodiſſe, cœtera in latibulis poſſidentium manſiſſe, qvalia fuerint ab initio; Et ex his unum ad Amboeſium qvoqve, qvi proferret in lucem, fuiſſe conſervatum.

§. LXXXIII. Dicuntur hæc ſanè non improbabiliter, ſed ſimultandi animus fuit Abelardo, qvi ſciret, ſcripta ſua jam veniſſe in manus multorum, (nam & in Curia Romana legebantur) Debuit libellum ſaltem edere Retractationum; Id verò tantum abeſt, ut fecerit, ut pro Retractationibus Apologeticum ſcripſerit, in qvo, teſte Merlone, qvi tamen cre-

dit

dit pœnitentiam Abelardi, non tàm retractavit, qvæ male docuit, qvàm inficiatus est, se talia docuisse.

§. LXXXIV. Qvod si qvis ipsius Petri Cluniacensis locum de hoc Negotio apud Baronium f. 301. inspiciat, sic tandem rem totam esse gestam suspicetur: Auditum erat, ex mandato Papæ debere includi Abelardum in Monasterium, qvod placeret Bernhardo & Episcopis. Frustra appellasset, jam â Papa damnatus. E duobus ergo alterum erat faciendum, ut aut iret in carcerem, aut pœnitentiam simularet. Nam ut seriò ageret, in animum hic relapsus non abduxit. Dedit ergo operam potius fucatæ reconciliationi, cujus spes tanto major, qvod ipse ad pacem ab Abbate Cisterciensi, qværeretur. Porrò, ut ipse fuit sublimis ingenii, facile potuit persvadere Bernhardo verborum fallaciis, ut ipsum is crederet errores suos detestari, aut sic credere, qvemadmodum Bernhardus. Ipse interim nihil aliud qværebat, nisi ut ne â Bernhardo manciparetur Carceri. Id ergo istâ simulatio-

latione obtinuit. Favit autem illi in hoc proposito Petrus Cluniacensis, qvem vel hoc poterat movere, qvod eo pacto crederet, Monasterio suo aliqvid famæ accedere, si Philosophum tam acutum nutriret, cujus affectus sunt & qvædam indicia in verbis Petri: aut optabat ita pensare damnum, qvod abstracto Roberto fecerat sibi Bernhardus, cum qvo aliqvid æmulationis intercessisse etiam huic Petro videtur. Itaqve supplicavit Papæ pro Abelardo, ut qvandoqvidem cum Bernhardo reditum esset in gratiam, & ejurati errores, liceret ipsi pro carcere inhabitare Cluniacum. Huic petitioni assensus est Papa. Hæc si hunc in modum exponamus, narratio Petri Cluniacensis optimè conciliabitur cum narratione Ottonis Frisingensis & ipsa fide oculorum.

§. LXXXV. At, inqvies, seriò egisse pœnitentiam Abelardum, vel acta ejus deinceps vita persvadeat, cujus extremum actum è Petri Cluniacensis Epistola ad Heloissam mortuo Abelardo scriptam, repetit Baronius.

Ve-

§. LXXXVI. Verum hic oportet meminisse, (1) hæc scripta esse ab eo, qvi ex Abelardo qværeret Monasterio suo famam; ab eo, qvi Abelardo potius æmulatione Bernhardi, qvam merito hominis favisse videtur; ab eo, qvi mortis Abelardi non oculatus fuit, sed auritus testis. (2) Scripta hæc esse ad Eloisam, Abelardi è scorto Conjugem; è Conjuge post exsectionem Mariti Abbatissam factam, non religionis devotione, sed jussione Ex-mariti: cujus tamen, etiam dum in Mònasterio vivit, malle se scribit meretricem dici, qvam Augusti Imperatoris Imperatricem, (vide Merlon. not. ad Bernh. f. 39.) Dignum patellâ operculum. Digna talis Abbatissa, cui talis Sancti legenda commemoraretur; digna, cujus precibus â Petro Cluniacensi salus Abelardi mortui committeretur.

§. LXXXVII. Utiqve Abelardus, qvi potuit, cum primùm ingrederetur Monasterium, simulare pietatem & pœnitentiam, â qva tamen esset animus alienus:

nus: cur non eandem poſt tàm abominandas hæreſes (negaverat enim, Chriſti mortem eſſe expiationem pro noſtris peccatis) ſimulare, aut in reprobum ſenſum dari potuerit, non video.

§. LXXXVIII. Ipſe Baronius converſionem ejus valde mirandam eſſe, dicit f. 302. plane opinor, ipſam non crediturus, niſi danda eſſet opera Pontificiis, ut honor illi ſuus conſtet, â qvo ipſi errores Pelagianos didiciſſent.

§. LXXXIX. Ergo ad extremum de Abelardo ſic judico, fuiſſe eum ingenii ſubtilis, diligentiæ pertinacis, docendi ac diſputandi egregie peritum: Sed donis â DEO ſibi conceſſis abuſum eſſe ad ſcrutandam Majeſtatem ultra, qvam fas eſt homini: eâ remeritum, ut in deterrimos eum errores incidere permitteret DEUS: hunc ejus lapſum certum eſſe; an ab hâc ruinâ ſurrexerit, incertum oppidò; Qvicqvid ſit, Judicio illum DEI relinqvendum, errores autem omninò deteſtandos eſſe, ſive correxerit eos, ſive in iis perſeveraverit.

CA

CAPUT VII.

Berengarius Hæreticus, distinctus à Berengario, discipulo Abelardi, contra Gersonem.

(Eodem Autore.)

* *Constitueram eqvidem observationes quasdam seu conjecturas historicas ad præcedentem Abelardi vitam subjungere, eò tendentes ut in ipsis punctis vitæ Abelardi, prout ea à B. Patre allata sunt, ostenderem subinde latere varia momenta vel defendendi Abelardum, vel excusandi, vel rem quæ de eo narratur, de jure vocandi in dubium. Sed cum jam qvidem otium sufficiens ad hanc rem deducendam non sit, differam institutum hoc in alium mensem qvendam, si Deus voluerit. Interim qvæ de Berengario discipulo Abelardi Pater conceperat, corollarii qvasi qvendam locum ad Abelardi vitam occupare non indecenter posse, visum est.*

§. I.



JOhannes Gerson Tractatu contra Romantium de Rosa, qvi extat Tom. IV Opp. ejus, Alphabeto 69. lit.

f. & seqq. Berengarium Hæreticum discipulum facit Petri Abelarti, h. e. Abelardi. Ac memoratur qvidem Berengarius qvidam inter discipulos Petri Abelardi, qvi & Apologeticum scripserit pro Abelardo contra Bernhardum. Sed is omninò ab illo famoso Hæretico distingvendus videtur.

† Verba Gersonis hæc sunt lit. Q. fol. 212. *Id scio, qvod Berengarius, Petri Abelart discipulus, (cujus meministi sæpius) cum ad horam mortis devenisset, in qvâ veritas declarat hunc, qvi bene fecerit, eratqve dies apparitionis Domini nostri, suspirando dixerit: Deus meus (inqvit Berengarius) hodie mihi apparebis ad meam salvationem (ut spero) propter pœnitentiam meam, aut ad duram damnationem (sicut timeo) propter eos, qvos perversâ doctrinâ decepi, qvos neqvivi reducere ad veram viam tui sacramenti.*

§. II. Nam (1) discipulus ille Petri Abelardi, patriâ Pictaviensis fuit, (teste Petrarcha in Apologia contra Galli calumnias pag. 173.) Hic vero Turonensis, (Baronius Tom. XI. Annal. ad An. 1035. num. 1. f. 130. & ad Annum 1059.

num.

num. 11. fol. 271. & Perusin. Epit. Annal. Baron. pag. 738. Magdeburgens. Cent. 11. fol. 656. Bernh. Luzenburg. Catal. Hæret. pag. 14.

§. III. (2) Berengarius Hæreticus mortuus est Anno 1088. (Baron. sub hoc anno, num. 15. fol. 633. Petrej. Catal. Hæret. pag. 32.) Atqvi Abelardus sub initium demum seculi seqventis XII. discipulos habere cœpit (vid. cap. præc. §. 10.)

§. IV. *Ut adeo citius suspicari possis, Hæreticum* Berengarium Abelardi fuisse Patrem, (Nam & Pater Abelardi Berengarius memoratur cap. præced. §. 5.) qvam discipulum.

§. V. Sed tamen & Pater hic Abelardi â Berengario Hæretico, qvippe qvem narrant tàm caste vixisse, ut nullam fœminam passus sit in suum venire conspectum, (Magdeb. Cent. 11. f. 658.) discernendus erit utiqve.

§. VI. Ita tres conficiemus Berengarios, (qvanqvam & plures fuerunt, deqvibus hîc non ſum ſollicitus) unum Hæreticum illum, Turonenſem patriâ, Archidiaconum Audegavenſem; Petri Abelardi Patrem alterum; Diſcipulum, eumqve Pictavienſem, tertium, &c.



MAR-



MARTIUS.

CAPUT VIII.

De Libello, cui titulus: ISAACI CASAUBONI CORONA REGIA.



St Historia instrumentum commune omnium disciplinarum ad veritatis indagationem tendentium, eadem tamen tot falsitatibus conspurcata passim est, ut lynceis oculis opus sit, si verum à falso discernere velis. Ex merito assertionem hanc illustrare, instituti nostri ratio jam non patitur. Possemus

aliàs facilè ex antiqvâ pariter & modernâ historiâ colligere myriadem exemplorum. Considera saltem vitam Mariæ Scotiæ Reginæ, ab Elisabetha, ut notum, ad gladium damnatæ. Buchanano si credas, non fuit unqvam crudelior & scelestior fœmina: nulla contrà sanctior, aut certè simplicior & infelicior princeps, si vitam ejus ex Scriptoribus Pontificiis haurias. Nec discernere facilè poteris utra pars veritatem præ alterâ dixerit. In utrisqve enim deprehendere licet infinita affectuum â veritatis semitâ abducentium vestigia, hinc amoris, illinc odii nimii. Utrobiqve eadem recensio rerum gestarum publicè, Sed consilia prævia, & circumstantiæ, qvæ potissimam factis, ut ita loqvar, tincturam moralitatis dant, qvæqve absqve teste aut certe in secreto cum aliis gesta sunt, ita mutantur ab utraqve parte, ita colorantur, ut, cum probationes utrobiqve deficiant, nescias utra pars historiam narret, utra fabulam. Neqve miraberis qvomodo hoc fieri possit, ut ex iisdem factis publicè notis retentis di-

ver-

verſisſimæ & contradictoriæ concluſiones inferantur, ſi exactè vim axiomatis vulgati noveris, minimam circumſtantiam variare jus; ſi elegantisſimum exemplum Magni Principis penſitaveris, in Octaviâ ſuâ Germanico idiomate conſcriptâ ex Meſſalinâ & Locuſtâ iisdem, factis, qvæ Tacitus, Svetonius, aliiqve Hiſtorici, de bigâ hâc fœminarum libidine & veneficio famoſisſimarum narrant, retentis, & paucis ſaltem circumſtantiis rerum clanculum geſtarum additis, ideas qvaſi *fœminarum innocentisſimarum & maximè Chriſtianarum*, maximo *artificio fabricantis*. Non minor de Eliſabetha eſt diſſenſio à Cambdeno & aliis ad invidiam laudatæ, vituperatæ rurſus ad exceſſum usqve à Pontificiis. Nec melius, ſi non pejus fatum Jacobum Mariæ Scoticæ filium, Eliſabethæ ſucceſſorem excepit; Puritanis enim, qvos ipſe valde oderat, rurſus exoſus. Id in cauſa eſſe arbitror, cur in variis libellis qvi de motibus præſentibus in Angliâ publicè proſtant, Jacobus paſſim malè audiat, qvod Pontificiis clam plus juſto faverit,

& vel negligentiâ vel datâ operâ in pactis dotalibus filii cum Principe Gallicâ nimis admittendo insidias Pontificias asturissimè structas, causam præbuerit, subsecutarum turbarum hodiènum durantium. Episcopales contrà, qvibus publicè favebat Jacobus, virtutes ejus & sapientiam in cœlum extollunt, vel virtutes Regum ex aptitudine libros edendi, vel sapientiam librorum ex dignitate Regiâ æstimantes. Inter hos & Casaubonus fuit, cui multis beneficiis Jacobus erat cognitus, qvemqve non à vero absimile est, Regem in editione librorum adjuvasse. Qvos inter cum nonnulli etiam adversus Pontificem & Pontificios directi essent, facilè prævidere est, qvam hæc res Camarinam Cleri Pontificii adversus Jacobum pariter & Casaubonum moverit. Prodiit liber Anno 1607. cui Titulus: *Triplici nodo triplex cuneus, sive Apologia pro juramento fidelitatis adversus duo Brevia Papæ Pauli V. & recentes literas Cardinalis Bellarmini ad Georgium Blackvellum Angliæ Archi-Presbyterum scriptas*, cujus autor Jacobus Rex fuit, & de qvo plura

vide

vide ap. *Placc. de Anonym. detectis num.* 117. ubi & ſimul refert, qvæ ſcripta ab utraqve parte in hâc controverſiâ ſecuta fuerint. Qvemadmodum autem â tempore reformationis in Anglia omnia tentata fuerunt â Pontificiis & Jeſuitis potiſſimum, ut turbæ dentur in Anglia ac Reges populo exoſi redderentur, ita & non erubuerunt, prout genius ſectæ eſt, eum in finem & horrenda mendacia effingere ac publicè diſſeminare. Pertinet huc, qvam vides Iſaaci Caſauboni Corona Regia, in qvâ ſub fabulâ, ac ſi fragmentum id eſſet panegyrici, qvem Caſaubonus Regi paraſſet, repertum poſt mortem ejusdem in ejus Schedis, truculentiſſimo & impudentiſſimo more, qvicqvid unqvam colligi potuit veneni virulentiſſimi, in Jacobum, Caſaubonum, imò & Henricum, Eduardum, Eliſabetham &c. evomitur. Autor ejus Gaſpar Scioppius eſſe fertur, Apoſtata & Canis notiſſimus, nec improbabiliter. Eodem enim anno aliud non diſſimile ſcriptum adverſus Caſaubonum edidit, ſub titulo: *Holofernis Kriegsoederi, Landsber-*

gâ Bavari responsio ad Epistolam Isaaci Casauboni, Regis in Angliâ Archi-Pædagogi pro Viro Clarissimo Gaspare Scioppio. vide Placcium *in Catalogo Pseudonymorum num. 532*, & adulabatur tùm temporis Scioppius adhuc Jesuitis. Miror tamen qvod de Corona hâc Regiâ nihil deprehendam notatum esse nec â Placcio, nec â Deckherro nec ab aliis qvi Catalogum librorum Pseudonymorum dederunt. Nec deprehendo aliqvid de eo in Collectaneis Patris, qvamvis multa & de Casaubono & de Scioppio collegerit. Unde videtur admodum rarum esse scriptum hoc. Sexennium est & qvod excurrit, cum id Lipsiæ Vir qvidam Celeberrimus Magni Regis Magno Status Ministro communicaret, à qvo cum accepissem, ut commodanti restituerem, curavi id ab Amanuensi describi. Sollicitatus interea sœpius à variis, de eo ipso communicando, deprehendi, plerosqve in eâ esse opinione, ac si magna arcana inibi contineantur. Ita enim cum mendaciis & calumniis comparatum est, ut qvò magis supprimantur aut confiscentur, eò magis

gis ſibi perſvadeant curioſiores homines veritatis aliqvid ſubeſſe, ac eò carius eadem æſtiment, præprimis cum experientia teſtetur, ſœpiſſimè, etiam inter Protestantes, libros optimos, eruditisſimos & piiſſimos à peſſimis, inſulſisſimis & impiiſſimis hominibus ſupprimi. Hos, ut re ipsâ erroris convincam, Typographo exemplar meum dedi, ut ejus publicatione pretium libello ſceleſtisſimo detraheret, ſimulqve ut infamia hominum adhuc dum ſimilia in Reges & Principes tentantium ſimul magis publica reddatur. Scripſit inter alia Infamiam Famiani Scioppius. Majore jure poſſes ſacrum hunc libellum titulo Infamiæ Scioppii inſignire. Admiranda eſt Providentia Divina. Criminata eſt illo tempore Jacobum ſecta Eſavitica, ac ſi ſuppoſitus eſſet partus, non genuinus Mariæ filius, à Presbytero prognatus; Hodiè vero crimine ſectæ ſacerrimæ filium Jacobo ſuppoſitum eſſe, orbis novit Europæus. Igitur ut venenati homines ex libellis optimis venenum exprimunt, ita noſtrum erit, ex venenato hoc libello medicinam

&

& sapientiam nobis parare. Consideremus, qvàm facile homo ambitioni deditus eò impudentiæ prolabatur, ut dum vindictæ studet, propriam mendaciis suis prodat orbi turpitudinem, atqve arrogantiam & vindictæ cupidinem eò magis à nobis repellere studeamus. Concludamus, non fuisse eqvidem Jacobum exemplar Virtuosi aut Sapientis Regis, ac forte prudentius fecisse, si Regis eruditi nomen non affectasset; interim tamen eundem ad bonos Principes, (prout boni principis vox communiter usurpari solet) fuisse referendum vel ex eo inferamus, qvod Bestia rabidissima omnia conqvirendo, qvæ ad ejusdem vituperium facere possunt, ac formam ejus, actionesqve indifferentes vel maximè traducendo, nihil tamen afferre potuerit, qvod verosimilem aliqvam suspicionem, apud homines affectibus vacuos valituram, adversus Regem excitare aptum sit. Nam Calumniis ejusmodi & mendaciis, qvibus etiam sanctissimorum hominum vita fuit impetita & adhuc impetitur, non trahetur in partes animus veritatis amans, qvin otius id efficitur nefando isto modo, ut & verum qvod calumniis immiscetur, veritatis speciem amittat. Homo fuit Jacobus, non virtuosissimus fuit. Esto. Nunqvam tamen talis ac tanta fuit bestia, qvantam seipsum per hoc scriptum, qvamvis præter intentionem, depinxit Scioppius, de cujus vitâ aliàs fortè plura.

JS. CASAU.

IS. CASAUBONI CORONA REGIA.

Id est

PANEGYRICI CUJUSDAM VERE AUREI,

Qvem Jacobo I. Magnæ Britanniæ, &c. Regi, Fidei defensori delinearat,

FRAGMENTA,

Ab EUPHORMIONE inter Schedas τοῦ μακαρίτου inventa, collecta, & in lucem edita

M. DC. XV.

Pro officina Regia JO. BILL.
LONDINI.

EUPHOR-

EUPHORMIO
LECTORI S. D.



Arum, me hercules clarisſimis JS. Caſauboni manibus Pallas deberet, niſi pari nexu Religio obſtricta eſſet. Nemo hoc fuit ſeculo, qvi tantam literarum famam, ut Diis impenderet, generoſius contempſit, aut qvi magna moliens felicius ingenii patrocinium invenit. Atqve in eo jam conſiſtit poſtuma non minus pii qvàm docti viri gloria, qvod cũ potuerit in humanis ſtudiis eximius eſſe, videri induſtri9 in divinis voluit. Hoc qvam rarum ſit, omniũ penè terrarum perverſitas oſtendit: alii enim homines, cum graviſſimis ſcientiæ armis de Religione præliantur, moroſè ad utilitatem Muſarum animum demittunt: alii inutili induſtria teneri ingenia putant, qvoties ex hortis & amœnitatibus egrediuntur. A Theologia igitur ad literas

teras redire paucorum eſt, â literis ad Theologiam tranſcendere tentarunt plures, ſed infeliciter: adeo rarum eſt, placere bono numini, aut cum ſcribendum eſt, à Principe ſive Rege occupari. Jacobo Auguſtiſſimo Britanniarum Monarchæ, (qvo majorem ſol non vidit) felicitatem ſuam Caſaubonus debet; cujus cùm adoraret exemplum, humaniſſima liberalitate traduci ad qvamcuuqve doctrinæ ſpartam potuit. Poſtqvam Rex Divinum, Miniſter Scriptor Regium uſurpavit munus, tantis auſpiciis res ab omni ævo maxima agi cœpit, ut jam ſciat Europa, qvæ virtutes dignum cœlo Jacobum faciant, & qvod obſeqvium tanto Regi Caſaubonum commendarit. Sed, proh dolor, triſtiſſimi injuria fati pulcherrimis conatibus intervenit, rapuitqve Virum, qvem nec ulla unqvam Theologia ſatis deflebit, nec omnes ſive Latinorum ſive Græcorum literæ, Eccleſiæ poſt XVI. ſecula adhuc novæ reſtituent. Qvid ſperandum erat, confutati unius præcipuè

Cro-

Croni Senis annales indicant: omnem antiqvitatem Chriſtianam ſitu pudendo ſqvallidam, & tot ſecula perverſiſſimorum rituum ærugine obductam ad incudem acris induſtria revocabat. Deleri poterat, qvicqvid in damnum humani generis credula opinione invectum erat. Sed tanqvam ſine Vulcano tota Cyclopum officina refrixiſſet, omnium laborum deſignatio inter fumũ flammamqve hæſit: nec opera, ſed Fragmenta relicta ſunt: Alibi ferrum ſemiſubactum adhuc reqvirit formam ſuam; alibi & auri ſplendor igni corruptus & fuligine impeditus abſcondit pretium. Atqve mihi contrectanti tam ſacras reliqvias, Corona aurea ingentis pretii, ſed adhuc imperfecta occurebat, ab artifice ingenioſiſſimo in XII. radios deſignata. Nihil aut majori curâ aut ſubtiliori arte tentari potuiſſet: ut videri auctor poſſit, qvia rem viribus ſuis majorem aggreſſus erat, tanto operi intermortuus. Operæ pretium arbitror, ſine verborum involucro myſterium publicâ cognitione digniſſimum explicare.

care. Isaacus Casaubonus postqvam in Britanniam venit, & in regiam doctrinæ scenam prodiit, primum Theologi putavit munus esse Regi placere; hunc velut Deo proximum & Ecclesiæ caput in terris censeri. Tantis igitur laudibus Panegyricum instruere cœpit, tamqve alto omnium virtutum fastigio Jacobum collocavit, ut de numine deinceps possimus dubitare. Non eousqve Trajanum suum Plinius evexit, licet optimum; non Julianum Mamertinus, qvamvis doctissimum: non idem Maximilianum, etiamsi Herculeum. Multa enim & præclara *illi dixere*; sed nihil Casaubonus mentitus est. Potuit absolutissimis encomiis & indulgere affectui suo, & veritati satisfacere; cum difficillimum esset, laudare omnia, nec tamen adulari. Dubites medius fidius, eloqventior fuerit, qvia sic scriberet; an felicior, qvia de tali Rege: cui cum solus sufficeret, reliqvis omnibus Musarum Mystis silentium imperavit. Vera virtus in uno Jacobo reperta fuit; non igitur ab alio qvàm Apelle exprimi coloribus debuit. Religiosa

Majeſtas in uno hoc Rege vim ſuam oſtendit; ſolius igitur Policleti ære digna fuit. Aliorum paſſim artem ſudoremqve tenue argumentum extollet; omnia hic magna ſunt, neqve in Fragmentis pretium amittunt. Tu cogita, Lector, qvantum eſſe elogium debuerit, qvod nec in partibus deficit: qvæ vis plenæ nec non effuſæ orationis abundantia extiterit, cùm & in lernis lacunisqve ipſis libera maris copia, & indomitus motus exundet.

Pietatis igitur meæ fuit, qvoniam in hunc theſaurum incidi, colligere partes, qvæ diſperſæ inter tot ſcripta erant, & producere, qvæ majori damno periiſſent, qvàm imperfecta ſunt. Aurum in annulos nummosqve ſolutum nihilominus carum eſt: molem enim & acervus facit. Atqve mihi amplius etiam poſteritatis voluptas curæ erit. Iterum qvicqvid ſchedarum relictum eſt, excutiam, jucundo Fragmentorum corollario novam mox editionem cumulaturus. Nihil qvidem ab aureo Caſauboni calamo defluere potuit, niſi qvod gemmis par eſſet;

esset; & investigantis Labore dignum; sed qvod postuma facundia viventium expleret desideria, cœlesti aura donatum sit, necessum est. In hunc scopum ὁ μακαρίτης direxit scribendi consilium, ut peculiari libro ardorem suum ostenderet Regi, Regem omnibus. Fato præventus qvod vivens non fecit, nunc præstabit defunctus, & hanc æternitatis tesseram terrarum orbi relinqvet; qvod facilius extingvi potuit, qvam tacere. Sed qvid mirum in Britannia loqvi mortuos? dicam qvod magis admireris, & Reges scribunt. Vale.

IS. CASAUBONI CORONA REGIA.

Id est

Panegyrici, qvem Regi Britanniæ destinaverat,

FRAGMENTA.

† † †


Entium populorumque felicitatem ac salutem in Rege positam esse arbitrati sunt: quemadmodum rectā membrorum valetudinem à capite dependere, hujusque esse munus, Medici tradunt. Hinc ab ipsa rerum origine Reges ad fastigium hujus Majestatis, Justino scribente, non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Neque enim corporis causa caput esse conformatum credimus: Regem autem populis dari, ut eorum velut pater ac protector sit, pro iis excubet, agat, pugnet; hoc unum jucundum putet, quod cum publica quiete conjunctum est. Ita magna virtute instructos eos omnes esse, qui tantum inter homines sustinent munus, magnoque & naturæ beneficiô dotatos, & disciplinæ auxilio suffultos esse oportet, qui Dei in terris imaginem exprimunt. Sed quemadmodum nasci bonum, haud pro-

profectò satis est, nisi talem te vivendi ratione præstas; ita plurimum recta institutio addere pronæ ad virtutem indoli solet. Qvasi Deus voluerit isthinc semina justitiæ, clementiæ, pietatis esse, hinc fructum dependere. Neqve tamen minori gloriæ adscriptum est, posse, qvum prava naturæ consvetudo est, eam probitatis integritatisqve velo tegere.

†

Scio enim, scio in omnibus hominibus virtutem non inveniri.

†

Ut si esse non possis, saltem bonus à subditis habearis. Simulare & fingere, Regium est: tum & optimè loqvi, qvum pessimis rebus animus ab origine corruptus delectatur. Qvemadmodum virtutes, sic virtutum omnium imagines sunt: unde si justitia displicet, larvam ejus sume, ut sine reprehensione iniqvus sis: si à clementia abhorres, sub persona latebis, ut impune sævias: si vitiis omnibus indulges, pietatis velo maximè opus erit, ut sanctissimus appareas. Admirabile

rabile verò est, qvantum turpitudinum atq; vitiorum abscondere in Rege qvietis & modesti ingenii professio valeat; si & doctrinæ, qvæ instrumentum virtutis haberi solet, & Religioni, qvæ vinculum est Regni, qvàm maximè se addictum esse ostendat. Utraqve hac gemma totidem læsæ mentis ulcera obtegi qveunt, potueruntqve Reges omnes, & humanum jus qvodcunqve violare, ut nihilominus boni existimentur; & Deum contemnere, ut maximè pii sint. Qvi te norunt, Rex admirande, neqvaqvam norunt. Nemo unus mortalium est, qvi intima animi tui secreta, pauci, qvi domus penetralia, qvi diei otia, noctisqve negotia plusqvam regia, plusqvam pontificia explorata habeant.

† †

Admissus sum, & qvidni igitur totum te admirer & venerer? Jgnavi aut maligni seculi mei mores sint: agnoscet posteritas Jacobi Regis strenuissimi virtutes mihi ignoratas non fuisse.

† † †

Ut his oculis sacrum Majestatis tuæ vul-

vultum primo usurpavi, eqvidem toto animo commotum me subito, & communitatum esse fateor : ut affirmare qvoqve non dubitem, qvin verissimum sit, qvod olim traditum accepimus, aliqvid Dei in Regibus esse: sed in te potissimum post tot ac tantos magnorum hominum hoc nostro patrumqve ævo labores, veræ atqve emendatæ religionis præstantiam, atqve sanctitatem remota otiosa superstitione relucere. Ac sanè ad me qvod attinet, etsi à parente Ecclesiæ ministro maximè fervente, ad Puritanæ pietatis dogmata productus atqve educatus, in iisdem à doctissimo Theodoro Beza, & longo vivendi usu confirmatus; postqvam tamen in hoc regnum aliumqve terrarum orbem veni, volens ac libens fidei ingeniiqve mei fasces, religiosæ doctissimæqve Majestati tuæ submisi, eo ipso rerum momento divinitus, nisi fallor, admonitus, longè majus sanctiusqve esse, qvod Reges dicunt qvàm qvod è plebe homines, & capite censi, ne qvid pejus dicam, in Ecclesia Dei sive docent, sive reformant. O admirabile divinæ

benignitatis τεκμήριον! In oculis tuis splendorem Sanctorum; in verbis Spiritum Jesu Christi, in gestu habituqve omnia rara ac divina esse animadverti. Videbam Principem, & Doctorem Principum atqve Populorum admirabar: intuebar Regem, & Prophetam venerabar: cernebam novum aliqvem in aureo throno Salomonem, & simul familiarem DEO Legislatorem Moysen præsenti velut numine coronatum agnoscebam. Libro armatus ac calamo sedebas, ac poteras, ubi alii diadema sive tiaram gerunt, seculi nostri more, Excellentissimi Doctoris insignia infulamqve jure tibi ac merito vindicare. Qvare & subdubitare poteram, aulam an scholam, palatium an verò gymnasium intrassem. Etenim tam insolito ac penitus admirando spectaculo attonitus, non satis mente, non lingva utebar: ut timere non immerito potuerim, ne in hoc corpusculo meo animum qvoqve desiderares, parumqve rebus tuis viderer idoneus, qvi omnis loqvelæ adeoq; Grammaticæ ipsius, qva famam non parvam paraveram, subsidio usuqve

eram

eram destitutus. Et tamen paulatim ad me rediens, aut potius longius à me, recedens, (qvod in laudem tuam dictum sit, sapientissime Rex) postqvam vocem Latinam audivi, alium hominem, aliam naturam, aliamqve propemodum fidem indui; cum grande piaculum, summumqve putarem sacrilegium, pro ingenio tam docti, & vel ad docendum apti Regis non sapere, aut certè non loqvi. Accedebat sacra item, & agnata tantæ doctrinæ tuæ liberalitas; qva admonebar nihil jam Grammaticæ, nihil Criticæ, nihil profanis omnibus literis dandum esse; sed Ecclesiæ ejusqve capiti Regio studiorum meorum labores, tot voces à me observatas, correctas, explicatas, tot Latinitatis formulas, tot varias Lectiones, tantam verborum copiam, omnesqve omnino Polymathiæ meæ thesauros nunc tandem emptos, destinatos, mancipatosqve esse. Neqve enim ex ærario Regio & profana arca, numeranda congiarii pecunia erat, sed ab Ecclesiæ censu & Presbyterii proventu, qvod longè erat religiosius, acci-

pienda: ut hac qvidem ratione Regiis viribus nihil decederet, & tamen munifica tua Majeftas effet, cum ftipendia tam piè inventa, tam religiofè affignata, aliqvid in me vel ab origine facri effe, & te verum fidei Defenforem, te providum Oeconomum, te fanctum Difpenfatorem loqverentur. Ego fic qvidem in ipfo hoc honorario inveniebam munus meum, tuumqve fimul imperium, qvo ad fcribendum canonicè ac theologicè conducebar, agnofcebam. Hisqve tandem ftimulis adactus, amplius etiam fcribere tentavi, qvam unqvam didiceram: imò verò ut ad omnia paratus effem. Theolog9 effe, qvē nunqvam egeram, & haberi qvoqve cœpi. Verum igitur fuit, qvod alioqvin ἀδύνατον eft, à Grammatica ad Theologiam fine ullo alio labore aut intervallo tranfitum effe. Sed Regi placere, id verò effe omnia poffe: pium effe, qvicqvid ille jufferit: fummam doctrinam favorem ejus effe. Scripfi igitur, Doctiffime Rex Jacobe, fed qvæ tua effe poffint, nifi nomen jam meum præfixum effet.

Pri-

Primùm qvidem jussu tuo, (cum ad omnia scribendi obseqvia promptus essem) Epistolam ad Frontonem Ducæum Jesuitam, qva infinitam Romani Pontificis potentiam sic imminui, ut jam deinceps omnes Reges adversus tam cruentas minas armati esse possint, tamqve intolerabilem superbiam velut jure divino & humano rejectam atqve damnatam contemnere. Ac licet nescio qvis dæmon, & qvi alii dæmoni similes, petulanti arrogantia velut infernis furiis agitati, arrodere ac perstringere ausi sunt; nihil tamen egerunt aliud, qvàm qvod malignitatem ingenii sui rabiemqve styli ostendere potuerint; meam verò mihi in rebus fidei intelligentiam, in arcanis Scripturarum peritiam, inqve rerum sacrarum studio industriam inviderint: qvam tamen ferre utcunqve poterant, nisi jam ingenium meum timerent, admirabili liberalitatis tuæ affectu afflatum atqve illustratum. Ostendi interim, qvicqvid dæmon turbet, qvicqvid nebulones omnes obstrepant, nihil in te minas & fulmina, nihil

fastum

fastum & omnipotentiam Jovis Capitolini posse. Te pacis & concordiæ, illum turbarum & seditionum auctorem esse & opificem. Deniqve pestilentes è Jesuitarum lustris emissarios in novam hanc & repurgatam post tot secula Anglicanæ Ecclesiæ regulam, dignos & nostro jam calamo, & tua ira, id est, justitia esse, meritoqve laniari, excruciari, ferro, laqveo, aliisqve sævitiæ machinis ex hac vita protrudi: eos autem, qvi è subditis tuis tam nefario hominum generi clam palamve student, Majestatis pariter reos censeri.

† †

De exercitationibus meis in Baronium, qvodnam judicium tuum fuerit, publicè notum est: aliqvid tamen vel gravius conscribi potuisse, vel accuratius, vel doctius, inficias non eo; præsertim cum non de verborum atqve eruditionis minutis observatiunculis, sed de rerum maximarum veritate ageretur. † † †

Atqve ego præterqvam qvod doctri-

ctrinam tuam Criticus, Theologiam Grammaticus, vitam scholæ aptam umbraticus singulari qvodam affectu atqve admiratione susciperem, rapiebar tamen innata nescio qva Sympathia, & similitudine aliqva me tibi (fas sit dicere) comparabam. Etenim sic jam observatum est, affinitatem non exiguam inter eos omnes contrahi & coalescere, qvi communi literarum tessera calami jus gerunt, nomenqve suum editis ingenii monumentis per ora hominum circumducunt: hoc qvidem ego hactenus pro virili, tu verò tam strenuè aliqvot jam *libris* fecisti, ut argumentorum delectu omnem industriam meam vicisse videaris; tam seriò qvoqve, ut majoris calamum, qvàm sceptrum æstimaveris, positaqve Regis persona, Scriptoris indueris: qvid nisi testatus, longè pulchrius tibi videri ingenio qvàm fortuna magnum clarumqve esse. Movebar deinde fama qvadam, & fortassis non vana, qvæ non disparem utriq; , sed tamen pulchram originis sortem

tem referebat: cujus mihi qvidem meminisse svave est, tibi etiam pium videbitur. Ut de me igitur prius dicam, & à minoribus ad majora viam aperiam, humanitas tua, Rex religiosissime, permittet. Neminem esse arbitror, qvi Arnaldum Casaubonum, optimum parentem meum ignoret, hunc qvia semel pio calamo è cruce detraxi, & fœdissimo, qvo strangulatus pendebat, laqveo liberavi, viri innocentiam integritatemqve contestatam omnibus reddens, non verebor æterno & propemodum regio elogio concelebrare. Ostendi, qvid patri filius debeat, & qva industria perversissimus vinci rumor possit: nunc promoveo pietatis officium, & in cœlum eveho virum, qvem illi è terra in aerem sustulerant, ut qviete spoliarent.

†

Nec conseqvi liceat? Adsint verò & contexant novas calumnias homines improbissimi, inventa est ratio, qva ad silentium compellantur: adsint, qvotqvot in orbe nebulones sunt, & carnifices omnes fiant, eorum ego ma-

nibus

nibus & crudelitati originem meam eripiam.

††

Pericula magna ſæpe adiit, ſed glorioſa, qvia ejuſmodi, qvæ omnibus eſſent communia, qvos pietas erga Deum compellebat, ut Romanæ Eccleſiæ depravationes optarent eſſe emendatas, Ergo qva doctrina, ea probitate & prudentia Miniſter inter paucos inſignis † qvi, qvum munus ſuum ſine nuptiis profanum exiſtimaret, Joannam Rouſſeau uxorem duxit, conſtantiſſimæ pietatis fœminam non ſine † Qvumqve me præter alias proles filium ſibi é tam bono & jucundo horto, qvem triginta ferè annos ſtrenuè coluit, genuiſſet, in hanc ſpem præcipuè educavit, ſummo ſtudio ac labore imbuit, ut aptus utilisqve Eccleſiæ, dignus Regum amicitia atqve familiaritate evaderem. Prout res qvidem hactenus fuit, fortunam non accuſo. Sic enim in Gallia â Chriſtianiſſimo Rege Henrico habitus fui, ut felici & opulento otio perfrui potuerim. Qvicqvid proficiſci ab humanitate & benevolentia potuit,

tuit, in me derivatum eſt; & qvicqvid Rex faciebat, Magnates omnes Principesqve Viri, necnon Antiſtites imitabantur: illi ipſi, qvos Alaſtores poſtea, qvos ſeditioſos, qvos ſceleratos, qvos rabioſos, qvos parricidas in gratiam tuam nominavi, tam candidè me complexi ſunt, tam promptè ſtudia juvarunt, tam ſolicitè Regis in me affectum foverunt, ut verè patres, perfectè doctos, ſine ſimulatione amicos expertus fuerim, ſed qvod ante omnia proponi debuit, ſalutis dignitatisqve Regiæ ſtudioſiſſimos Athletas, pacis & concordiæ publicæ indefeſſos conſervatores. Tot beneficiis partim Regis, partim eorum, qvi pro Rege excubabant, victus, (cogor dicere) vix mihi temperare poteram, qvin mutato de Religione ſenſu, in partes Pontificiorum tranſirem. Sed nec promptioribus ſtabilire ſubſidiis in Italia, Hiſpaniaqve nomen, literarum tractatione acqviſitum, poteram; aut ad publicum aliqvod in his locis docendi munus vota attollere: qvod qvemadmodum cum magno & ornamento ſtudiorum, & lucro

rerum

rerum fuisset; ita ad facilem latinæ eloqventiæ usum, tardam hactenus, qvippe non admodum exercitatam, nisi obiter Geneuensi Professione, lingvam expedivisset. Tanti omninò erat, alio ritu, non alio animo Deum colere, qvo in tanta hac rerum & religionum tempestate nominis & existimationis naufragium evitarem. Qvinetiam tanti erat, dicendi promptitudinem nobili aliqva literarum professione parare, postqvam in evolvendis, annotandis, conferendis Latinæ Græcæqve Lingvæ scriptoribus, omnis industria mea hactenus intentioqve desudasset. Ita me Deus optimus maximus, jam conversioni proximus eram, & jam manum Illustrissimus Cardinalis Petronius, aliiqve non pauci, qvorum & doctrinam suspiciebam, & auctoritatem reverebar, porrigebant: Deniqve peractum erat, nisi mors Henrici Magni in idem illud tempus incidisset. Qvæ qvidem mors, sicuti toti Galliæ funesta & luctuosa fuit, ita mihi propemodum salutaris contigit: ut nesciam majores dolendi, an gaudendi causas habuerim.

rim. Nam orbatus penitusqve destitutus vitæ & studiorum solidissimo patrocinio; cum eò jam crevisset animus consvetudine aulica, ut sine Rege vivere non possem, prius de regione, qvam religione mutanda cogitavi: Te unum esse inter Reges omnes, qvi ingeniis faveres, qvi studia extolleres, qvi ipse hoc ageres, qvo vitam pleriqve nostrûm toleramus; qvasi non minus pulchrum putes, doctum qvàm magnum esse, Doctorem qvàm Regem, Magistrum qvàm Jacobum. Atqve hoc jam ingenii cultu, & mediocri elegantia consecutus es, ut nihil fortunam, qvæ rebus omnibus dominatur, timeas. Hæc enim, si iniqvior (qvod Deus avertat) in te sit, siqve è sinu te suo molliter sedentem ac scribentem ejiciat, poteris qvidem magna animi constantia à sceptro ad ferulam transire, Dionysii Tyranni exemplo, qvi, qvum hereditatis nomine Syracusanorum ac totius penè Siciliæ imperium accepisset, maximarum opum Dominus, mox deserere coactus felicitatem nimiam, Corinthi puerulos literas docuit: qva qvi-

dem mutatione, ne qvis nimis fortunæ crederet, (Magifter ludi factus è tyranno) monuit: in eo tamen adhuc beatus, qvod velut in umbra rerum cum imperio effet, non populos, fed pueros regeret. Ego qvidem, cum in Galliis, ut dicere cœpi, poſt tam fœdam magni Regis cædem, fuſpecta omnia haberem, omniumqve bonorum, ac bene de Religione ſentientium cervicibus novam imminere lanienam arbitrarer, te unum ante oculos mihi ponebam, te cogitabam unum, ad te animo properabam, e mari in portum, è tempeſtate ad qvietem, è periculo ad aſylum, è metu ad ſecuram ſtationem; deniqve ab Henrico ad Jacobum. Sic enim videbar demum tutus eſſe, regiamqve, qva jam aſſvetus eram, conſvetudinem ac familiaritatem poſſe recuperare. Sed ante omnia tamen impellebar Sympathia illa admirabili, de qva nunc pergo loqvi, ne interruptum ſermonis ordinem, intercurrentibus variarum blanditiis rerum, deſeram. Hoc enim nunc oſtendendum qvoqve eſt, qvomodo à conditione meâ tua non ab-

horreat : qvod faciam, & in honorem tuum faciam, Rex Doctissime, si paulisper commemorari pateris, qvæ à non omnibus adhuc hominibus sciuntur, & qvæ non parvum tamen laudis argumentum continent, si, qvemadmodum opinamur, vera sunt, & concedas ipse, non sangvine sed pietate originem Regum æstimandam esse. Volunt igitur, qvi te à natalibus norunt, non humanitus, sed divinitus Regem esse, acceptum, non datum, & fortassis fuisse, priusqvam nascereris. Nam qvasi Maria Scotiæ Regina, qvæ mater tua perhibetur, indigna esset, qvæ Regem ederet, delusam esse ajunt. In gravidæ utero necari infans à Puritanis non potuit: natus mutari potuit, supponiqve, qvi è Ministro verbi divini procreatus, paternam indolem qvandoqve sceptro jungeret; qvi pius, doctus, & pro Ecclesia Dei solicitus foret. Remoto igitur Mariæ filio, & velut à Deo repudiato, in regias fascias cunasqve tu locaris, felicissime Rex, & filius esse Mariæ cœpisti, ex qva non prodieras; ut negligere, odisse, atqve etiam occi-

occidere, si opus, posses, cui te nullum naturæ jus, nullumqve vinculum obstrinxerat. Sanè videntur mihi, postqvam è Stevvardo Regem nasci Deus reformatus noluit, fata dubitasse, an velut ex Alcumena Hercules, ex Olympiade Alexander, sic è Maria gigni Jacobus posset. Sed opus esse iterum aliqvo sive Jove, sive Hammone, qvi in terris adulterium ageret. Res qvoqve ab Ecclesia agitata est, neqve pro ardua habita: qvasi tam facile Reges procrearentur, qvàm Ministri amant. Veneris enim hoc negotium esse, facilemqve inveniri viam, qvam voluptas sterneret. Desiisse qvidem ejusmodi numina, sed vitia remanere; rideri nomina, sed exempla usurpari. Posse igitur Jovem à Ministro aliqvo Divini verbi, Hammonem à Cornigero aliqvo repræsentari. A fabulis ad evangelicam veritatem, ab errorum vanitate ad Spiritum Sanctum transeundum esse. Sed qvid dicam, Dulcissime Rex? Frigida, qvemadmodum superstitiosa, Maria fuit; Tuarum amœnitatum, tuæqve indolis nihil in ea extitit, tam à

conditione Alcumenæ atqve Olympiadis aliena fuit, ut nec decipi potuerit, nec corrumpi voluerit, impium rata, qvicqvid immundum esset. Qvid tibi videtur? mea qvidem sententia, nescivit se Reginam esse, qvia casta esse voluit. Tam mariti amans, qvam religioni, in qva enutrita erat, addicta; meruit, ut è solo Stevvardo suo gravida, pareret filium, qvi in regnum non succederet, & qvi in lucem editus, mox desineret filius haberi. Qvid igitur factum est? hoc, qvod dico. Tu, Rex Fortunatissime, nisi omnia nos fallunt, suppositus fuisti, semelqve in lucem editus, iterum, sed majori fortuna videris natus esse: imò verò Bacchi bis geniti, qvod in fabulis est, sive Bimatris similitudinem habere. O singulare Dei donum atqve beneficium! o mysterium verè admirandum! Sic nasci debuisti, ut Rex fieres, & Ecclesiam simul defenderes: talem habere originem, ut Religionem pariter & Regnum curares. Lineamenta illa sacri oris tui nescio qvid insinuant. Mores nihil Mariæ habent. Scripta verò tam

rara

rara tamqve divina sunt, ut non potuerint, nisi aut ab Ecclesiaste, aut ab ejus filio conscribi. Existimo igitur, qvicqvid alii dicturi sint, pulchrius illustriusqve esse, Ministro, qvàm Regi patris debere nomen; siqvidem Regiam dignitatem origini fortuna adjiciat; si qvid etiam in tuo ortu genereqve obscuritatis esset, à doctrina & pietate illustrari, nihil natales virtutibus obesse; sed ab adhærente velut umbra, clariorem felicitatis lucem censeri. Nam profecto ex humili ac prorsus ignoto principio ad regalem potentiam sceptraqve Britanniarum consurrexisse, hoc est, qvod & admiramur omnes, & qvia non sine numine peractũ est, ingenti animi exultatione collaudamus. Sic qvidem, qvemadmodum divinitus ad hoc fastigium evectus es; ita divina omnia sunt, qvæ scribis, qvæ agis, qvæ moliris, qvæ aggrederis, ut omnes omninò Reges, Principesqve Europæ superare videaris. Imperent illi, tu qvoqve doces: Regnum illi qvisqve suum habent, tu & Ecclesiam: Subsunt Pontifici & Vicario Christi, tu Pontifi-

cem ipse & Vicariū Christi agis, nemini obnoxius, nemini suspectus, nemini servus, nisi tibi. Qvare qvod antiqvitas magnum & admirabile putavit in Telephane Lydorum Rege, qvi mancipium in fabri officina fuerat: in Agathocle Siculorum, qvi patre figulo natus erat; in Servio Romanorum, qvi Verna fuerat, aliisqve: id omnis in te posteritas admirabitur, è Ministri filio Regem esse educatum. Diogenes olim Alexandrum, à qvo visebatur, ὑπὸ βολιμαῖον appellaverat: cumqve libertatem suam animadverteret, Regi gravem fuisse, subjunxit: ἢ οὐκ ὀλυμπίας ἐστιν, ἡ εἶπεσα, ὅτι οὐκ ἐκ Φιλίππου τυγχάνεις γεγονὼς, ἀλλ᾽ ἐκ δράκοντος, ἢ Ἀμμωνος, ἢ οὐκ οἶδα ὅτου ποτὲ θεῶν, ἢ ἀνθρώπου, ἢ θυρίων? Non è dolio, sed è tripode emissa vox videbatur, jam grata Alexandro, qvia divinitatem ejus significabat. Ergo & amavit, æstimavitqve Diogenem, qvia præclarius arbitratus est, laudari à Cynico; qvàm procreari à Rege; & carere patre Philippo potuit, qvia Jove se natum putavit credi. Ad te verò, Jacobe invicte, pulcherrimum hoc exemplum refero: te ut maximè celebrem,

cum

cum Alexandro audeo comparare. Etenim si qvis simpliciter suppositirii tibi nomen indat, injuriam prima fronte putes: si qvis honoris causa Ministro dicat natum esse, nihil amplius tribuere Regi Pontifici potuit. Sic humanitati divinitas jungitur: nec Pontificatum jactare potes, qvia Rex es, sed qvia Ministri filius: qvasi qvod maximum est, à natura habeas & hæreditarium sit; minoris momenti censeri debeat ludentis Fortunæ opus. Non possum non Amasis Ægyptiorum Regis egregium factum adjicere. Is sanè ingeniosa pietate, an impietate dicam? subditis suis ostendit, nullum sceptris à natalium vilitate dedecus accedere. Nam cum tueri Majestatem suam ob generis infamiam non posset, palamqve contemneretur, ex aureo vase, qvod ad turpes fœdosqve usus serviverat, Jovis simulacrum confecit, confectumqve in eminentissimo urbis loco posuit, publiceqve dedicavit. Nemo erat, qvi non existimaret singulari religione dignum tam illustre metallum. At Amasis collaudans pietatem civium, indicavit, conditionem suam hic æstima-

ri: Simulacrum istud ex eo vase conflatum esse, in qvo vomere, mejere, aliaqve obscoeniora exonerare Ægyptii soleant: se origine vilem & instar vasis fuisse; sed diademate insignitum, etiam dignitate auctum, similitudinem habuisse statuæ, & in regno stirpem atqve cultum invenisse. De te igitur, o auree & religiosissime Rex, idem statuere poterunt, qvi, qvod stemma in te regium desiderarent, minus inclytis virtutibus tuis, moribusqve piissimis tribuebant. At verò si auctoritate sacræ paginæ agendum sit, maximos & Deo semper carissimos fuisse inveniemus, qvi humillimo loco nati essent. Sic Davidem legimus à pastore Regem factum, Deiqve jussu munitum: qvi qvidem qvàm illustris Rex, tam Sanctus Propheta extitit. Hæc qvippe benignitas Numinis est: de stercore erigit pauperem. Atqve ipse ab æterno Filius Dei, qvum humanam naturam assumeret, abjectos elegit natales, & infantiam suam pueritiamqve luctari cum paupertate voluit, vitæ mortisqve majestatem miseria & infamia stabilire.

Qva-

Qvare qvum conditio tua, Rex Ministerissime, qvod ad originem attinet, non ſolum cum præcipuis omnis ævi Regibus, ſed & jam cum Dei ipſius Filio comparetur; eſt, qvod rebus & famæ tuæ non mediocriter gratulemur. Ego interim hoc conſeqvor, qvod apud omnem poſteritatem memorabile erit, ut è Miniſtro natus, eoqve Puritano, cum Rege tamen cenſeri poſſim, & cum eo Rege, qvi in tanto rerum & curarum faſtigio, Miniſtri à ſe munus alienum non putat. Qvæ qvum ita ſint, & te veneror tanqvam Regem, & te alloqvor tanqvam parem: in pari ingenium doctrinamqve, in Rege auctoritatem agnoſco & imperium: qvæ non alio modo. † † † Simulqve poſito luctu & ſqvalore Eccleſia reſplenduit, omniumqve evangelicè credentium vox audita eſt myſtica: εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν. Verum enimvero qvod omni antiqvitate ſanctius, ſolennius, auguſtius eſt, poſt Iſidem nobis Oſiris fuit: poſt Eliſabetham Jacobus. Qvid opus eſt verbis? Qvo myſterio matrem habuiſti Reginam, qvum non haberes; eodem

dem venisti ad novum Regnum, ut fœminæ succederes, & simul Pontifex Maximus esses. Qvæ dignitas qvàm inusitata ac propè divina sit, origo ejus nupera ostendit. Neqve enim aut longis ambagibus, aut deducta succesfionum serie, aut multis seculis opus est, ut ad fontem & sacrum caput revertamur. Veritate scilicet, non tempore; subita opinione, non longo consensu, tam sancta stabiliuntur dogmata, consistuntqve. Nulla scriptorum auctoritate, ac propemodum nulla fide opus est, ut hanc fidem esse veram, esse orthodoxam, esse evangelicam credamus. Primum enim, ne qva majestas deesset, Regia est, & ab Henrico VIII. fundata. Ab hoc Angliæ nuper sole, illud Christianæ doctrinæ lumen, post diuturnam noctem cœcasqve tot errorum & superstitionum tenebras, orbi terrarum invectum est; & in Occidente, qvod mirum est, Evangelii aurora apparuit, diem promittens omnibus. Sed ô bone & sancte Deus! qvàm naturaliter omnia, & simul qvàm mysticè! Miramur matrem fuisse & Virginem,

ginem, qvæ salutem humano generi peperit: miramur pariter filiam fuisse Regis, eandemqve uxorem, è qva Pontificatus novæ Ecclesiæ productus est. Præter naturam natus est Filius Dei: præter naturam Ecclesia qvoqve Anglicana cœpit. Maria fuit mater, & virum non cognovit: Anna fuit mater, & è patre concepit. Ergo tali origine Pontificatum suum Rex Henricus genuit, tali administravit jure. Conjugem simulqve natam complexus, non in petra, qvod nimis durum erat, sed in pulvino & lecto, id est βασιλικῶς, Ecclesiam fundavit. Qvare nisi Bolena fuisset, nasci Pontificatus Angliæ non poterat; at nisi filiæ pater misceretur, conjugemqve eandem haberet, Ecclesia non erat. Negligant, aut etiam subsannent hæc mysteria, qvi crasso sensu res omnes metiuntur, qvi Dei consilia, Regumqve mores humano & plebejo judicio expendunt; incestas nuptias, prodigiosam libidinem, salacem Regis caudam, deglubentem Reginæ concham, deniqve Priapum & Venerem Angliæ exagitent, & rumpantur

furore

furore suo, qvi omnia casta, omnia pudica, omnia sobria, omnia sancta exigunt. Ringantur, qvantum possunt; tamen hic Pontificatus tanqvam integerrimus, hac Ecclesia tanqvam verissima, hoc Evangelium tanqvam defæcatissimum, sic hactenus viget, sic floret, sic originis suæ fructum profert. Patrem matremqve constitutæ Religionis irridere facilius adversarii poterunt, qvàm odiosos reddere. Etenim ut charitas in Ecclesia Dei esset, amor principium dedit: sic enim Reges diligunt, qvi Pontificatum ordiuntur. Deinde ne fœcunditas cessaret, coagulo Veneris conformari divinorum idea præceptorum debuit, qvæ tot seculorum ignorantia malitiaqve propemodum exaruerat. Ac sanè qvod ad matrimonium Bolenæ attinet, res pulchra & sacra est, sed appellatione tantum profana imminuitur. Pulchra propterea, qvod Regia: Sacra autem, qvod Pontificia, qvo præcipuè exemplo passim divini verbi Ministris commendata, cum laude continentiæ in Ecclesia usurpatur. Ergo qvæ in hoc

Regno

Regno & Pontificatu imperiti & fanatici homines mala dicunt , nos magna ac prorsus θαυμάσια appellamus ; qvæ illi pudenda, nos colenda; qvæ illi portenta, nos mysteria; qvæ illi diaboli, nos Dei ἔργα. Qvid enim? Non potuit Bolenam suam Rex Henricus uxorem habere, nisi religionem mutaret; ergone impius fuit? at novam pietatem induxit: non potuit in tot Monachos, Magnates, Antistites sævire, nisi ut sangvinem Regni funderet; ergone crudelis fuit? at illam Romanæ potestatis tyrannidem abolevit: non potuit nuptiis Bolenæ frui, nisi conjugem repudiaret ; ergone adulter fuit? at libidinis turpitudinem velare matrimonio conatus est; ut discerent tandem Pontifices Romani, maritalem voluptatem Regibus non invidere. Sola qvidem voluptate si contentus esse Henricus voluisset, pellice potuisset uti: nunc qvia honestatem qvæsivit tori, uxoris nomen invenire in re turpi potuit; ut pie honesteqve subigeret, qvam generaverat, ut pater simulqve avus Elisabethæ esset, qvam Regno, Ecclesiæ, &

Pon-

Pontificatui è nova uxore dedit. Ex hac igitur honestate, vel potius pietate dignitas Ecclesiæ, Pontificatus inqvam Anglicanus natus est; cujus ut causa, sic fundus, ut principium, sic fundamentũ mulieris κῆπ@, sive genitale arvum fuit; architectus, lasciviens Regis κάπρ@, structura deniqve & ædificatio, profusa qvædam libido, ex qva rerum humanarum atqve divinarum omnium libertas oriretur.

Henricus autem, qvemadmodum pro castitate sua plures; ita pro charitate communes uxores habuit, & exemplo suo Pontifex præivit, qvid tanqvam solemne & pulchrum in Ecclesia Dei deberet obtinere. Sed qvum plures habere omnibus non contingat: hoc tamen effecit, ut qvicunqve Minister esset, suam duceret, qvam nemini invideret. Præterea Bolena ipsa nimis pios parentis sui complexus, & sic minus jucundos rata, humaniter corporis sui meditullium, illud Pontificatus seminarium, svavissimis indulsit procis; partim ut ea se parte Reginam ostenderet, qva Pontificem

cem Rex agebat: partim verò, ut optimi Patris-mariti majeſtatem, illud inqvam Eccleſiæ caput, inviſibili gratia & decore, auctum amplificatumqve iret; partim etiam, ut viciſſim coronaret Maritum ſuum, à qvo in communionem tori & ſceptri aſſumpta erat. Non aurum igitur, ſed cornua reddidit, qvæ pro divinitatis inſigni olim habita, etiam diadematum præſtantiam ſuperabant. Pulchrum profectò erat, non coronatum modo Regem ſed κερασφόρον ſive cornutum incedere; qva ακτινοβολία factum fuit, ut jam de Pontificatu Henrici nemo dubitaret. Nam & Alexander Magnus, qvum difficulter impetrare ab hominibus poſſet, ut filius Jovis crederetur, non aptius invenit remedium, qvam ſi torta Hammonis cornua aſſumeret, faciemqve transformaret. Ejusmodi qvoqve radiis poſtqvam ſacrum hoc Eccleſiæ caput fulſit, ad omnes omninò Miniſtros Eccleſiæ derivati ſunt, ſolenniterqve receptum eſt, ut hi velut parvi Pontifices, & muneris ſive miniſterii & matrimonii ſimul inſignia frontibus gererent. Qva-

re tam necessarium postea in Ecclesia fuit, uxores ducere, qvam Ministros esse. Nam sine conjugio ad Ecclesiasticam hanc coronam nemo valebat pervenire. Et an pulchrius esse qvid potuit, qvam qvod olim numinibus, postea Regibus, & Britanniæ Pontifici fuit attributum? Cornua Ecclesiæ coronam faciunt, cornua illustrant sacra pulpita, cornua animant templa, regunt consistoria, cornua cœlestem donant facundiam, confirmant spiritus gratiam, & facienti ad populum verba auctoritatem conciliant. In honorem credentium prædestinatum à Deo erat, ne qvis sine uxore Minister viveret, ne qvis sine cornibus caput haberet radiatum. Qvid attinet plura dicere? Necessitatem exemplum fecit: & qvia Henricus non solo auro ornavit caput, Ecclesiæ deinceps maritalia cornua imposita sunt. Nec minus libenter Ministri omnes taurorum onera sustinuerunt, qvam facilè primi Pontificis caput intumuit. Antiqvitatem nescio qvæ superstitio commendavit. Nam, ut è Prudentio colligitur, Hammon ille Libycus,

non

non solus in sede sua Aries optima corporis parte fuit; sed & circumfusa minora numina, qvæ adstabant, ad similitudinem unius illius cornuta erant, velut parvi Hammones. Eodem modo fuit Henricus Rex VIII. qvod olim Hammon fuit; ut omnes Evangelii præcones essent qvoqve, qvod Henricus fuit, cornuumqve sancto privilegio uterentur.

Qvare dicant objiciantqve adversarii; sacrilegum ac nefarium fuisse Henricum; respondebo, Pontificē fuisse: ostendant; turpem, vitiosum, vinosum, libidinosum, respondebo, doctum fuisse: qverantur, pervertisse regni jura; respondebo, aliter novam constitui Ecclesiam non potuisse. Qvemadmodum verò Henrico VIII. innocentissimo tamen Regi, fundare Pontificatum mulieris auspicio licuit: ita nemo Eduardo ejus filio, pueritiam & mutatam magis Religionem objiciet. Ætas enim ei permittebat, ut Pontifex esset, & tamen à paternis decretis recederet; & indulgebat sacra Dignitas, ut puer esset, & tamen in re religionis amplius, qvàm pater saperet. Nemo etiam

Elisabethæ, Bolenæ filiæ, sexum, & pessimis rumoribus infamatum cœlibatum exprobrabit: ostendere illa prudentia doctrinaqve sua voluit, mulierem non regno tantum, sed Ecclesiæ administrandæ sufficere: ideoqve sola patris matrisqve laudes, gloriamqve exprimere conisa est. Nemo deniqve in te, Rex maxime, reprehendet, qvod spernere matris Mariæ religionem ausus sis, & opinionibus novis constanter adhærere: sic fortassis natus eras, sic à viris sanctissimis imbutus, & â Buchanano tuo edoctus, ut partim naturæ, partim institutionis beneficio intelligeres, qvid optimum in Dei cultu atqve utilissimum esset; qvid conservaret tibi regnum tuum, alienum promitteret. Ergo ad Henricum convertisti animum, ad Eduardum, ad Elisabetham: hæc vestigia placuerunt, hæc exempla secutus es: tandemqve sic fortuna favit, ut, qvorum vitam, mores, virtutes exprimeres, eorum dignus fastigio habereris. Evectus tandem ad Angliæ regnum, facere potuisti, qvicqvid homines Romanæ Ecclesiæ addi-

ctos

ctos affligeret perderetqve : eaqve ratione administrasti potentiam, ut omnia Ecclesiæ causa faceres, & Pontificatum stabilires. Huic magnitudini ea jam necessitas conjuncta est, ut nisi sævus habearis, bonus esse non possis; ac nisi hostem Romanum Pontificem habeas, Pontificis nomen ipse cogaris deponere. Esto etiam culpæ infamiæqve aliorum hactenus Primatus obnoxius fuerit atqve reprehensus; fuerit, inqvam, Primus Angliæ Pontifex moechus, Secundus puer, Tertius mulier: tu jam admirabili doctrina tua, Reverendissime Rex, & ingenio prope divino consecutus es, ut tegere & abscondere possis, qvicqvid erubescendum videtur; peccare (si hoc peccare est, Henricum, Eduardum, Elisabetham gloriosæ memoriæ repræsentare) & tamen bonus haberi: sævire, (si tamen hoc sævire est, de superstitiosis subditis supplicium sumere,) & nihilominus clementiæ laudem tibi arrogare. Malum profectò esse non potuit, qvod fecerunt alii, qvia tu confirmas: atqve omnium esse Præceptor dignus eras,

postqvam intelligere cœpisti, regni causa religionem ordinari; imò primus tu esse hujus Ecclesiæ Pontifex debuisti, ut velut à doctiore, prudentiore, meliore cæteri formarentur. Et tamen, ut ego qvidem existimo, amplius erat stabilire dogmata, prima specie blandientia, qvam condere; munire, qvàm signare; defendere, qvam instituere. Tua virtute opus erat, ut semel jacta & exstructa Ecclesiæ fundamenta robur sumerent, & æternitatem sperarent: frustra enim excitatur ædificium, nisi consistat. Sic verò conservando, augendo, ornando Pontificatum, etiam conditoris tibi nomen potes adsciscere. Tu jam Henricus es, tu Eduardus, tu Elisabetha, qvam semper in oculis habes; qvasi omnem in te sexum, omnemqve ætatem laudem. Insistere verò singulis lubet, & nascentis feliciter Ecclesiæ, atqve crescentis memoriam repetere, qvæ maximis laudibus tuis serviat. Henricum jam Sceptro instructum ac felicitate circumfusum.

O Heroi-

† † †

O Heroinam perpetuis elogiis tuis dignam! O mulierem tibi præ omni matre venerandam! Atqve illa ſeipſa ubiq; major, admirabili virtute ſexum vicit.

† † †

Sed qvam prudenter, qvam callide omnia. His conſiliis, qvi cives erant & ſubditi, in Principem ſuum ſurrexerunt, & rebelles facti ſunt: tantumqve exarſit incendium, ut non Hiſpaniæ, non Italiæ, non aliorum regnorum & provinciarum ſangvine extingvi potuerit. Ita qvidem Britannia illæſa manſit, & pace ſua effloruit. Ac neſcio, an pulchrius ab ulla memoria belli exemplum extiterit, & an alio conſilio frangi facilius ille ab Occidente Xerxes potuerit. Non pugnabat Regina, & vincebat tamen: miſcuit regna & populos armis, & bellum tamen in Britannia non erat. Animadvertiſti igitur, qvantum conſilia poſſint, & qvanti fœminæ veſtigia facienda ſint, qvæ non ut qvieſceret, vivere, ſed ut occuparetur, regere voluit. Tanqvam hoc unicum Sceptri tui robur eſſet, foviſti rebelles,

animasti, armasti, qvoties opus fuit: hoc te voluisse, qvamdiu infesta Hispania esset, mirum non est: potuisse, cum pace, fœdere, fide prohibereris, maximæ solertiæ prudentiæqve argumentũ est. Clam igitur procurata sunt auxilia; & militabant Britanni tui in Belgio, sed tanqvam à Te non missi; militabat pecunia tua, qvam occulto sic fœnore multiplicabas. Scilicet præter rebellionem Religio erat: qvæ etsi non tua, imò etsi stylo tuo oppugnata, tamen qvia à Pontificia maximè aliena, patrocinium tuum meruit. Sic qvidem nemo in te perfidiam reprehendere poterat, tu tamen pietati cauta subsidia persolvebas. Nihil ab hoste damni erat; hosti tu tamen sub pacis larva vehementius nocebas. Atqve in eo tu superasti Elisabethæ gloriam: non enim obesse tantum scivisti, sed & fallere; & cum illa virum se præstaret, tu muliebres artes ingeniumqve assumsisti.

† † †

Resisteret? Laudo, laudo hanc magnanimitatem. Qvotqvot enim sunt

Reges, qvotqvot Principes, qvi ſe Catholicos dicunt, Antichriſtianos & idololatras jure appellaſti. Hæc cenſura niſi à Pontifice proficiſceretur, dirigi in Reges non potuit; ac niſi à Rege eſſet, Pontificis nomen evileſceret & auctoritas. Si Antichriſtiani ſunt, hoſtes ſunt: ſi idololatræ, extirpandi ſunt: qvos ſicuti ſtylo & calamo oſtendiſti hoſtes eſſe; ita armis & bello adorieris, ut extirpes. Tibi igitur cedent tot ſceptra, tot coronæ, tot provinciæ, qvia Chriſto cedent: tibi ſervient, ut libertatem nanciſcantur. Chriſtiani erunt omnes, Catholici, & Apoſtolici, qvum ad omnes ſe Pontificatus tuus extendet; omnibusqve pulchrum videbitur, qvicqvid hactenus reprehenſum eſt. Sanè qvia in te, qvemadmodum dixi, Henricus, Eduardus, & Eliſabetha redivivi ſunt, Pontifices optimi maximi, optima etiam maximaqve cenſeri debent, qvæcunqve ab illis acta ſunt, vel à te aguntur. In te qvidem, ſi ulla vitia ſunt (hominem enim te eſſe fatemur, non tantum Regem, non tantum Pontificem;) ſi vitia inqvam, ulla ſunt,

elegantiæ ſunt, qvæ etſi ſecreto clauſæ, & ſilentio obumbratæ, tamen velut per rimas in publicum erumpunt, & ſe populo inſinuant; qvam non mala ſpecie, hinc maximè diſcimus, qvod imitari plèriq; malunt, qvàm reprehendere: qvod nihil à Pontifice ſuo, niſi ſanctum, nihil à Rege ſuo, niſi imitatione dignum putent proficiſci. Idcirco oblectari meliori forma, ſvavitas eſt: indulgere genio, hilaritas eſt: agere, qvæ in tali fortuna animus dictet, remiſſio eſt. Noctes clandeſtinæ, qvantum voluptatis † † uterqve ſexus; qvod cum mirandum in frigidis his plagis, in te virile & regium eſt.

† † †

De tua crudelitate qverantur, qvi Religionis ignorant zelum: & hunc tamen qvoties inſpicio, majorem in omnibus rigorem reqviro. Nam ſcribant alii & mentiantur, qvantum velint: ego te nimia ferè clementia bonum eſſe & peccare arbitror: ſi peccare tamen bonus poſſit, aut malus cenſeri, qvi clemens eſt. Qvare, ut & ipſe jam concedam

con-

contendamqve, Mariam Scotiæ Reginam, mulierem supplicio suo dignam, matrem tuam non fuisse,(tam enim facile tibi erit, qvam martyrem fuisse negas, pro matre non agnoscere; qvam damnatam censes, è tota natura proscribere & excommunicare,) tu tamen ei filius eras, cui successeras, & ei debebas omnia, à qva regnum tibi relictum erat. Hoc namq; est nasci, non tam in vitam, qvàm in amplissimam Regiamqve fortunam venire. Qvo qvidem jure amplius Mariæ, qvam matri tuæ obstrictus eras: bis filius, ut bis pius esses, deferresq; Mariæ, qvantum persolvi matri non poterat. Naturam beneficium fecerat. Qvæ cum ita sint, injuria sive contumelia affici Maria non poterat, nisi ut in te velut filium, infamia redundaret: vulnerari non poterat, nisi ut tu dolorem sentires: occidi non poterat, nisi ut ad justissimam vindictam te pietas inflammaret. Et tamen, ô admirabilem, ô incredibilem lenitatem tuam! maluisti propemodum clemens, qvàm filius videri; & qvum affectus pietatis cum sapientia tua certaret, osten-

ostendisti, plus in te rationẽ, qvam naturã posse. Georgius Buchananus (ut alios omittam) vir acri ingenio præditus & excellenti doctrina, fortunæ suæ modum, & modestiæ limites excedens, atrocissimo stylo in Mariam debacchatus erat: tu verò, Rex patientissime, nonne dissimulare voluisti? Nimirum tanti præceptor erat, ut etiam præ matre (sic eam nunc appello) coli debuerit. Qvid attinet minuta aut communia perseqvi? fuerunt homines, qvi in eandem matrem tuam conspirarent, qvi sontem, an insontem dicam? (nescio enim utrum auribus tuis placiturum sit:) accusare, damnare, deniqve ad infame supplicium protrudere, manibusqve carnificis subdere ausi sunt: Tu tamen moveri ab illa constantia animi neqvaqvam potuisti, tanqvam ad te hoc funus non spectaret. O virtutem! & Stoicam dicam? minus est: Christianam appellabo. Tolerasti injuriam gravissimã, cum fieret, & cum ulcisci in tuo erat arbitrio, noluisti recordari. Sciebas, Rex sapientissime, oblivionem vin-

dicta

dicta meliorem esse. Præterea sciebas, in usum tibi obseqviumq; victuros eos omnes, qvos ex parricidis amicos faceres, & familiares intimosqve haberes. Qvare satis non erat, parcere, ut ignosceres: amplius actum est: beneficia, honores, dignitates rependere voluisti, ubi carcerẽ, cruciatum, supplicium sontes merebantur. Majori eloqventia opus esset, ut clementia ista, hactenus inter homines non inventa, dignè explicaretur. Qvid tamen est? Ultio, tametsi justissima, necessaria, & ab universo terrarum orbe expectata, fortassis repugnari felicitati gloriæqve tuæ videbatur. Regere enim sive piè, sive liberè non poteras, nisi mater illa tolleretur: & cum in potestate tua sceptrum esset, utilissimum longeqve pulcherrimum censuisti, curam viventium agere, mortuorum deponere. Igitur vides eos qvotidie & amas, qvos, si naturam justitiamqve seqvaris, vocare hostes debeas; foves & in delitiis habes, qvibus æternum bellum alii Reges omnes, æternum odium alii homines indicerent. Sed qvid? & vincis

Reges,

Reges, & superas homines, & numine qvodam clementia afflatus, te Regno & Pontificatu Britanniæ dignum ostendis. Jactet antiqvitas Romana Neronem suum adhuc juvenem, qvi, ne de supplicio cujusdam capite damnati subscriberet, pulcherrimam illam vocem emisit: Qvam vellem nescire literas. Sed an tecum erit comparandus? ille tamen Nero, ille mansvetus, ille Apollineus, postea matrem suum occidit. Videlicet poterat doctissimus, & sic pessimus esse. Ergò qvid sit clementia, tuo exemplo, Rex potentissime, longe planius

† † †

Invehentur victricibus tandem in cœlum qvadrigis tot & tam excellentes, prorsusqve literariæ virtutes tuæ, qvot plura hactenus secula dare non potuerunt: tot ornamenta regni, qvot reliqva hucusqve Europa non habuit, nec ulli pædagogi unqvam designarunt. Te si jam non intelligit invidia & malignitas impiissimi rudissimiqve seculi, olim ab hominibꝰ separatum & extinctum mortales omnes desiderabunt. Præclarum

hoc

hoc regnum tuum ex ipſo fato aliqvando tuo (utinam ſero) deprehendet, qvid ſit à ſapientiſſimo, optimo, piiſſimo omnium Regum gubernari. Ergo oſſa & cineres tui in pretio erunt, & qvas in nullis adhuc Sanctis æſtimamus reliqvias, in tuis exuviis, corporeqve putrefacto venerabimur. Migret tandem doctiſſima & verè togata ex hoc corpore & regno, anima tua. Laureatum funus erit, & hæc illa tot literis artibusqve exculta vita tua de mortalitate triumphabit; nullius calami ſtimulum, nullius malignitatis mucronem, nullam ſicam, nullum venenum, nullum pulverem tormentarium pertimeſcet. Ego etiam, qvis te naturæ locus tum temporis recipiet, adhuc non diſcerno. Optabunt ſuperi, cupient Inferi, tenebunt Medioxumi. Atqve hæc infelicitas tua erit, felicem nimium fuiſſe: qvemadmodum ajunt, ſtultos reddi, & moriones mortuorum fieri, qvi nimium in hac vita Reges ſapere voluerunt. Qvicqvid ſit: tu ubicunqve eris, ſcribere adhuc poteris, ſceptriqve poteſtatem calamus adumbrabit. Sic, qvod

qvod optimum & auguſtisſimum in hac vita cenſes, etiam in poſtuma invenies. An plura? Cœlum erit, qvo te fortuna cumqve mortuum transferet: atqve in hoc conſortio & contubernio umbrarum docti erunt, qvi ne felices qvidem erunt. Sed, ut eò redeam, unde paululum digreſſus videor, in tuo exceſſu, Rex clariſſime, Britanni omnes intelligent, qvale caput habuerint, Principem optimum, ſanctiſſimum, &, qvod caput eſt, clementiſſimum, qvi ut ſangvini ſuorum parceret, qvum tamen ſine crudelitate tueri majeſtatem ſecuritatemqve non poſſet, utiliſſimum excogitavit adhibuitqve tormenti genus, ut in bona ſubditorum ſuorum & fortunas ſolummodo ſæviret, ſatiusqve putaret, nobilium virorum ſtemmata ad ſqvalorem, eluviem, egeſtatem deducere, qvàm familia ſalva, hominem unum, alterum, tertium, plures ſine alio emolumento trucidare. Non optavit, qvod tyrannicum eſt ac deteſtandum, ut unam cervicem omnes haberent Papicolæ, qvam incideret; ſed effecit, ut egeni tantum eſſent, qvi reli-

gionis

gionis causa, aut ignomia affici, aut auxilio mulctari, aut bonis ejici digni erant. Maluit enim pro innata pietate sua alibi miseros vivere Britannos suos, Romanæ Ecclesiæ addictos, qvam domi florentes mori: qvasi facilius contempturi essent vitam, si in morte solatium invenissent. Excogitata igitur & inventa est ratio, qva nemo invitus moreretur, qvum honestius qvoqve esset, in exilio, qvam in carcere; deinde optabilius, sine ærumna, sine dolore, fortunæqve injuria, qvam carnificis manu extingvi. Proinde videant & admirentur uberem doctrinæ, qvæ in Jacobo, Rege mitissimo semper viguit, fructum. Condidit secures, laqveos, necisqve infamia instrumenta, ut decoctum voluptatibus suis ærarium impleret; & qvum suspecta esset crudelitas, occasionem Religio præbuit, qva Reipublicæ debili & propemodum exhaustæ subveniretur. Unde cum laude & simul lucro sævire in potentissimos qvosqve Rex potuit; nemo tamen Regi crudelitatem exprobrare. Vox, votumqve ejus erat,

Parcere subjectis; & debellare superbos:
Superbi autem erant, qvi Lares patrios, & consvetudines jam receptas fastidirent, qvi, ne sub oculis tuis verè lynceis, tuaqve censura viverent, nimis antiqvitatis ac simplicitatis tenaces, trajecto mari, & sub alieni Imperii libertate, qvietem & conscientiæ libertatem qværebant. Ad extremum superbi, & sic rebelles erant, qvia de Religione & salute æterna, non cum ipso Rege sentirent, rejectis atqve damnatis Majorum suorum decretis & exemplis: qvia etiam pluris tot ab antiqvo Reges, qvos è suo velut sangvine & domi natos educatosqve Anglia habuit, qvam novi & exteri, & velut ignoti sapientiam, doctrinam, auctoritatemq; facerent. Sed qvid est? in omnem partem ingenii tui cura, Rex vigilantissime, excubat, mare transit, omnes Europæ Regiones penetrat, urbes lustrat, angulos excutit; & qvia ubiqve oculos & aures, Persarum ritu, habes, ubiqve non tantum esse, sed etiam regnare videris: & qvum ubiqve ferè sedem, domiciliumq; Religionis necessitate habeant,

qvi

qvi tuo imperio subjecti sunt, ubiqve jus tuum tibi vindicas, & potestatem exerces, Regibus, Principibusqve sive neglectis, qvod in Religionis negotio facere debes, sive etiam contemptis, qvod potes. Atqve hoc sanè est Augustissimi Regis, Fideiqve veræ, Christianæ, Catholicæ, Apostolicæ defensoris officio fungi: hoc est uti titulo, qvem, qvum à Leone Henricus VIII. acceperit, usurpare tu qvoqve possis, eo videlicet jure, qvo Romanum Pontificem Antichristum & voce & scriptis appellare soles. Intellexisti autem pro solertia tua, Rex perspicacissime, fidem omnem in regno esse positam: sed qvum nec tua virtus virtuti Henrici, nec tua doctrina Henrici doctrinæ cedat; tuum esse munus censere potes, tuumqve honorem, qvem ille, cum hostis esset Ecclesiæ Romanæ, & sic Pontificis, tamen retinuit.

† † †

Paterna erga Reges & Regna omnia solicitudo, qvem non in amorem rapiat & admirationem? Mones Principes, doces populos, & qvum affectum explicas,

qvumq; prudentiam & doctrinam illam plusqvam Regiam, testatam omnibus ὀκαίρως ἀκαίρως reddis; qvo imperio, & qva confidentia utaris, egregie ostendis. Intelligimus igitur reliqvos, si tecum conferuntur, Reges, fungos, caudices, stipites esse; ac prorsus throno suo indignos. Nam profecto tu unus es, qvi te Regem esse intelligis, qvi jura sceptri tui à nullo, nisi à te ipso, dependere pateris, qvi intolerabilem illam Romani Pontificis potestatem, ut verum Dei Vicarium decet, intrepide proculcasti. Servi sunt, tu liber es: exui regno possunt: tu tibi possessionem stabilivisti. Occidi possunt: tu te scelestissimis sicariis, immanissimisq; parricidis opposuisti. Qvoties reliqvas virtutes tuas cogito, præterire, qvicqvid fortuna dedit, possum, ac nihilominus te maximum potentissimumqve celebrare. Talem tantumqve tu te ipse facis. Nam regnorum titulos ministri & legati tui recensent ac scribunt: tu, qvum te Jacobum dicis, totam magnitudinem exprimis. Illi te admirabili formula, & serie, primum Galliæ, deinde magnæ Bri-

Britanniæ, Hyberniæqve Regem pronunciant: tu pulchriori titulo te Fidei defenſorem clamas: illi, qvum omnia vanitati tribuunt, potentiam tuam in Galliam extendunt, atqve inde ordiuntur: tu, qvum te Chriſti Vicarium, Eccleſiæq; caput, per ſummam pietatem conſtituis, ne terris qvidem contentus es. Qvare non fruſtra etiam, qvoties comparatio inter te, aliosqve Reges, Principesq; Chriſtianos inſtitui ſolet, delectari te verſiculo illo Satyrici ajunt:

Qvanto Delphinis Balena Britannica minor.

Abeant igitur alii Reges, abeant, parvi ſunt, abjecti ſunt, Delphines ſunt; Jacobus magnus eſt, ingens eſt, Balena eſt. Ac tametſi Delphino Antiqvitas velocitatem, φιλανθρωπίαν, primumqve inter piſces nomen tribuit: tamen longè excellentius eſt, cum Balena, id eſt, immani bellua comparari, qvæ, ut Plinius ſcriptum reliqvit, ingentis columnæ modo ſe extollit; altiorqve navium velis, diluviem qvandam eructat. Qvid etiam? ad flexum immobilis, ad repugnandum

iners, & pondere ſuo onerata, qvum ab Orcis oppugnatur, ſolum auxilium novit, in altum profugere, & ſe toto defendere Oceano. Deniqve os habet in fronte, ideoqve in ſummâ aqvâ natans, in ſublime nimbos efflat. Tu ſanè, Rex Superlative, eousqve te jam extuliſti, ut columna videri poſſis, cui omnium Regum ſalus innitatur. Deinde, qvoties in Pontificem debaccharis, doctrinæ qvandam diluviem eructas. Interim, ſi qvis Bellarminus, ſi qvis Scioppius te invadat, facis prudenter, qvod Balena ſolet. Qvid verò ſit, os in fronte habere, ii dicent, qvibus omnis in verbis pudor periit; ii, qvi impudenter qvæcunqve effutiunt. Sed profecto ita eſt, loqvi neſcit, qvi non audet. Scribendum eſt, imò delirandum eſt, ut qvacunqve occaſione adverſarios terreas. Qvum vera non ſufficiunt, falſa ſuccedent: qvum docta non ſuppetunt, vulgaria ſervient. Hinc ſumma natat aqva, qvi levia, vana, fluxa, docet; qvi veritate deſtitutus eſt, rerumqve omnium profunda ſcientia caret. Sed qvid tum facto opus? in ſublime nimbos

bos efflare, indignationem mentis, humida verborum copia propellere, seditiosis scriptis Europæ in Pontificem Romanum adhuc pronæ, pacem conturbare. Nemo hactenus Regum id ausus est, nemo etiam præter te unum potuit. An mirum? nemo tam magnus, atqve vastus unqvam, nemo Balena fuit. Verum enim vero, qvum hoc tibi imprimis elogium placeat, tanqvam aptissimum; omnibus libris tuis, omnibus aulæ parietibus, omniumqve urbium portis inscribi, idqve Balenicis literis debebit:

QVANTO DELPHINIS BALENA BRITANNICA MAJOR.

Qvod si & picturam amas, non deerunt viri ingeniosissimi, vel inter eos, qvi imagines colunt, & libros tibi inscribunt, qvi egregio emblemate tam pulchrum versum exornent.

† † †

Agnoscent paulatim, magnitudinem istam in hac una liberalitate potissime sitam esse. Neqve enim simplicia tua munera sunt, data nescio, an profusa? sed maximis honoribus exornantur: non in

omnem ætatem, sed in floridam illam, vetustamqve collata; nec in eos, qvi bene de regno meriti sunt, verum, qvi bene de te mereri possunt. Nimirum non hic virtutem, sed formam æstimas, qvam in maximo semper honore ac pretio fuisse, ab ipso Socrate discimus. Mitto Sapientem, & Imperatorem insinuo. Unius Antinoi tam pulchrum exemplum est, ut argumento sufficiat: Is qvũ in Ægypto extinctus esset, & muliebriter ab Hadriano defletus, (sic enim plangi debuit, qvemadmodum amatus erat) inter Deos relatus est, & in siderum ἀστροθεσίαις sedem accepit; qvasi cœlo digna tam eximia pulchritudo esset, in qva exprimenda tot artifices laborarunt: alii, ut ad Spartianum annotavi, in orbe Lunæ cum Endymione collocarunt.

† † †

Non potuisti liberalius. Nam excepto, qvod Dii non sunt, omnia contulisti.

† † †

Et qvis reprehendat? promovere pulchros, id verò est bonos exaltare. Joannem Ramsey, Scotum, interfecto Gowero,

ro, non minus pulchrum qvàm fortem, arbitratus, Eqvitem Auratum, & qvaſi adhuc affectui non ſatisfaceres, Vicecomitem creaſti. Sed cur in uno hæreres? Philippum Harbert, Fratrem minorem natu Comitis de Pembrook, adoleſcentem venuſtate gratioſum, à cubiculo tibi eſſe voluiſti, qvo in gradu beneficio obſeqvium reddi potuit. Meruit & hic profuſiorem benevolentiam. Comes enim de Mungomeri creatus, variisqve muneribus ditatus eſt. Sed qvid placere ſemper poteſt? Trienniô ferè exacto, pulcher tibi viſus eſt Robertus Carr, puer ex honorariis, præmiisq; mox dignus habitus, non lentis gradibus ad ſummas dignitates aſcendit. Laudarem fortunam adoleſcentis, niſi eam humanitas tua vinceret. Primum qvidem Eqves Auratus factus eſt, deinde Vicecomes de Rocheſter, mox à Conſiliis, circa annum ætatis XXVI. poſtea Comes de Sommerſet, deniqve Magnus Cubicularius tuus. Huic jam maturo, variisqve nobilium proſcriptorum bonis ditato uxorem addere voluiſti, & qvalem obſecro?

divortio qvæsitam. Hos secutus est incomporabili forma adolescens Georgius Villiers, â Regina ipsa in cubiculum tuum introductus, ubi eodem die & Eqves & à Cubiculo factus est, nec multò post à Fisco Regio annuam decem millium florenorum pensionem accepit. Jam vero † † An & verbis hæc res indiget? Britannos ego, non Arcades laudo: delicatiores sunt, qvàm ut glande victitent: βαλανοφάγους nostra Ceres patiatur?

† † †

Animi bona & sermo seqvitur, qvasi aliter loqvi non possis, qvàm facis. Nam qvi te audit, de Majestate neqvaqvam dubitat. Charactere instructus Regio, animi qvemcunqve motum sic qvotidie ore depromis, ut altiore numine afflatus videaris. Tanqvam omnia displiceant, & angusta sint, irrasceris omnibus. Nunc cœlum reprehendis, nunc elementa castigas verbis, nunc cum pluvia, vento, sole litigas: & miraris, ad obseqvium tuum rerum naturam non esse, qvum Regem agas, qvum Dei Vicarium, id est, Pontificem Regia persona repræsentes.

Ergo

Ergo qvum ἀρᾶς ἱερὸν dici poſſis, diræ & execrationes omnem ſermonem conſtituunt; hoc robore qvoties vel ad ſidera exſurgis, vel in tartara penetras, verba animantur, his volant alis. Fulminas, non loqveris, ut Regem à Jove enutritum decet, & à ſacro ore tuo prodit, imò in vultu eſt, qvod etiam familiares tui timeant. Sanctiſſima verò Religionis nomina & myſteria ad terrorem aſſumi, ſive generoſitas qvædam, ſive pietas eſt. Tam enim tibi Deus familiaris eſt, ut ne in ira qvidem ejus oblivisci poſſis. Regem te neſcirent multi, niſi his armis inſtructa lingva tua eſſet; negarent Pontificem, niſi ſic orationem formares. Aut fallor, aut pulchrior eſſe eloqventia non poteſt.

† † †

At ingenii tui magnitudo in eo relucet clariſſimè, qvod excuſſis & examinatis tot Reformatæ religionis opinionibus, in qvas induſtria Reformatorum ſecta & ſciſſa eſt, & qvotidie magis ſcinditur; collocatis tot erroribus, qvi admirabili partium pertinacia defenſi ſunt, potue-

tueris animadvertere, in ſolis apicibus leviſſimisq; punctis, hoſtes omnes (qvi propemodum infiniti ſunt) Eccleſiæ Romanæ, & illud tot capitum corpus diſſidere, & facile in concordiam reduci poſſe. Qvæ ſolertia eò major eſt, qvod mihi, ne qvidem poſt epiſtolam tuam monitoriam editam, ejusmodi aliqvid in mentem venerit. Etenim exiſtimavi ſemper, qvæcunqve à Luthero, & poſt Lutherum à tot aliis in religione innovata ſunt, δὶς διὰ πασῶν ſejuncta eſſe, & vel ex διαμέτρȣ diſtare, faciliusqve flammam & aqvam, tenebras & lucem inter ſe conjungi & coaptari poſſe, qvàm ſolos Puritanos, ut reliqvos taceam, cum orthodoxis tuis, id eſt, latrones, ut tu appellas, cum viris bonis, iisdem ritibus Religionis & articulis uniri & conſtringi. Nam qvid opus, Anabaptiſtas, Libertinos, Swencfeldianos, Valentinianos, Arrianos novos, Semiarrianos, Tritheitas, & Socinianos, qvos ego præfatione ad exercitationes meas, peſſimos memoriæ noſtræ hæreticos nominavi, componere? Scripſi etiam; Ad primos tumultus pro-

pter

pter Ecclesiæ reformationem excitatos, examina sceleſtiſſimorum hæreticorum repente emerſiſſe, qvi piorum qvietem ſollicitarent, & eorum exiſtimationem apud τὰς ἔξωθεν macularent. Qvorum omnium etiam doctrinam, perditiſſimorum hominum deliria appellavi. Sed error hic meus, ſanè ingens ac propemodum intolerabilis, ſapientiam & intelligentiam tuam, Rex Doctiſſime, magis illuſtrat; qvum, qvas ego trabes & moles exiſtimabam, tu deprehenderis feſtucas tantum, ac paleas eſſe. Qvæ una maximè res & me (qvod gaudeo,) è latronum numero eximit, & firmius Eccleſiæ tuæ conjungit, vere potius, qvàm purè reformatæ.

Qvantum igitur ingenium tuum eſt, tantum ego beneficium accepi: tuqve plus mihi theologica doctrina tua conferre potuiſti, qvam ego acumine literarum mearum reddere. Nimirum plus tu è Luthero, qvem Scriptorem tuum appellas, & cum S. Joanne Baptiſta confers, qvam ego ex omnibus Grammaticis, & tota Antiqvorum πολυμαθίᾳ didici.

Nolo

ac generoſi9, qvamcunqve in partem libet, corpuſculum bene habitum, adeoqve naſcentem aqvaliculum transfers. Utantur alii grallis; tu idem cruribus facies, & tanqvam terram ſpernas, ſublimis ambulabis. Id verò novum non eſſe, aut à natura Regum non alienum, Eduardus I. Angliæ Rex oſtendit, qvi à tibiarum longitudine, ut Hector Boethius ſcribit, Langſcanzius fuit appellatus. Sed nimium ego qvidem in pedibus tuis cruribusqve contemplandis hæreo: ſi formoſus eſſes, ac ſimilitudinem cum pavone haberes, ad caudam me transferrem; ſed qvia ſeorſim mihi cauda tua antica laudanda eſt, à vultu potius ordiar: in qvo qvi peregrinitatem neſcio qvam ac deformitatem, tanqvam depravatum formæ genium accuſant, næ illi nimis delicati ſunt, ac certè ignorant, hanc viri & præcipue Regis pulchritudinem eſſe, ſi aut turpis, aut turpi proximus videatur: nec aliter Euripidis illud intelligendum εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Et tamen contrahe faciem, torqve lineamenta, prode his larvis animum; pulcher eſſe potes, qvoties

qvoties opus eſt; qvotiescunqve extra tuum hortum poma legis, formam in te, laſcivientes † inveniunt, pulchrumqve putant, qvicqvid Rex opere non communi facit; ſanctum, qvicqvid Pontifex perficit. † †

Namq; ego fortaſſis nimis jam ſecreta penetro, tuqve mavis harum rerum laudem in conſcientia tua, qvam rumore publico poſitam eſſe. Satis etiam erat publicè dicere eos affectus & blanditias Veneris tuæ, qvas omnium non potes oculis ſubtrahere aut negligis. Cujusmodi ſunt: in epulis ebria voluptate oculos paſcere, verborum petulantia cupidinem concitare, contrectare malas, ſvavium pangere, & velut à fumo flammam ordiri, qvam in ſeceſſu extingvas. Hæc, inqvam, dicere ſatis erat; atqve hæc ornamenta qvædam vitæ tuæ ſunt, qvibus conſeqveris, ut nemo te triſtem, nemo matutinum, nemo durum appellet; ſed ſvavem, hilarem, ſolutum omnes celebrent; qvaſi tu nobis & ſapientem ſine ſupercilio, & doctum ſine pallore, & Principem ſine cura repræſentes. Agis

Regem, & rigorem exuis; agis Pontificem, & svavitates assumis. Qvid multis? misceri Venerem cum Minerva posse, voluptatem cum Religione, admirabili sapientia, & inusitata hactenus sanctitate ostendis. † †

Christi vox erat: Sinite parvulos venire ad me: tu pueros, eosqve formossimos vocas, & in his naturæ beneficia & miracula æstimas. Perge verò, perge Rex dulcissime, hoc qvod agis, agere, perge in stuporem mortales omnes rapere. Nam si hactenus incredibile visum est, inveniri Regem, qvi scriptioni vacaret, & qvotannis libros in publicum ederet; hoc jam probe divinum est, posse eundem amoribus pene religiosis operam continuam dare. Alcibiades habes, & philosophari potes; Reges, & Socratem agis; amas, & pius es. † †

Qvia ad corpus pertinet, præteriri non debet. Ajunt enim pectus tuum genitiva qvadam nota insignitum esse, qvam qvum ad Leonem imperiti adulatores referre conati sunt, non intellexerunt, plus ferociæ tibi, qvam roboris, plus iræ

&

& furoris, qvam animi adscriptum esse: imò penitus ignorasse indolem tuam videntur, illam ad otium & qvietem compositam, vitæ sedentariæ idoneam & lucubrationibus dedicatam. Qvia tamen Actæonem nobis repræsentas, & venatione qvam plurimum delectaris, hoc signo fortassis admoneris, qvas potissimũ feras consectari debeas, ut strenuus & similis Alexandro videaris: leones inqvam; si tamen, qvi in Europa esse desierunt, nunc in sola Britannia reperiantur. Tu igitur, qvoties cornua sonant, & Dianam invocas, alias venaris, & alias, etiam dum qviescis atqve delitescis, capis feras, sub dio, an sub tecto dicam? feras amabiles, feras venustas, & qvas non opus est indagare. Sic & alio venabulo uteris, alium saltum excutis, alias voluptates capis. Sed & sic venari potes, ac nihilominus fortis esse. Nam & hoc robur leonis figura volunt designari. Mihi in mentem Philippi Macedonum Regis somnium venit, qvi uxoris Olympiadis ventrem sibi visus annulo consignare; atqve ejusmodi annulo, in qvo imago Leonis sculpta

pta eſſet. Poſt aliorum interpretationes Ariſtander Vates uterũ Reginam ait ferre, (nihil enim qvod inane ſit, ſignari) ac concepiſſe eam παῖδα θυμοειδῆ καὶ λεοντώδη τὴν φύσιν. Dicemus igitur pectus tuum cum Olympiadis ventre habere ſimilitudinem: obſignatum eſſe, ac latere ingenii tui fœtum prorſus animoſum ac leoninum, qvi, ubi prodierit, Evangelico rugitu Pontificem Romanum, duosq; ejus Athletas indefeſſos, Bellarminum & Petronium Cardinales invadet, atqve penitus conſternabit. Putant vero alii, non Leonis ſignum, ſed Bufonis ſive ranæ eſſe, & tali nota maculatum pectus tuum, ut ſciremus, qvantum Eccleſiæ Dei præſtes. Qvemadmodum enim hoc animal, etſi veneno noxium, ea tamen præcipue herba, qvæ à ſalute ſalviæ nomen habet, delectatur, & circa radices ejus hæret: ita omninò Chriſtianæ Religionis dogmata, unica æternæ ſalutis inſtrumenta, & velut pharmaca, à te amari unicè, contrectari continuò, atqve à ſapientia tua bufonica vim ſuam omnem accipere, nemo eſt, qvi neſciat. Qvæ qvidem interpre-

tatio,

tatio, qvum & docta & magnifica ſit, ceſſare aliorum acumen poterit, qvi ut præpoſtera ac penitus intempeſtiva potentiæ cupidine animum tuum inflent, Galliæ illud Regnum tuum vetuſto notari ſymbolo contendunt: qvaſi hoc titulis, qvos uſurpas, debeatur; armis, qvib9 vales, promittatur; ac facile, ſi modò bello agere incipias, poſſit vindicari. Horum ego ingenium qvidem laudo, at conſiliũ reprehendo, qvum ſciam, nullo modo rejectum Lilia iri, ut Bufones recipiantur. Expectas igitur fortaſſis, Rex Lepidiſſime, ut qvoniam tibi in hoc characteriſmo vehementer places, depromam, qvænam de eo ſententia mea ſit. Ne ſuſpenſum te diutius teneam, aut etiam erudita ſubtilitate torqveam, animadvertendum eſt, vel à rebus ipſis, vel ab earũ imaginibus ſive φαντασία hujusmodi ſigna eſſe. Si à rebus, examina qvæſo, faciliusne in Scotia Bufonem, an Leonem mater tua viderit, qvum prægnans eſſet: ſi à φαντασία, expende tecum, qvid, qvum utero concluſum adhuc onus eſſes, ſive de Leone ſive de Bufone gravida cogitabat.

bat. Sed absit, ut qvicqvam auribus tuis ingratum à me proficiscatur. Tu si Leonem esse dixeris, dico Leonem esse; Busonem autem esse, si permiseris; præsertim, cùm generosè olim Busonem devoraveris; aut si tantum libertatis homini jam tibi in omnibus obstricto concedis, informem modò maculam, naturæ vitio esse, & hoc solum notare, qvod habet. Sic de Nerone Svetonius scribit, corpore eum fuisse maculoso & fœdo. An verò in Augusti pectore alvoqve notæ in modum & ordinem ac numerum stellarum cœlestis ursæ dispersæ fuerint, dubium est. Ut cæteros omittam, Seleucum & simul vim naturæ admiror. Nam qvod ille nativum in femore signum anchoræ habuit, liberi & nepotes acceperunt. Verum concedamus, perfectam hanc fuisse anchoram, atqve in aliis nunc lanceam, nunc gladium, nunc sceptrum fuisse figuratum; tibi doctrinæ, sive scholæ aliqvam debebat natura notã, qva omnes admoniti Reges, tuo calamo sceptra sua submitterent, teqve unum esse divinitus designatum, agnoscerent, qvi scribendo, do-

docendoq; non tantum fortunam suam vinceret, sed inter Magistros ipsos aliqvod sperare nomen posset. Minus enim difficile erat, scribere Regem, qvàm inter Scriptores regnum obtinere.

† † †

Nemo tam inficetus est, qvi elegantiis non capitur. Ad me qvod attinet, admirari malo omnia, qvàm singula perseqvi: sed prout mores tui sunt, in victu, vestitu, cultu non tam consvetudinem, qvam sapientiam dilaudo. Videris enim alibi amplius ingenio, qvam mori dare, nec seqvi exempla vitæ, sed formare: qvod sicuti magnum est, ita nisi à maximis viris fieri non potest. Hæ igitur, qvæ in alio homine turpitudines essent, in te elegantiæ sunt (tantum interest, à qvo unũ qvodqve fiat) & qvæ à te uno usurpantur, accusari sive reprehendi non debent. Qvia vita convivio constat, hic ostendis maximè, qvid maximè Regis amores commendet. Hilaris es, & de rebus Fidei agis; hoc Regium est. Genio indulges, & salutis mysteria ordinas; hoc Regium est. Non bibis, sed cum strepitu

sorbes vinum, & velut fugis; hoc Regiũ est. Jam verò sæpius qvotidie manducare, & vix ori ferias dare, tam naturale est, ut ab omnibus animalibus usurpetur. Refundere cibum, qvoties onus est, supernaturale puto. Qvod menstruum esse posse Galenus præscribebat, Rex Capacissime, tu freqventer & assidue facis, nec decumbis: tamqve facile tibi est ex eqvo vomere, qvam in mensa onerari.

† † †

Nec in ullo hactenus observatum. Nam qvum solus es, & spatiaris, non recta profers & distingvis vestigia, sed in gyrum tollis gressum, & circumis, sive Libero ductore propitio tibi numine, sive alio naturæ instinctu: tanqvam incessu ipso æternitatem formes, ac cœlesti tesferis motu, ubi animum collocaris. Aut fallor, aut sic eundo philosopharis qvoqve, ostendisqve in orbem agi omnia, ac mutari, qvæcumqve in rebus humanis videmus: nisi potius hinc nobis discendum sit, te unum inter Reges esse, qvi divina ingenii doctrinæqve vi convertere statum Europæ, miscere sacra profanis, extol-

extollere ima*, deprimere summa possis. † †

Etiam insecta qvædam noctu circa lychnum volitant, sed aduruntur, ac lumini hostiæ cadunt. Ita est, fateor, flammam nemo tangit, & illæsus abit † Volunt igitur, Rex Circularissime, Pontificem Romanum flammam esse, & in noctem lucere: nos velut insecta esse, & circum volitare. † † †

Ut omnia dicam, nihil pulchrius perfectiusqve circulo est, nihil divinius, nihil Rege dignius. Unde si περιφερῶς instituantur & agantur omnia, cœlum in terra habere videamur. Qvam infamiam περιοδεύται sive ἐυγύρται timeant? περίφοιτος καὶ περιφόρητος, qvũ pulcherrima ac præclarissima meditaris, tu ipse existis. Qvomodo non curiæ vectigal augeatur? in causis controversiisqve circuitu omnes malent, qvàm jure agere. Qvia tuam esse περιφορὰν Ecclesiæ filii animadvertunt, pari significatione aberrationes mentis & hallucinationes suas, pro divina Sapientia habent. Alii, qvia circumire sciunt Regium esse, circumvenire &

circumſcribere, ſuum arbitrantur. Agite Britanni, confidite Miniſtri, curva omnia, torta, turpia nemo reprehenſurus eſt; Regis exemplo, recta, plana, honeſta exulabunt. † † †

Qvicqvid dixi, Fortuna facit. Tam propitio & benigno numini adſcribendum puto, qvod Jacobus, qvod Rex ſis, qvod Sexti cognomen in Primi commutaveris: qvod qvum manum calamo armaſſes, Principes omnes, Eccleſiæ Romanæ filios obliqvis calumniis lædere potueris, nec cujusqvam tamen hactenus iram timueris, ſenſeris, exceperis. Libidinis & illicitum matrimonium nonne Henrico Magno objeciſti? at ille neglexit librum tuum, non ignorans, qvàm multa ingeniis concedi debeant. Auguſtos Auſtriacæ ſtirpis Principes, inclytum Poloniæ Regem, Sereniſſimos Bavariæ, Sabaudiæ, Lotharingiæ Duces nonne fatuos, parum Chriſtianos, idololatras, adoratores beſtiæ, ſive Antichriſti inſimulaſti? Hi tamen omnes, tanqvam à Miniſtro, non Rege Theologica ſcriptio profecta eſſet, inſuper habendam eſ-

ſe

ſe cenſuerunt. Tanta & tam manifeſta hæc felicitas eſt, ut clamare cum Oedipo Sophocleo non immerito poſſis: Εγὼ δὲ ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμω. Ergo ſeqvere matrem tuam, Rex εὐτυχέστατε, hanc inqvam Fortunam, & majora aude atqve molire. A calamo nunc tandem ad arma veniendum eſt, hortante inprimis magno illo Bellatore & Pyrgopolonice Mornæo: ut pugnes etiam, qvi ſcribere hactenus potuiſti, & de te Homericum illud deprædicemus,

Αμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.

Tuum enim eſt, tuum, Martialiſſime Monarcha, orbis negotium agere, liberare tyrannide mundum, ſuperſtitione Eccleſiam, infamia ſeculum: tuum eſt exeqvi, qvod in ſalutẽ humani generis Deus Optimus Maximus ordinavit. Cadet Babylon, cadet Babylon, ſi tam modò fortis pugnando eris, qvàm ſcribendo fuiſti doctus: ſi qvemadmodum belluam illam Romanam felici confixiſti calamo, ſic ultore qvoqve gladio feries. Bello & Marte res peragenda eſt: nam vinci Romanos

manos posse, tot jã Barbari ostenderunt. Post Herulos & Gothos Britanni erunt: post Odoacrem & Theodoricum Jacobus ostendet, è Septentrione omne malum esse. Arma viri, ferte arma. Qvam facilis expeditio futura sit, Calchas ille Plessæus, ille Vir Dei, ille Ecclesiæ Vates obstupendo iniqvitatis suæ Mysterio explicuit. Etenim qvum Italiæ appropinqvabis, admirabili Dei beneficio Alpes statim succollabunt, & exercitum tuum sine molestia ac mora recipient, Eridanus se diffindet, transitumqve præbebit, Apennius dissiliet. Qvid etiam? ad tubarum tuarum sonitum septem illi montes deprimentur, muri procumbent, & ipsa Hadriani moles concidet. Qvid verbis opus est? Romam ibis, nec domesticas tuas Britannicasq; voluptates deseres. Tota illa expeditio velut venatio erit, sed Romano ritu instituenda. Tu venabere, spectabit orbis. Bellua qvæ petetur, Regia indagine digna est, Regiis plagis, Regio venabulo. Non est, qvod laborem aut periculum timeas: recreaberis magis qvàm fatigaberis; stragem magnam edes, nul-

lam

Iam accipies; prædam ages, nec læderis. Neqve interim à ſtudiis aut conſvetudine vitæ recedes. Comitabitur, velut ad ludum, Regina ipſa: & ſi hæc ſatis non eſt, ſeqventur aliæ Veneres, alii Cupidines, velut itinerum deliciæ: qvo pulcherrimo comitatu atqve ſatellitio oſtendes Italis, nullam tibi formam, nullamqve voluptatem in Britannia, ac ne fomenta qvidem voluptatis deeſſe. Etenim Frontiniana tua vina in promptu erunt, ubicunqve eris; poterisqve mox præda ditior, non octingentos, qvod hactenus tibi ſolenne fuit, ſed octies octingentos in ſingula vaſa florenos expendere. Qvia etiam non alio ſucco vivis, non alio qvotidie liqvore mades, Genialiſſime Rex, diviniorem qvotidie mentem habes, & exurgis, qvo nemo hactenus Regum potuit aſcendere. Nimirum rerum omnium mortaliũ obliviſci debes, ut de Deo loqvaris, ut Religionem conſtituas, ut Pontificem te teſteris. Hæc omnia eo ſvavius armatus facies, qvo propius ad contemplationum tuarum fructum, & plenitudinem votorum accedes. Pocula verò non minus effica-

fica-

ficacia foris, qvàm domi invenies: convivia non minus Theologica in castris, qvã Londini in Regia agitabis. Bacchꝰ ipse vigorem ac scientiam dabit, nec difficilem in cum Marte mixturam faciet: Bacchus inqvam Pater, qvem non tantum vini Deum multi faciunt, sed & maximum fuisse bellatorem fatentur. Strenuè bibes, ut acrius pugnare possis. Sic Deo auspice, auctore, adjutore, impulsore, ut idem ille Calchas noster vaticinatus est, potestatẽ iniqvitatis extirpabis, & simul veneficia omnia, parricidia, totq; humani generis mala desinent. Ubi victor & triumphator proculcaveris hostes tuos, deliberare qvoqve incipies, Romæ an Londini Pontificatum reformatum gesturus sis; Britanniæ mores in Italiam, an Italiæ thesauros in Britanniam laturus. Ac præstabit fortassis, qvia Romanis nomen Regis invisum est, Britanni autem Pontificis auctoritatem satis adhuc non concoqvunt, ut diviso munere imperioq;, Romæ Pontificẽ, in Britannia Regem agas. Ita enim aliqvam libertatem Britannis dabis, nullam Romanis servitutem inferes: cla-

rus-

rusqve clementiæ ac prudentiæ laude apud omnem Ecclesiæ posteritatem eris. Atqvi præpostere fortassis victoriam ordino, qvi de militia ad victoriam necessaria, nihil adhuc dixi. Itaqve qvantum tu in librorum & doctrinæ negotio sapere potuisti, tantum ego in belli ratione consultanda audebo. Censeo igitur, qvod primum est, ut qvia Religionis & Fidei causa exercitus conscribi debet, eos potissimum in militiam assumas, qvi à te proximi sunt, & Religionis Fideiqve causam verbis agunt. Nam si Ministrorum numero ordines instruas, magnum sumptuum compendium fiet: non gladiis, hastis, clypeis opus erit, à se habebunt arma & non mares tantum, sed maritos se ostendent. Cornibus pugnaturi, hircorum & taurorum vim in hostem effundent. Neqve indecorum puto militare Ministros Evangelii, qvum belli Ducem Pontifex agat. Nam qvemadmodum qvi Rex est, Pontifex esse potest: ita qvi Minister est, pari jure miles censebitur. Tum qvoqve si qvæ forte civitas oppugnanda, qvod in bello fieri solet,

si muri

ſi muri qvatiendi, Arietes habebis, qvio-
mnium baliſtarum & catapultarum offi-
cium exeqventur : copias verò ipſas, ſi
prælio confligendum erit, in mediam a-
ciem & duo cornua divides, qvorum al-
teri Mornæus, fortiſſimus ille belli auctor
& ſvaſor, præſit. Hujus demum exemplo
pugnare, hoſtẽ ferire, omnia Ducis mili-
tisqve munia obire poteris, hactenus ſo-
lummodo Scriptor, Doctor, Magiſter,
nec armatus unqvam, niſi qvum theſau-
rum in ædibus Gowerianis qværeres, &
à felici cataſtrophe amores invenires.

† † †

ISTA QVIDEM HACTENUS:

Verum è dubia interdum ſcriptura
tam religiosè collecta, ut ſecuti Auctoris
judicium, aſſecuti mentem videamur.
Fruſtula qvædam lituris obſita, ac nullo
ſenſu ſparſa, omitti, etiam Regis conſen-
ſu, poterunt. Cæterum ſi qvæ adhuc
fragmenta curæ ſecundæ eruent, κοινὸς
ἑρμῆς erit.

TRIPUS

TRIPUS DELPHO-GALLICA.

I.

LEpus Leones vulneravit Galliæ
Britannus ore Gallico:
Ludunt Leones, vindicantqve injuriam;
Sed ore cur non Gallico?
Terrent Latino, ut mox ſuo deſæviant
Diſcet Lepus non lædere.

II.

Vulneris impatiens, juſtum effuſura furorem
Vindictam orditur Gallica Nobilitas.

III.

Fit nulla stultè provocanti injuria:
Et qvi lacessit, auctor est injuriæ.

Plautus: QVI QVÆ VOLT, DICIT;
AUDIET, QVÆ NON VOLT.

* Dum hæc imprimuntur, obiter, & aliud agendo incido in cogitationes meas menstruas anni 88. ibiqve deprehendo, qvod jam ibi mense Novembri, dum de Polyhistore Morhofii dissero, qvædam de Corona hac Regia Casauboni dixerim. Igitur Coronidis loco judicium ipsius Morhofii de Satyra ista subnectamus. *Non potuit*, inqvit, *lib. 1. Polyhistor. cap. 8. pag. 78. Satyricorum manus effugere*

gere Jacobus Britanniæ Rex , ut, ut doctissimus & laudatissimus Princeps: cui sub specie Panegyrici posthumi à Casaubono scripti, cujus qvasi fragmenta inter schedas ejus reperta, per insignem neqvitiam continuo mycterismo horrenda flagitia objiciuntur. Lepidè alioqvin scriptus liber est; cui titulus: Casauboni Corona Regia *&c. Refertur in Georgii Richteri vita Epistolis ejus præfixa, pag. 21. è colloqvio cum Erycio Puteano accepisse Richterum, qvod Puteanus ejus libelli autor habitus fuerit: cujus rei verò famam ille enixè declinans velut Apologiæ loco scriptum qvoddam exhibuerit, cui nomen:* Perjurium Ruffi & Gib-

bofi, *præfatus, qvo delatorum fuorum virulentia ac finifteritati fatis fuiffe obviatum exiftimaverit.* Ex qvibus patet, qvod ipfe vir doctisfimus non fufpicatus fuerit, Scioppium effe libelli hujus autorem, cum tamen vel ex ipfo fcripto lector facilè conjecturas qvasdam contra Scioppium defumere poffit. Cæterum uti caufam, cur libellum hunc imprimi curaverim, explicui fuperius in Præfatione, ita videntur huc non incommodè applicari poffe verba, qvæ apud eundem Morhofium in eodem capite pag. m. 71. deprehenduntur, ubi de fceleftiffimo libello: de tribus Impoftoribus differit:

rit: (de qvo fortè in Tomo ſecundo qvædam annotandi dabitur occaſio) *Utinam ejus farinæ libri extarent, & legi ab omnibus poſſent! Certus ſum, ex ipſis tela, qvibus eorum calumnia juguletur, nos depromptu-ros.*

FINIS.



HISTORIA SAPIENTIÆ & STULTITIÆ,

collecta

à

CHRISTIANO THOMASIO,

JCto.


TOMUS II.

continens

APRILEM, MAJUM, & JUNIUM

Anni 1693.

Contenta ostendet pagina seqvens.



HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis & Impensis CHRISTOPHORI SALFELDII,
Reg. Elect. Brand. Typogr.

Contenta Tomi II.

I.

DEmocritus Abderita & Hippocrates Medicus Philoſophi Morales ad invidiam Philoſophorum Pſeudo-Chriſtianorum p. 1.

II.

Notata qvædam G. G. L. circa vitam & doctrinam Carteſii. p. 113.

III.

Scepticiſmus Juridicus Wittebergenſis. p. 124.

IV.

Severini Waltheri Sluteri Propylæum Hiſtoriæ Chriſtianæ. p. 135.

V.

M. de Claude Conſilium de Studio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ rectè inſtituendo. p. 145.



HISTORIA SAPIENTIÆ ET STULTITIÆ.

ANNUS 1693. APRILIS.

Democritus Abderita

& Hippocrates Medicus Philosophi Morales ad invidiam Philosophorum Pseudo-Christianorum.

PRÆFATIO.



Rodierunt hoc anno opuſcula mixta in duobus tomis Illuſtriſſimi Status Miniſtri Anglici, *Les oevres meslées de M. le Chevalier Temple.*

Primus tomus continet opuſcula ſex. *I. Conſiderations generales ſur l'Etat & les Intereſts de l'Empire, de la Svede, du Danemarc, de l'Eſpagne, de la Hollande, de la France, & de Flandres par rapport à l'Anglelerre en l'année 1671. II. La recherche ou l'Eſſai de l'Origine & de la nature du Gouvernement. III. La recherche de moyens d'avancer le Commerce en Irlande. IV. De la conjoncture preſente des affaires au mois d'Octobre 1673. V. De l'exces des afflictions. VI. L'eſſai du Moxa pour gverir de la Goute.* Contenta verò ſecundi Tomi ſunt iſta. *I. Du Scavoir des anciens & des modernes. II. Du Jardin d'Epicure. III. De la vertu Heroiqve. IV. De la Poeſie.* Jam uti mea intentio non eſt, ſingula hæc opuſcula recenſere aut ſententiam meam de iis dicere, ita id ſaltem ſummatim indico, ex nonnullis eorum, qvos fugitivo oculo perluſtravi, Virum illuſtriſſimum ſatis monſtraſſe orbi erudito, qvod cum ſcientia vitæ civilis à juventute conjunxerit alia ſtudia amœna, & utilia, Antiqvitatem, Poeſin, Philoſophi-

am

am naturalem pariter atqve moralem, in tantum, ut opuſcula hæc ſpeciminis loco eſſe poſſint, eum, ſi vellet, cum ingenioſiſſimis & erudititiſſimis ſeculi noſtri Polyhiſtoribus & Philoſophis de palma certare poſſe. In diſcurſu *de origine & natura imperii* eleganter pariter atqve eruditè ſocietatem civilem neqve ex pactis neqve ex bello, ſed ex autoritate paterna ortum duxiſſe declarat, qvamvis fortè non deſint, qvæ huic ſententiæ partim ex ratione partim ex Hiſtoria ſacra objici poſſint, aut, qvæ Virum Illuſtrisſimum cum iis, à qvibus diſſentit autoribus, facilè conciliare valeant. In tractatulo *de virtute heroica*, etſi nigrum rubro vix reſpondeat, jucunda tamen & notabilia ſunt, qvæ occaſione heroum, qvi qvatuor monarchiarum communiter ita dictarum inſtauratores fuerunt, de qvatuor magnis imperiis, Sinenſi, Peruvienſi, Scythico atqve Arabico diſſerit. Qvæ verò in opuſculo *de eruditione Veterum & recentium* pro veteribus diſſerit, uti magnoperé veroſimi-

lia ſunt, (nam in ejusmodi themate non niſi veroſimilia proferri poſſunt) ita optandum eſſet, ut noſtri Juvenes, Nobiles potiſſimum & majori adhuc natalium ſplendore fulgentes, exemplo Illuſtriſſimi Autoris adducti, ſapientiam veterum majori cura venerarentur, & Antiqvitatis atqve Hiſtoriæ Philoſophicæ ſtudium non tam generoſo contemtu deſpicerent: optandum eſſet, ut noſtri Doctores pudore ſuffunderentur, cum vident, Virum plurimis belli & pacis, iisqve gravisſimis negotiis penè merſum, tamen in antiqvitate Philoſophica ita verſatum ſe exhibere, acſi nihil niſi iſta tractaſſet; ſe vero, qvi ad talia ſcienda & docenda publicis aluntur ſtipendiis, ultra collegia præceptorum, aut, ſi inter excellentia ſeculi noſtri ingenia referri geſtiunt, ultra ſcripta aut Carteſii, aut Helmontii, aut Gaſſendi, aut Hobbeſii &c. aut ſi qvis ex antiqvitate nominandus eſt, τοῦ πάνυ Ariſtotelis parum vel omninò nihil ſapere. Sed optantur talia facilè, an ſperanda ſint, non liqvet.

Inte-

Interim id agendum erit, ut, ſicubi ex antiqvis oblivioni eripere poſſumus vel Philoſophum, vel doctrinæ Philoſophicæ ſpecimen, qvod pudorem noſtris extorqvere valeat, præprimis in iis capitibus, qvæ ad morum Philoſophiam faciunt, id omni conatu faciamus. Adduxit me iſta meditatio, ut in præſenti *Democriti Abderitæ* Philoſophiam moralem exhibeam. Notus eſt vel pueris ob ſæpius iteratum riſum, & mores ab Heraclito perpetuò flente, toto cœlo diverſos. Sed cum hac ſola circumſtantia non ſaltem pueris, ſed & magiſtris & Doctoribus plerisqve notus ſit, plurimis iſtis haud qvaqvã notus eſt Philoſophus ex ſapientiſſimis paucis ſecundus, utpote qui dum Democritum audiunt, ſtultum, Pedantam, ne qvid gravius dicam, ſibi imaginantur. Ipſe Diogenes Laertius ſolers aliàs Vitarum ſcriptor, qvæ de Democrito refert, pauca ſunt, & virum iſtum minima ex parte adumbrantia. Cæterum uti idem Laertius *in libro ultimo* nucleum Philoſophiæ Epicuri in

paucis Epiſtolis conſervavit, ita ſummus Medicorum Hippocrates in Epiſtolis ſuis ſummam Philoſophiæ Democriteæ, pulcræ profectò, qvantum ad morum Philoſophiam, &, qvantum ab Ethnico Philoſopho expectari poterat, cum multorum & antiqvorum & modernorum doctrinâ certantis, ab interitu liberavit. Nos vindicabimus ab oblivione. Etenim de eo conſtare arbitror, Theologos, JCtos, Philoſophos, & Politicos parum curare Hippocratis opera. Medici noſtri an præter aphoriſmos Hippocratis, & fortè pauciſſimos ejusdem tractatus alios medicos, ejus opera cognita habeant, & an ex centum Medicis unus aut alter ſit, qvi ſubitò rogatus de Epiſtolis Hippocratis ex vero reſpondere valeat, an Epiſtolas ſcripſerit Hippocrates? & qvid eæ contineant? ab ipſis edoceri mallem, qvam animi ſententiam mei ipſis ſincerè exponere. Cæterum & hinc inde Hippocrates de ſuo admiſcuit monita nonnulla & ſententias morales aureas omninò, & (ut ſtultitiæ

ſecu-

ſeculi me accom̃odem, Confutii Sinenſis doctrinam, utpote novam & ad æmulationem in diariis eruditorum exceptam, ut rem rariſſimam ſuſpicienti) plus qvàm Confutianas. Qvamvis non diffitendum ſit, Hippocratem in Epiſtolis magis opere & exemplo, qvàm doctrinâ monſtrare Philoſophum moralem, ita egregium & ſine exemplo factum ipſius eſt, qvod in prioribus Epiſtolis, peſtilentiam Perſarum concernentibus refertur. Qvare cum Epiſtolæ Hippocratis vel denegatam opem Regi Perſarum ab Hippocrate, vel Democritum & ejus Philoſophiam reſpiciant, & vero paucæ eæ ſint, omnes, cum ſummariis & ſubjunctis qvibusdam ſcholiis, non criticis & de literis aut ſyllabis ſollicitis, ſed ad rem ipſam, qvæ tractatur, pertinentibus, ſuccinctis tamen & ferè extemporaneis, juxta transmen & ferè extemporaneis, juxta translationem, qvæ in noviſſima Hippocratis operum editione legitur, in præſenti ſubjicio. Ergonè ais, ita lectorem decipis? Parturiunt montes: Formatur ti-

 tulus;

tulus: Democritus & Hippocrates, Philosophi morales &c. Naſcuntur Epiſtolæ Hippocratis. Ita eſt, amice Lector, ſed bene eſt. Hiſtoriam ſapientiæ & ſtultitiæ edo. Neceſſe eſt, ut & ſtultis & ſapientibus me accommodem. Dolus bonus eſt. Si tituli loco poſuiſſem: Epiſtolæ Hippocratis, forte, non dicam, non emiſſes, ſed, non legiſſes eas, ſive ſtultus ſis, ſive ſapiens. Jam viſo altero titulo, poſtqvam præfationem noſtram legiſti, & emes fortè & leges, ſive ſapiens es, ſive parum ſapiens, ne altera vox toties repetita te offendat. Ergo, ſi placet, lege & judica.

EPISTOLA I.

Rex Regum Magnus Artaxerxes Pæto S.

Qværit conſilium à Pæto ob peſtilentem morbum, qvi exercitum invaſerat.

MOrbus peſtilens appellatus, invaſit exercitus noſtros, & cùm nos ſæpe multa fecerimus, nihil adhuc

huc remiſit. Qvare magnoperè & per omnia tibi à me data dona (a) te rogo, ut aut aliqvid ex natura tua excogitatum, aut aliqvam ex arte actionem, aut aliqvod alterius viri mederi potentis conſilium celerrimè ad nos mittas. Propulſa oro, hoc malum. Multa enim anxietas populũ corripuit, qvæ ſpiritum magnum ac denſum habet. Non belligerantes debellamur: cùm hoſtem habeamus beſtiam illam ovilia devaſtantem. Sauciavit multos: ægrè curabiles fecit: amara ſpicula immittit. Conſilii inops ſum. Non amplius habeo, qvod cum viris natura prudentibus conſultem. Solve hæc omnia, neqve nos bono tuo conſilio deſtituas. Vale.

EPISTOLA II.

Pætus Regi Regum Magno Artaxerxi S.

a) Gratitudinem aliàs non meretur, qvi beneficia data commemorando qvaſi exprobrat. Sed Rex eſt, qvi ſtilo hoc utitur. Igitur nota ſtilum aulicum.

Pætus Regi consulit, ut Hippocratem ad curandum pestilentem morbum accersi curet.

NAturalia auxilia pestilentis morbi popularem grassationem non solvunt. Qvi enim ex natura fiunt morbi, eos ipsa natura judicans sanat. Qvi verò ex populari grassatione, eos ars curat, artificiosè judicans corporum mutationem. Hippocrates autem Medicus curat hoc malum. (*b*) Et genere qvidem est Doriensis, ex civitate verò Co, patre Heraclida, qvi filius fuit Hippocratis, qvi Gnosidici, qvi Nebri, qvi Sostrati, qvi Theodori, qvi Cleomittadæ, qvi Crisamidis. Hic divina naturâ præditus est, & ex parvis ac vulgaribus ad magna & artificiosa medicinam evexit. (*c*) Est igitur divinus Hippocrates, nonus qvidem à Crisamide Rege, deci-

b) Nostri Medici non curant. Qvis ergò sapientior? Et tamen nostri non ita multum curant Hippocratem.

c) Sane qvid artificiosius, qvàm qvod medicinam ad curandam pestem

decimus autem & octavus ab Aesculapio, vigesimus verò à Jove: ex matre verò Praxithea Phænaretes filia, ex familia Heraclidarum. Qvare ex utroqve semine à Diis ortum habet divinus Hippocrates: ut qvi à patre quidem Asclepiades est, à matre verò Heraclides. Di-
dicit

evexerit? Effectus & cura morborum testatur de Medico. Hodiè subtilitas doctrinæ illustres reddit Medicos. Neqve enim ullus, qvod sciam, eorum, qvi in scholis medicis regnant, in qvorum verba medici nostri jurant, medicinam ad eam dignitatem evexit, ut curam pestis doceat. Tot sunt opiniones de peste, qvot capita. Possideo tractatum Germanicum, cujus titulus: opinio singularis de peste, naturam morbi hujus soli Deo esse cognitam. Qvid mirum adeò, si apud Ethnicos ob hanc curam divini titulum acceperit Hippocrates? Hodie si viveret, fortè pro stulto haberetur. Bona verba qvæso. Probo. Stultus habetur Theophrastus, impius, magus. Qvid fecit? exprobravit medicicis inscitiam, & curavit pestem ac alios morbos, qvi à nostris non curantur. Ast manum de Tabula. Nam hæc materia ediosa est.

dicit autem artem tum à patre Heracli-da, tùm ab avo Hippocrate. Verum ab his qvidem primum, velut verisimile est, in re medica initiatus est, qvantum sanè credibile est hos novisse. Universam verò artem ipse seipsum docuit, (d) divinâ naturâ usus, & in tantum animi industria progenitores transgressus, qvantum etiam artis præstantia eosdem superavit. Tollit autem non bestiarum genus, sed ferorum ac agrestium morborum

d) Non fuit avtotidactus. Præcesserat enim, qvod imbutus sit à patre & avo. Sed fundamentis jactis ipse libro naturæ & ratione suâ usus est, neqve recepta ex locis communibus aut Sennerto hausit. Ita omnes studere deberent & tales autodidacti esse. Nos verò perpetuò hæremus in auctoritatibus Venerandorum, Illustrium & Experientissimorum Præceptorum. Ita mutantur mores & sententiæ de studiis. Neqve illud prætereundum. Fuit itaqve Hippocrates Medicus divinus, etiamsi non habuerit privilegium studendi in Academia à Pontifice & Cæsare confirmatâ, etiamsi non receperit Birretum Doctorale, aut etiamsi licentiam curandi ægrotos pecuniâ non rede-

borum per magnam terræ ac maris partem, Aesculapii auxilia, (qvemadmodum Triptolemus Cereris semina) dispergens. Proinde justissime in multis terræ locis divinos honores etiam ipse consecutus est, & iisdem donariis cum Hercule & Aesculapio ab Atheniensibus dignus factus est. Hunc ipsum accerse, & auri atqve argenti, qvantum voluerit, (*e*) ipsi dare jube. Hic enim non unum modum curationis hujus morbi novit. Hic est sanitatis pater, hic servator, hic dolo-

merit. Hæc omnia hodie pro piaculis haberentur, & Hippocrates si apud nos talia tentaret, haberetur pro Agyrta. Certè nobiscum sapientia morietur, in tantum fastigium à nobis deducta est. Nos non possumus literis bonis & virtutibus, (ut de Christianismo hic in materia medicâ nihil immisceam) operam dare sine privilegiis. Privilegiis acceptis manemus, qvales fuimus. Qvales? Certè non sapientes.

e) Verosimile est, Persarum medicos maximè avaritiæ fuisse deditos, qvod talia etiã præsumserit de Hippocrate Pætus. Ipsum enim Hippocratem nihil minus qvám avarũ fuisse, ostendent seqventia.

dolorum curator. In summa, hic divinæ scientiæ (*f*) Princeps est. Vale.

EPISTOLA III.

Rex Regum Magnus Artaxerxes Hystani Hellesponti Præfecto.

Jubet, ut Hippocratem accersat.

Hippo-

f) Est utiqve medicina divina scientia. Qvis enim absqve illumiminatione divinâ naturæ mysteria cognosceti? Ridiculum tibi videtur hoc paradoxum. Credo. Sed ridere desine. Ortum naturæ qvi nescit, naturæ mysteria non penetrat. Ortus naturæ creatio est. Creatio mysterium est, qvod ratio sibi relicta non penetrat, qvodqve nec vortices Cartesii, nec qvalitates occultæ Peripateticorum, nec vacuum Gassendi attingunt. Attinget tùm demum intuitu animalium anatomia, si ad liqvidum, clarum & distinctum conceptum ejus ope deducta fuerit generatio hominis, & sedes, explosâ jamdudum glandulâ pineali & corde, animæ rationalis. Nosti proverbium? Ad Calendas Græcas.

HIppocratis Medici (*g*) Coi ab Aeſculapio originem ducentis gloria artis etiam ad me pervenit. Dato igitur ipſi auri qvantum voluerit, & reliqva abundè, qvibus opus habet, & ipſum ad nos mittito. Nam optimatibus Perſarum æqvalis erit. (*h*) Et ſi qvis alius bonus vir eſt in Europa, eum domus regiæ amicum facito, nihil divitiis parcens. (*i*) Viros enim invenire, qvi conſi-

g) Jam tum ſtilus Curiæ apud Perſas erat, ut Rex ipſe ad ſapientem non ſcrîberet, etiam ubi maxime eo opus haberet. Fuiſſet enim infrà dignitatem Regiam. Conſentiunt mores noſtri.

h) Stilus regius, ſed in Curia ſapientis puerilis. Idem eſt, imò magis puerile eſt, qvam ſi infans offerat medico crepundia. Liber eſt ſapiens, Rex eſt. Et præmium ipſi offertur ſervitus, non apud liberum hominem, ſed apud mancipium affectuum.

i) Et hic ſtilus curiæ. Divitiis parantur amici, ſed curiales illi & aulici. Virtu- paratur amicus verus, qvam cum Aula non habeat, neceſſe eſt, ut crepundia ſua offerat.

consilio præstent, non est facile (*l*) Vale.

EPISTOLA IV.

Hystanes Hellesponti Præfectus Hippocrati ex Asclepiadis prognato. S.

Hystanes Hippocratem venire jubet.

MAgnus Rex Artaxerxes te opus habet, & misit ad nos Præfectos, jubens tibi argentum & aurum, & reliqva quibus opus habes, & qvæcunqve voles, dare, & brevi ad se mittere. Fore enim te Optimatibus Persarum æqvalem, Tu itaqve citò adsis. (*m*) Vale.

Epi-

k) Credo, vobis, qvi vitiis immersi dum extra necessitatem estis positi, non nisi vobis similes qværitis, lenones, helluones, fœneratores, molles, vanissimos homines, qvi viros consilio præstantes expellitis, qvi ut stultos eos contemnitis. Et vobis ergo facile foret tempore calamitatis invenire viros consilio præstantes! Absit.

m) Regis ad exemplum. Vide qvæso, qvâ autoritate, qvâ brevitate, qvo imperio mancipium scribat ad Hippocratem,

EPISTOLA V.

Hippocrates Medicus Hystani Hellesponti Præfecto S.

Satis pro Imperio.

AD Epistolam qvam misisti, à Rege venisse adserens, remitte Regi, qvæ dico, qvàm celerrimè (*n*) scribens: qvod & victu, & vestitu, & domo, & omni

cratem. Neqve enim ea comitas hic adhibetur, qvam Rex ipse testabatur. Annon agnoscis invidiam Hystanis? Ipse ex magnatibus Persarum oriundus non ægrè ferret, qvod Hippocrates Cous optimatibus Persarum æqvandus sit? Pertinet hic stilus ad locum communem de Hamane & Mardochæo. Vel imaginare tibi, qvalis Epistola futura sit, si ex Principibus Germanis aliqvis jubeat Ministrum primæ nobilitatis scribere similes literas ad Doctorem medicinæ.

n) Continet hæc Epistola sapientissimam & modestissimam irrisionem fastûs aulici. Non dignatur Regem, ut ad ipsum scribat, qvia Rex ipsum non erat dignatus. Imperaverat ipsi Hystanes. Ipse rursus hîc fortius qvasi imperat.

omni ad vitam ſufficienti opulentia (o) fruimur. Perſarum autem divitiis uti, fas mihi non eſt: (p) neqve barbaros homines à morbis liberare, qvi hoſtes ſunt Græcorum. (q) Vale.

Epi-

o) At qvantilla hæc, ſi ea, qvæ ad vitam neceſſaria ſunt, non egreditur? At qvanta hæc, ſi nihil eorum, qvibus ad vitam ſuſtentandam opus habemus, deeſt? Hæc eſt opulentia ſapientis. Tua, Lector, definitio opulentiæ an cum noſtra convenit?

p) Ergone, ſi fas fuiſſet, fuiſſet uſus? Ergone fortè ægrè tulit, qvod fas non fuerit? Abſit. Longè alium fuiſſe Hippocrati animum oſtendent Epiſtolæ ſeqventes de Abderitis.

q) Rarum exemplum amoris erga patriam. Sed an juſtum, an ſapiens, an laudabile? Ipſe defini. Fingamus Regem Gallorum publicum Imperii hoſtem recidivam pati morbi, qvo ante annos aliqvot torqvebatur. Finge Regem accerſere Medicum Germanum. Annon duplici fictione jam habebis opus, ſi fingere velis, Medicum Germanum reſcribere: *Gallorum divitiis uti fas mihi non eſt, neqve elegantes homines (barbarorum* enim nomen qvis aptaret Gallis?) *à morbis liberare, qvi hoſtes ſunt Germanorum.* Qvis non ride-

EPISTOLA VI.

Hippocrates Demetrio Sanitatem.

Summa non opus habet.

PErſarum Rex nos accerſivit, ignarus, qvod apud me major eſt ſapientiæ ratio qvàm auri. (r) Vale.

EPISTOLA VII.

Regi Regum meo Magno Domimino Artaxerxæ Hyſtanes Helleſponti Præfectus S.

Refert Regi reſponſum Hippocratis.

Qvam

rideret ejusmodi Medicum? Ipſi Principum Germaniæ intimiores miniſtri cachinno ejus ſtultitiam exciperent. Sed memento: Exempla non probant, ſed illuſtrant. Vides alia principia Politica in uſu fuiſſe apud Græcos tempore Hippocratis, alia eſſe apud nos, qvi de optima forma Reipublicæ diſputamus. Qvænam verò ex his magis Chriſtiana ſunt?

r) Epiſtola verè Laconica, vere aurea, ſed qvam non capit, niſi qui jam viam ſapientiæ calcavit.

QVam misisti Epistolam, jubens demittere ad Hippocratem Coum ab Aesculapio originem ducentem, demisi. Sed & ab ipso responsum tuli, qvod scriptum tradidit, & ad domum tuam transmittere jussit. (s) Itaqve ejus latorem ac nuncium Gymnasben Dieutychen ad te misi. Vale.

EPISTOLA VIII.

Rex Regum Magnus Artaxerxes Cois hæc dicit. (t)

Epi-

s) Agnoscis iterum stylum aulicum. Jam suprà notavimus odium & invidiam Hystanis erga Hippocratem, cujus hîc verò nulla apparent vestigia. Satis enim noverat Hystanes, responsum Hippocratis non fore ad palatum Regis, ut encomio ad irritandum Regis animum non esset opus. Tales mores & hodie sunt aulicis. Primum eorum principium est, dissimulare odium, aut si major eorum adhuc est malitia, simulare amorem erga eos, qvibus damnum inferre intendunt. Osculantur pugionem, qvô corda nostra petunt. Antiqvum & illustre hoc stemma est. A Joabo originem ducunt, osculante viros Principes, qvos interficiebat.

Arta-

Artaxerxes deditionem Hippocratis à Cois postulat.

DAte meis nunciis Hippocratem Medicum malignis moribus præditum, & in me, & in Persas petulanter se gerentem. Sin minus, cognoscetis, etiam primi peccati pœnam vos daturos esse. Urbem enim vestram devastatam, & insulam distractam, in pelagus convertam, ut in posterum tempus nemo sciat, an in hoc loco fuerit Insula, aut urbs Cos? (*u*)

Epi-

t) Nota iterum styli excelsi & Regii. Non salutem dicit Cois; nam & hoc foret infra dignitatem Regiam. Præprimis cùm contenta Epistolæ nullam gratiam Regiam spirent.

u) Vanissima foret hæc Epistola, & insigne insipientiæ Persicæ testimonium, nî pro excusatione aliqvali ejusdem afferri posses, Barbarorum vocem irritasse non planè sine causa Regem Persarum; Et poterat terminô istô abstinuisse Hippocrates. Satis enim notus est fastus Græcorum, qvô omnes populos extra Græciam pro Barbaris habebant, Barbaros verò dum dicebant, insipientes simul indicare volebant, vanè persvasi, sedem

 sapi-

EPISTOLA IX.

Coorum reſponſum.

Coi deditionem Hippocratis cordatè denegant.

VIſum eſt populo, reſpondere nunciis, (x) ab Artaxerxe miſſis. Coi nihil indignum facient, neqve Merope, neqve Hercule, neqve Aeſculapio. Qvapropter omnes cives non dabunt Hippocratem, etiamſi peſſimâ mor-

ſapientiæ Græciam ſolã eſſe. Sed non gravior injuria præprimis potenti aut diviti inferri poteſt, qvam ſi pro ſtulto haberi videatur. Inqvirendum fuerit, an jam illo tempore Barbarorum vox in malam partem fuerit uſurpata? Sanè adhuc dum Philoſophiam Aſiaticam memoramus, Barbaricæ nomine abſqve ignominia eam inſigniri videmus.

x) An ergo Rex Perſarum præcedentia non per modum literarum ad Coos miſit, ſed per nuncios ſaltem Cois dici curavit? An Coi, ut eo fortius faſtum Perſicum contemnerent, ipſum Regem reſponſione non ſunt dignati? Hoc certũ, vanam ſine viribus iram aut etiam contumeliam, non melius qvàm contemptu vindicari. Exemplum hæc Epiſtola ſuppeditat.

y) Rarum

morte ſint interituri. (y) Nam cùm Darius & Xerxes epiſtolas ſcripſerint, & terram ac aqvam à patribus noſtris petiverint, populus non dedit, cùm eos ipſos ſe impetentes, ſimiliter velut alios homines, mortales eſſe videret. (z) Et nunc idem reſponſum dat. A Cois diſcedite: qvoniam Hippocratem in manus veſtras non dant. Renunciate igitur ipſi vos nuncii, qvod neqve Dei ipſi noſtri negligentes erunt. (a)

Epi-

y) Rarum exemplum amoris patriæ erga bonum civem, erga ſapientem. Qvære ſimile in hiſtoria præſentis ſeculi, & ſi inveneris, diligenter adnota. Qvid ſi Rex Galliæ deditionem Medici operam ipſi denegantis, (nam & hoc fingamus,) à civitate qvadam Imperii liberâ petat? Fingamus etiam deditionem denegari, an cordatum ejusmodi denegationis reſponſum expectare admittet conditio noſtrorum temporum?

z) Aliis principiis neceſſe eſt, ut ſubnixa fuerit Politica Coorum, qvam hodierna. Politica Ariſtotelica vel Aulica etiam, non poterit non reſponſionem hanc audaciæ arguere. In promptu cauſa eſt.

a) Neqve enim hodie ulla fiducia erga Deum

EPISTOLA X.

Senatus populusqve Abderitarum Hippocrati salutem.

Rogant Hippocratem, ut insanienti Democrito scientiâ suâ & arte succurrat, promittuntqve liberalia dona.

NUnc maxime (*b*) urbi nostræ in periculo versatur vir noster, ô Hippocrates, qvi & præsenti tempore & futuro semper gloria urbi sperabatur. (Neque nunc, ô vos Dii omnes, nobis invideatur!) Hic præ multa, qvæ detinet ipsum, sapientia ægrotat, (*c*) ut timor non vulgaris sit, si Democritus mente motus fuerit, reverà urbem nostram Abderitarum pessum ituram esse. (*d*) Et

Deum est, qvia neqve reverentia est. Et tamen Christiani sumus! Surgent Coi in die illo, & damnabunt hanc generationem.

b) Et hæc Epistola inter rariores referenda, qvia sistit miram mixturam stultitiæ & virtutis in animis Abderitarum.

c) Habes indicia stultitiæ, Neqve enim non

(*d*) Etenim oblitus omnium, & primum ſui ipſius, (*e*) vigilans & noctu & interdiu, & ſingula parva ac magna deridens, (*f*) & totam vitam nihil eſſe putans, (*g*) vi-

non poteſt ſapientia ſtultis videri inſania aut morbus.

d) Habes indicia virtutis. Jam qvomodo hæc conciliabimus? Eſt enim moraliter impoſſibile, ut tanta ſtultitia admittat tantam mixturam virtutis? Reſpondebimus: Virtutem non veram ſubeſſe, ſed virtutis ſaltem umbram; Erat virtus iſta communis iſtorum temporum, amare cives ſapientes. At ſtultitia erat Abderitis propria & vera ſtultitia. Unde & populus Abderitanus in proverbium abiit, ut ſtultum denotet in Lexicis.

e) Vaniſſima opinio & hodie regnans. Dum ſapiens meditationibus indulget, dum in ſe intrat, dum profunde ſeipſum ſcrutatur, & interim ab inutilibus delectationibus ac converſationibus vulgi abſtinet, dicitur ſui oblitus eſſe. Dum ſtulti extra ſe voluptatibus, vanæ gloriæ, bonis fortunæ affixi, ſui cognitionem negligunt, ſtultus mundus ſe bene curare aſſerit.

f) Nihil eſt ab omni parte beatum. Furioſus intervalla furoris habet, qvæ ad prudentiam inclinant Ita ſapiens intervalla

ſapientiæ habet, qvæ ad ſtultitiam. Omnis exceſſus vitandus. *Heraclitus*, ait Seneca II. *de irâ c. 10. qvoties prodierat, & tantum circa ſe malè viventium, imò malè pereuntium viderat, flebat, miſerebatur omnium, qvi ſibi læti felicesqve occurrebant, miti animo ſed nimis imbecillo: & ipſe inter deplorandos erat. Democritum contrà ajunt, nunqvam ſine riſu in publico fuiſſe, adeò nihil illi videbatur ſerium eorum, qvæ ſeriò gerebantur.* Cenſuram Heraclito dat Seneca, cur Democritum abſqve cenſura dimittit? Si miti animo ſed nimis imbecillo erat Heraclitus, fortiori animo Democritus videtur fuiſſe, ſed parum miſericordi. Fortius conceptus exprimere poteris Idiomate Gallico. *Democrite avoit plus de courage, Heraclite plus de tendreſſe.* Videtur animus Senecæ magis inclinaſſe ad ſtultitiam Democriti qvàm ad Heracliti. Lipſius de ſeipſo *in notis ad d. l. Senecæ. Idem huic homini, Democrite, habes animo aſſeclam.* Non opus eſt conjecturis de mente Senecæ, ipſe teſtimonium de ſe alibi: *lib. 1. de tranqvill. c. 15. In hoc flectendi ſumus, ut omnia vulgi vitia non inviſa nobis, ſed ridicula videantur: & Democritum potius imitemur, qvàm Heraclitum. Hic enim qvoties in publicum proceſſerat, flebat; ille ridebat. Huic omnia, qvæ agimus, miſeriæ, illi ineptiæ videbantur &c. Humanius eſt deridere vitam, qvàm deplorare. Adjice, qvod de humano qvoqve genere melius meretur, qvi ridet illud, qvàm qvi*

(g) vitam tranſigit. Ducit aliqvis uxorem, alius mercaturam exercet, alius concionatur, alius imperat, alius legatum

luget. Ille ſpei bonæ aliqvid relinqvit: hîc tam ſtultè deflet, qvæ corrigi poſſe deſperat. Et univerſa contemplatus, majoris animi eſt, qvi riſum non tenet, qvàm qvi lacrimas, qvando leviſſimum affectum animi movet & nihil magnum, nihil ſeverum, nec ſerium quidem ex tanto apparatu putat. Habes hîc defenſionem affectûs proprii Senecæ. Sed mox in viam redit, & jam ut Philoſophus loqvitur *ibid. Sed ſatius eſt, publicos mores & humana vitia placidè accipere, nec in riſum, nec in lacrimas excidere. Nam alienis malis torqveri, æterna miſeria eſt; alienis delectari malis, voluptas inhumana. Sicut illa inutilis humanitas, flere, qvia aliqvis filium efferat, & frontem ſuam fingere.* Meam ſententiam ſi qværis, inclinatio cordis pro Democrito dicit, & ſcripta mea loqvuntur, mens pro Heraclito. Paucis: ridere ſtultitiam humani generis magis humanum, flere magis Chriſtianum eſt. Ipſe Salvator nunqvam riſiſſe legitur, fleviſſe ſæpius.

g) Id eſt, vana omnia, qvæ homines tractant in vita. Hodienum quilibet, qvi de vanitatibus his non magnificè loqvitur, & qvi nihil iſtud non vult pro re maximi momenti æſtimare, ſtultus habetur.

h) Pro-

tum agit, eligitur, abrogatur, ægrotat, vulneratur, moritur. At hic ridet omnia, dum alios mœstos ac tristes, alios gaudentes videt. (*h*) Qvin & de his, qvæ apud inferos sunt, hic vir perscrutatur, & hæc scribit. Et idolis (*i*) aërem plenum esse dicit. Et volucrum voces intentis auribus explorat. Et sæpe noctu surgens solus cantilenas sensim canenti similis est. Et se aliqvando in rerum immensitatem (*k*) proficisci dicit, & Democritos

h) Propriam stultitiam hîc profitentur Abderitæ. Non ridebat Democritus, qvod qvis uxorem duceret, alius mercaturam exerceret, ægrotaret alius, vulneraretur, moreretur. Hic enim locum habuisset istud Senecæ modo adductum: *Alienis delectari malis voluptas inhumana.* Ridebat, qvod ob ista alii mœsti essent, alii gauderent, qvod in vanis voluptatem qværerent, ob inania dolerent, qvod semper animo inqvieto essent, & modò gaudio, modò tristitiâ huc illuc traherentur. At dum hæc ridebat Democritus, non humanitatem sed humanam stultitiam ridebat.

i) Imaginibus. *Fœsius.*

k) Infinitionem, *Fœsius.* Notum, Democritum

critos eſſe ſimiles ſibi ipſi innumerabiles. Et corpus unà cum mente corrumpens vivit: Hæc timemus, ô Hippocrates, ob hæc perturbati ſumus. Qvapropter nos ſerva, & patriæ noſtræ conſulturus citò adſis: neqve nos contemſeris. Nam neqve ita viles ſumus: & in nobis teſtimonium ſitum eſt. Ob ipſum enim conſervatum, & gloriam, & pecunias, & doctrinæ famam conſeqveris: qvanqvam doctrinæ ratio multo potior apud te eſt, qvàm fortunæ. Attamen & hujus bona multa ac luculenta tibi à nobis obvenient. Etenim animæ Democriti gratiâ, etiam ſi urbs aurum eſſet, (*l*) non noſtræ voluntati reſponderet, aut qvacunqve tandem re illi carendum eſſet. Leges noſtras putamus ægrotare, ô Hippocrates, leges prævaricari. Adſis optime vir, curaturus virum inſignem.
Non

critum jam ſtatuiſſe mundos infinitos. Nos Phyſica aliis relinqvimus, de moralibus potiſſimum ſolliciti.

l) Magnus amoris gradus, ſi ratione ſubnixus fuiſſet.

m) *Puto*

Non Medicus, ſed conditor, ſacratiorem tota Jonia murum nobis circumdabis. Civitatem, non virum curabis: & ſenatum ægrotantem, & ne claudatur periclitantem, aperies. Ipſe Legislator, ipſe Judex, ipſe Princeps, ipſe Servator, & horum artifex advenies. Ob hæc te expectamus ô Hippocrates, atqve hæc etiam fient, ubi veneris. Una civitas non ignobilis, imò tota Græcia rogat te, ſerva corpus ſapientiæ. Qvin potius ipſam apud te legationem agere puta doctrinam, ab hac prævaricatione liberari ſupplicantem. Cognata eqvidem res eſt omnibus, velut apparet, ſapientia. Verum his, qvi propius ipſam complexi ſunt, velut nobis, (*m*) etiam longè amplius. Et ſic, ut probè noſti, gratificaberis etiam futuro ſeculo, ſi non deſtitueris Democritum propter veritatem, cujus primas ſe laturum eſſe ſperat.

m) Puto id intelligendum eſſe, non qvod ſeipſos, qvi hæc ſcriberent, pro ſapientibus venditare vellent, ſed qvod Democritus ſapiens ipſorum civis eſſet.

n) Fal-

rat. Tu enim & genere, & arte conjunctus es Aeſculapio. Hic verò Herculis eſt ex fratre nepos. A qvo eſt & Abderus, qvemadmodum omninò audiviſti, cujus cognomen urbs noſtra refert. Qvare etiam illi grata fuerit Democriti ſanatio. Cùm igitur videas, ô Hippocrates, & populum, & virum inſignem, ad ſtupiditatem diffluentem: feſtina, rogamus, ad nos. Heu! ut etiam bona redundantia (*n*) morbi exiſtunt. Qvantum enim Democritus ad ſummam ſapientiam generosè pervenit, tantum nunc pariter periclitatur, ne mentis ſtupore & ſtoliditate affligatur. At reliqvum vulgus Abderitarum, qvod manſit absqve eruditione, commmunem ſanè ſen-

n) Falſa eſt Philoſophia moralis Abderitarum. Qvod verè bonum eſt, id non poteſt eſſe nimium. Sed communis hic error eſt: Omne nimium vertitur in vitium. Benè, ſi bonum illud inter mala minus eſt, qvod ferè naturam boni induit. Hoc enim ſi nimium eſt, non eſt malum minus, ſed malum maximum. Diximus alibi.

o) Sed

ſenſum (*o*) habet. Imò nunc prudentiores ſunt (*p*) ad ſapientis morbum judicandum, qui prius deſipuerunt. Adſis igitur cum Aeſculapio patre. Adſis cum Herculis filia Epione. Adſis cum Aeſculapii filiis, qvi ad Ilium militarunt. Adſis nunc Pæonias adferens morbi medelas. Nunc terra radicibus, & herbis, & auxiliaribus floribus, inſaniæqve medicamentis fœcunda eſt. Fermè igitur nunqvam fertilius producent, neqve terra, neqve montium cacumina, qvam nunc

o) Sed ſenſus hic communis, ſi eruditione & judicio deſtituatur, in ſtultitiam abit. Ita ſenſus communis baculum in aqva curvum repræſentat, judicium eum ſcit eſſe rectum. Ita qvam ſapientiam ſenſu proprio non percipiunt, homines pro ſtultitia habent. Si ſenſu communi perciperetur ſapientia, omnes eſſent ſapientes. Sapiens uti rara avis eſt, ita rarus eſt ejus ſenſus.

p) Si principia genuina ſapientiæ noviſſent Abderitæ, cognoviſſent falſitatem ſuæ aſſertionis. Impoſſibile eſt deſipientes prudentius judicare ſapiente. Sed ſenſus communis eos decepit. Ex riſu judicabant Demo-

nunc proferunt ea, qvæ pertinent ad Democriti ſanitatem. Vale.

EPISTOLA XI.

Hippocrates S.P.Q. Abderitarum S.

Promittit adventum, dona deprecatur.

CIvis veſter Amelaſſagoras venit in Co, & erat tunc in illa die Virgæ aſſumptio, & annua feſtivitas, ac publicus (velut noſtis) conventus, & pompa ſumptuoſa fiebat, qvam mos eſt eos, qvi Deo dicati ſunt, ad Cyparisſum deducere. Qvandoqvidem autem & ex verbis, & ex aſpectu, Ameleſſagoras feſtinare videbatur, credens, velut erat, rem ipſam urgere; epiſtolam veſtram legi, & admiratus ſum, qvod ob unum hominem, velut ſi unus homo

Democritum eſſe ſtultum. Sentiebant ridere Democritum. Cauſam riſus non ſentiebant. Arbitrabantur eſſe veſaniam, at Democritus ridebat ſtultitiam eorum. Ergo ſi ſeipſos noviſſent, in hunc errorem non fuiſſent deducti.

homo eſſet civitas, turbati eſtis. Et beati profectò ſunt populi, (q) qvi ſciunt bonos viros ſua eſſe munimenta, & non turres, neqve muros, ſed ſapientium virorum ſapientia conſilia. Ego verò, qvi credo, artes qvidem eſſe Deorum dona, homines autem naturæ opera, (& ne ægrè feratis viri Abderitæ,) non vos puto, ſed ipſam naturam me vocare, ad conſervandum ipſius opus, qvod periclitatur, ne præ morbo collabatur. Qvare præ vobis ego nunc, naturæ ac Diis obediens, feſtino, ægrotantem Democri-

q) Eleganter. Sapiens, qvi honoratur & amatur à populo, non propterea beatus eſt, ſed beatus eſt ipſe populus, cujus munimentum ſapiens eſt. Per populum hic non plebs intelligitur, ſed tota civitas, Regem & magnates ſub ſe comprehendens. Sed ubi hodiè beatum ejusmodi populum deprehendes? Ergò Abderitanus populus beatior fuit, qvia ſapientior. Et tamen populus Abderitanus pro ſtulto ſumitur. Igitur populus, qvi hodiè ne qvidem iſtum ſapientiæ Abderitanæ gradum attingit, qvâ ratione ſapientiam ſuam vendicare audebit?

r) Ita

mocritum ſanare; ſi qvidem ſanè & hoc morbus eſt, & non potius error (r) vobis tenebras offundit, id qvod opto. Atqve utinam ſit hoc uberius veſtræ benevolentiæ ſignum, qvod etiam ad ſuſpicionem turbamini. Argentum autem mihi venienti, neqve natura, neqve Deus (s) promittere poterit. Qvare neqve vos viri Abderitæ cogatis, (t) ſed liberæ artis etiam opera libera eſſe ſinatis. Qvi verò mercedem capiunt, hi ſcientias ſervire cogunt (u) velut captivas taci-

r) Ita ſapiens vel è longinqvo veritatem ſuſpicando, veritatī propior eſt, qvam ſtulti, qvi ſenſu communi veritatem ſentire conantur.

s) Acutè. Dixerat, Deum & naturam ſe vocare ad Democritum, his, non Abderitis ſe pariturum. Ergo à Deo etiam & natura ſe accepturum præmium. Hos verò argentum promittere non poſſe. Modeſta ſimul hæc deprecatio divitiarum.

t) Deprecatione hac non opus hodiè, cùm nemo ſapientem cogat, aut divitias ei obtrudat.

u) Qvam verè! Pudet, pudet, qvoties iſta

facientes ipſas ex priore libertate: deinde, velut veriſimile eſt, mentiri etiam potuerint, velut de magno (*x*) morbo: & negarint, velut de parvo: (*y*) & polliciti non venerint, (*z*) & rurſus venerint non vocati. (*a*) Miſera eſt profecto huma-

iſta cogito. Ethnicorum ſapientiſſimi, Hippocrates, Socrates doctrinam mercenariam non habuerunt. Nos Chriſtiani Philoſophi, Medici, JCti, &, qvis crederet? Theologi, mercede conducti ſcientias vendimus. Falſum eſt, proſtibula vendimus, moriam ſub larva ſapientiæ, & Mathæologiam ſub indumento Theologiæ incautæ juventuti proſtituimus. Operæ noſtræ mercenariæ ſunt, nihil libertatis in ſtudiis remanſit, mancipia ſumus, mancipia facimus. Sed dabit Deus his qvoqve finem.

x) Ut eo majorem pecuniam ſolvant ab iſto morbo liberati.

y) Si delicati ſunt patientes, qvi mortem metuunt, & plus pecuniæ ſolvunt medico pro ſolatio, qvam pro conſilio.

z) Ab aliis occupati, qvi majorem dant pecuniæ ſummam.

a) Apud divites, ut diligentiâ ſuâ horum liberalitatem provocent. Vides vitia Medi-

humana vita, qvoniam per totam ipſam (*b*) intolerabilis avaritia, velut hybernus ventus, diſtributa eſt ac penetravit. Ad qvam utinam potius omnes medici conveniſſent, qvò graviorem inſania morbum curarent: qvoniam cùm morbus ſit, & affligat, etiam laudatur. (*c*) Ego verò arbitror, etiam animæ morbos omnes vehementes eſſe inſanias, qvæ opiniones qvasdam ac imaginationes rationi inducunt. (*d*) A qvibus, qvi per virtu-

Medicorum illius temporis. Utrum & noſtri ita faciant, neſcio, qvi conſilio Medico ferè utor anteqvàm ægrotem. Hoc ſcio, Theophraſtum ob has cauſas increpàſſe Medicos ſui temporis, & eapropter malè audire etiam apud noſtros.

b) Ergo & Theologiam, Jurisprudentiam & omnia ſtudia invaſit. Invaſit & pietatem. Inter characteres avaritiæ nullus minus fallit, qvàm affectata pietas, præprimis in ſexu muliebri. Rem demonſtrabimus alibi.

c) Etiam ab iis, qvi pii videri volunt. Mulus mulum, Avarus avarum. Sapienti ſat.

d) Verè. Voluntas intellectum corrumpit, non ut communiter creditur, intellectus voluntatem. Oſtendimus id jam alio loco.

virtutem depurgatus eſt, ſanus evadit. Qvod ſi ego omninò diteſcere voluiſſem, viri Abderitæ, non utiqve decem talentorum gratia (e) ad vos proficiſcerer, ſed ad magnum acceſſiſſem Perſarum Regem, ubi totæ civitates humanis opibus refertæ mihi obtigiſſent: Sanaſſem autem illic ipſorum peſtem. Verum (f) denegavi, inimicam Græciæ regionem à malo morbo me velle liberare. Et ego, qvantum in me fuiſſet, Barbaros expugnaſſem. Habuiſſem autem ignominiam ipſas à Rege divitias, & opulentiam patriæ inimicam. Hæc verò mihi

loco. Variant affectus qvalitates intellectus. Imaginatione excedit voluptuoſus, Ambitioſus fictione & abſtractione, Avarus ſtultitiâ, Sapiens modicâ imaginatione, tardiore abſtractione pollet, ſed qvam juſtum & ſolidum judicium compenſat.

e) Apparet ergo, Ameleſſagoram nomine populi ipſi decem talenta promiſiſſe. Nam in literis Abderitarum ſumma non erat determinata.

f) Videntur hæc verba uſqve ad illa: *Habuiſſem autem*, eſſe includenda parentheſi. Alias turbatur ſenſus.

g) Me-

mihi adfuiſſent, velut ei, qvi urbium Græciæ devaſtator eſſet. Non ſunt divitiæ, undiqvaqve lucrari. (*g*) Magna enim ſunt ſacra virtutis, qvæ à juſtitia non occultantur, ſed manifeſta exiſtunt. (*h*) Aut non æqvale peccatum eſſe putatis, hoſtes ſervare, & amicos mercede ſanare? At non hoc modo ſe res noſtræ habent, ô Abderitæ. Non capio fructum ex morbis, neqve libenter audivi Democritum mente motum eſſe. Qvi ſive ſanus eſt, amicus eſt: ſive ægrotat, curatus magis amicus erit. (*i*) Audio autem ipſum gravibus ac ſolidis moribus

g) Melior mens Hippocrati qvàm Veſpaſiano. Huic *lucri bonus odor erat ex re qvalibet.* Cæterum Philoſophia Veſpaſiani magis ad guſtum ſeculi, qvàm illa Hippocratéa.

h) Fateor me emphaſin hujus verſiculi non capere.

i) Apud ſapientes amicitia ex beneficio non oritur, ſed augetur. Qvàm primum ſapiens ſapientem videt, ſtatim amici ſunt, qvia ſapientia ipſos unit. Et ſapiens ſapientem primo intuitu novit.

ribus præditum esse, & urbis vestræ ornamentum. (*l*) Valete.

EPISTOLA XII.

Hippocrates Philopœmeni S.

Acceptat hospitium oblatum, & conjejecturas qvasdam de Democriti insaniâ extenuat.

LEgati, qvi urbis Epistolam mihi reddiderunt, etiam tuam (*m*) tradiderunt. Et valdè gavisus sum, & hospitium, & reliqvum victum te promit-

l) Inepta dispositio epistolæ Hippocratis, si regulas oratorias vel rhetoricas spectes. Finit, á qvo debebat incipere. Sed sapiens ordini & regulis non est alligatus, res curat. Stulti ordinem curant, non res. Sapiens similis est homini, qvi in convivio non curat ordinem patinarum, sed qvid in ipsis sit conditum: stultus fœminæ, qvæ decus convivii arbitratur consistere in exacto ad cerebrinam scrupulositatem ordine patinarum.

m) Periit illa. Utinam haberemus, ut conferre possemus, utrum sapientior concivibus

mittente. Veniemus autem bona fortuna: & meliore ſpe, velut arbitramur, accedemus, prout in literis eſt declaratum, cùm non inſaniam, ſed qvandam excellentem mentis ſanitatem vir ille declaret, dum neqve liberorum, neqve uxoris, neqve cognatorum, neqve rei familiaris, nec omninò alicujus curam gerit, ſed & diu & noctu apud ſeipſum (*n*) conſiſtit, & privatim vitam degit, plerumqve in antris & ſolitudinibus, aut ſub arborum umbris, aut in mollibus herbis, aut apud freqventia aqvarum fluenta. Contingunt igitur talia plerumq; atra bile percitis. Taciturni enim aliqvando ſunt & ſolitarii, ac deſerti amantes, & rerum familiarium conſpectum averſantur, alienum putantes. Nec

vibus ſuis fuerit. Videtur, qvia & amicitiam aliqvam cum ipſo jam antea contraxit Hippocrates, & liberius ipſi mentem ſuam de Democrito aperit.

n) Vide, qvàm egregiè refutet Hippocrates id, qvod Abderitæ dicebant, Democritum ſui ipſius oblitum eſſe. *Conf. notata ad Epiſt. 10. lit. e*

Nec verò diſſimile vero eſt, etiam his, qvi circa diſciplinas verſantur, ab una erga ſapientiam adfectione, alias curas excluſas eſſe. Qvemadmodum enim famuli ac ancillæ in domibus tumultuantes, & ſeditionem agentes, ubi derepente ipſis hera comparuit, conſternari conqvieſcunt: Sic etiam reliqvæ in anima cupiditates malorum ſunt hominibus miniſtræ. Poſtqvam autem ſapientiæ conſpectus ſeipſum ingeſſerit, (*o*) reliqvæ affectiones velut famulæ diſcedunt. Non autem omninò inſani antra & qvietem expetunt: ſed etiam hi, qvi humana negotia contemnunt, ob tranqvillitatis cupiditatem. (*p*) Cùm enim mens ab externis curis vexata, corpus reficere voluerit, tunc citò ſeipſum qvie-

o) Qvàm pulcrè. Et qvi iſtum famularum receſſum, aut (minimùm) pudorem nondum ſentit, is fruſtrà ſibi ſapientiam perſvadet.

p) Nil magis naturale eſt præprimis ei, qvi incipit eſſe ſapiens, aut potius, qui incipit deſinere eſſe inſipiens. Dum nos nondum penitus novimus, cauſam imbecillitatum

qvieti tradit: Deinde recta exſurgens, circum circa veritatis regimen colluſtrat, in qva non eſt pater, non mater, non uxor, non liberi, non frater, non cognati, non famuli, non fortuna, non omninò qvicqvam ex his, qvæ tumultum inducunt. *(q)* Omnia autem perturbantia excluſa ſtant *(r)* præ timore: & neqve appropinqvare audent præ reverentia eorum, qvæ iſthic habitant. Habi-

tum noſtrarum, ſolis aliorum exemplis attribuimus, his nos ſubtrahimus, nondum gnari, radicem ſtultitiæ intra nos eſſe, & etiam in ſolitudine nos oppugnare. Ex hoc ſapientum defectu ortum duxerunt Eremitæ, Monaſteria, bonâ qvidem intentione ſed non adeò ſapienti. Verus ſapiens in mediis turbis eſt tranqvillus. Interim prius conſilium non plane negligendum. Moderanda converſatio, non ejuranda. Plura aliàs.

q) Non pater, non mater, non uxor &c. tumultum inducunt, ſed ſtultus amor patris, matris, uxoris. Ergo non pater, non mater, non uxor ex conſortio ejiciendi, ſed morbi erga patrem, matrem, uxorem. Et ita fortè capiendus Hippocrates.

r) Nam hîc non intelligit patrem & ma-

Habitant autem illam regionem, & artes, & virtutes omnis generis, & Dei, & dæmones, & ſenatus, & conſilia. Et magnus polus in illa regione, ſtellis multum mobilibus coronatus eſt: in qvam fortaſſis etiam Democritus præ ſapientia tranſmigravit: Deinde cùm non videat amplius eos, qvi ſunt in urbe, utpote procul profectus: inſaniæ morbo laborare putatur, propter ſolitudinis amorem. Student autem Abderitæ argenti amorem & ſtudium detegere, & in ſe manifeſtum facere, (s) eò quod Democritum non intelligunt. At tu hoſpiti-

matrem, qvaſi hi timeant, ſed affectum vanum erga patrem, matrem &c.

s) Σπεύδουσι δὲ Ἀβδηρῖται ἀργυρίου ἐξελεγχθῆναι. Cujus vim an rectè efferant verba hæc latina, dubito. Nil minus enim Abderitæ in in ſua Epiſtola detegunt, qvam in ſe argenti amorem, cum ex amore erga Democritum magnas divitias offerant Hippocrati. Convenientius Foeſius. *Cùm verò Abderitæ Democritum non intelligant, de argento periculum facere ſtudent.* i. e. experiri volunt argento mihi oblato, an verè inſaniat Democritus?

t) Credat,

ſpitium nobis ô amice Philopœmen præpara. Non enim volo perturbatæ urbi moleſtiam exhibere, cùm veterem te proprium hoſpitem, velut noſti, habeam. Vale.

EPISTOLA XIII.

Hippocrates Philopœmeni S.

Somnium ei narrat de Democrito falſo de inſania ſuſpecto.

COgitans ac ſollicitus de Democrito, illa ipſa nocte dormiens, ſub ipſius auroræ initium, ſomnium (*t*) mihi oblatum habui, ex qvo puto nihil valdè periculoſi fore. Mirabiliter enim ex-

t) Credat, qvi volet, hoc fuiſſe ſomnium. Ego non credo; ſunt enim omnia mirificè ordinata. Erat Hippocrates prudens, & ex fama Democriti, ex fama Abderitarum, ex ipſis multorum literis cognoſcebat, Democritum ſanum eſſe. Fictione hac, qvæ ex ſuperſtitione populi divinum qvid ſapiebat, & ſuam autoritatem augere, & Abderitas modeſtè ad opinionem illam vanam removendam præparare intendebat.

u) Agno-

expergefactus ſum. Videbar mihi videre Aeſculapium ipſum coram, & jam ad ipſas Abderitarum portas aderamus. Aeſculapius autem, non ut imagines eum aliàs oſtendunt, mitis ac blandus apparebat, ſed habitu concitato, & aſpectu horrendo. Seqvebantur autem ipſum Dracones reptilium generis immanes, longum tractum ducentes, & horribile qviddam velut in deſertis ac ſaltibus ſubſibilantes. Seqvebantur & ſocii, pyxides medicamentarias probè obſignatas geſtantes: Deinde porrexit mihi manum Deus: qvam ubi libentiſſimè apprehendiſſem, rogabam, ut ſimul mecum pergeret, & ne me in medendo deſtitueret; Verùm is: Nihil, inqvit, in præſens me opus habes, ſed hæc immortalium ac mortalium communis Dea te peregrinum deducet. Et ego converſus video mulierem pulchram ac magnam, ſimpliciter ornatam, ſplendidam, cujus oculorum circuli puro lumine micabant, ut ſtellarum fulgorem putares. Et Deus qvidem diſparuit. Mulier verò illa apprehenſum me manu, lento gradu benigni-

nigniter per urbem ducebat. Et ubi propè domum eſſemus, in qva hoſpitium mihi paratum eſſe putabam, velut ſpectrum diſparuit, hoc ſaltem dicens: Cras te apud Democritum deprehendam. Cùm verò jam ſe illa converteret: Rogo, inqvam, optima fœmina, qvænam es, & qvo nomine vocari debes? Veritas, inqvit illa. Cæterum qvam accedentem vides, (u) (& derepente altera qvædam mihi apparuit) neqve ipſa mala videtur, audacior autem aſpectu & concitatior: Opinio, inqvit, appellatur, & habitat apud Abderitas. Ego igitur ubi de ſomno ſurrexiſſem, mihi ipſi ſomnium interpretatus ſum, (x) qvod non indigeret medico Democritus, qvando ſanè ipſe medendi Deus diſceſſiſſet, velut qvi medendi occa-

u) Agnoſcis ſimilitudinem inventionis, ut in fabula de virtute & vitio Herculi obviam euntibus apud Xenophontem.

x) Talia ſomnia interpretatione non habent opus, ſunt enim longè clariora ſomniis vigilantium.

y) Maxi-

occaſionem & materiam non haberet. Sed ipſa qvidem veritas, qvod Democritus ſanus ſit, apud Democritum manet. Opinio verò, qvod Democritus ægrotet, reverà apud Abderitas habitat. Atqve hæc vera eſſe, mi Philopœmen, credo, & ſunt ſanè. Et non contemno ſomnia, maximè ubi etiam ordinem conſervant. (y) Medicina autem & vaticinatio valdè cognatæ ſunt: qvandoqvidem & pater ambarum unus eſt Apollo, progenitor noſter, & præſentes & futuros morbos prædicens, & ægrotos & ægrotaturos ſanans. Vale.

EPISTOLA XIV.

Hippocrates Dionyſio S.

Rogat eum, ut adveniat, &, dum Democriti curandi cauſa abfuturus ſit, & ægrotorum, & rei domeſticæ & præprimis uxoris curam gerat.

AUt in Halicarnaſſo me exſpecta, aut ipſe ad me venire, ô amice, feſtina.

y) Maximè ubi ordinem ipſe dederat Hippocrates.

z) Non

ſtina. Per ſummam enim neceſſitatem abeundum eſt mihi in Abderam, Democriti cauſa, ad qvem ægrotantem urbs me accerſivit. Cæterum admiranda eſt hominum, ô Dionyſi, per conſenſum affectio: velut una anima cum cive coægrotant. Qvare mihi videntur etiam ipſi curatione opus habere. (z) Ego verò neqve morbum ipſum eſſe puto, ſed immodicam doctrinam, qvæ reverà non eſt immodica, ſed ab idiotis putatur. (a) Nam nunqvam nociva eſt virtus immodica. (b) Excellentia verò morbi

z) Non qvod ipſorum animus laboret & errore imbutus ſit, ſed qvod per amorem Democrito qvaſi uniti ſint. Id enim vult contextus.

a) Cauſam optimè declarat in ſeqventibus. Ita hodie omnes, qvi eruditione vacui ſunt, carnificinam eſſe arbitrantur ſolitudinem & meditationes eruditorum, & ſanitati nocere, ſuas verò tuburcinationes, ſua otia, ſuas anxietates divitiarum & honorum comparandorum, aut conſervandorum cauſa, ſanitatem egregiè promovere.

b) Dixi jam *ad Epiſtolam X. lit. n.*

morbi opinionem de ſe præbet, propter judicantium imperitiam. Unusqviſqve enim ex his, qvæ ipſe non habet, judicat id, qvod in alio abundat, ſuperfluum (*c*) eſſe. Sic ſanè etiam timidus fortitudinem immodeſtiam (*d*) putat, & avarus magnanimitatem. (*e*) Et omnis defectus virtutis moderationem excedere putatur. Illum igitur ubi viderimus, cùm prænotione hinc contingente, & ubi ſermones ejus audiverimus: melius cognoſcemus. Tu verò ô Dionyſi, ſtudio habe, ut ipſe accedas. Volo enim te in patria mea commorari, donec rediero, qvò & rerum noſtrarum, & inprimis urbis noſtræ curam geras. Nam haud ſcio, qvomodo ex caſu contigit, ut ſaluber ſit annus, & priſtinam naturam

c) Id eſt, exceſſum eſſe & vitium. Ita cum hodie virtus & pietas ferè exulet, qvilibet eam, ubi in alio deprehendit, crimen eſſe & hæreſin clamat.

d) Exceſſum, ſeu audaciam.

e) Magnanimitatem dixit pro magnificentia, aut clarius, munificentiâ, qvia hæc magnum animum præſupponit.

f) Qvid

ram habeat; Qvare neqve multi infeſtabunt morbi: attamen venito; Inhabitabis autem meam domum nimis qvàm opportunam, nimirum cùm & uxor apud parentes maneat propter meam profectionem. Attamen & illius res inſpecta, qvo pudicè degat, (f) & non ob viri

f) Qvid dicemus? Ergone Zelotypiâ laboravit Hippocrates, ergà uxorem fortè inſontem? Utrum potius ipſe præter meritum, (non bono adeò omine pro iis, qvi medicinam ſectantur,) magno eorum numero fuit aſſociatus, qvorum honor ab arbitrio luxuriantis & laſcivæ mulieris dependere ſecundum erroneam, ſed communem tamen opinionem cenſetur? Si ex ſola Epiſtola præſenti res foret decidenda, dicendum videretur, Hippocratem fuiſſe Zelotypum ſine ratione ſufficiente, tum qvod ipſi amico, cui inſpectionem uxoris committit, diffiderit, ac noluerit uxorem in domo manere; tum qvod ipſe fateatur, honeſtam fuiſſe uxorem, & tamen non audeat aſſerere, qvod inhoneſtâ vitâ ipſi cauſam ad Zelotypiam dederit, tùm qvod metum ſuum ex communi mulierum naturâ velit defendere; tum qvod ipſis parentibus uxoris diffidat abſqve ratione, cum patrem

viri abſentiam (*g*) alios viros approbet. Honeſta eqvidem ab initio fuit, & parentes bonos habuit. Patrem autem mirificè virilem, & malos valde odio haben-

patrem valde laudet ipſe. Nullum certè argumentum ex Epiſtola hac afferre poteris inculpandi uxorem. At conſidera qvid notitia affectuum proſit, qvantumqve conducat ad regulas juſtæ interpretationis, etiam ubi reliqvæ deficiunt? Ita ſe in omnibus Epiſtolis ſtitit Hippocrates, ut ab avaritia fuerit alieniſſimus. At avaritiæ filia invidia eſt, invidiæ ſpecies zelotypia injuſta & ſine cauſa meticulosa. Ergo qvia avarus non fuit Hippocrates, non potuit injuſtè & ſine prægnanti ratione fuiſſe zelotypus. Jam verò facilè reſpondebimus ad conjecturas pro parte alterâ ex Epiſtola adductas. Non diffidit amico, diffidit petulantiæ uxoris, ne illa ex qvotidiano convictu illicere ſtudeat amicum, diffidit imbecillitati humanæ, & non ſine ratione arbitratus eſt, Dionyſium ita nondum eſſe in caſtitate confirmatum, ut inſultibus laſcivæ uxoris reſiſtere valeret. Reliquas deſtruemus in ſeqventibus.

g) Agnoſce modeſtiam Hippocris; non vult accuſare uxorem, ne qvidem coram amico. Parcit ipſius intemperantiæ, neqve vult

bentem, egregiè ſenem. Attamen (*h*) ſemper opus habet mulier moderatore. Habet enim à natura in ſe laſciviam, (*i*) qvæ

vult illam infamare appoſitione veræ cauſæ. Non accuſat propriam uxoris laſciviam, communes cauſas tentationum, qvæ etiam fœminis caſtis accidere poſſunt, prætendit. Mavult videri amico injuſtè Zelotypus, qvam infamem reddere uxorem de infamia propria parum ſollicitam.

h) Hoc *attamen* non benè opponitur præcedenti, in qvibus egerat de moribus præteritis uxoris. Jam igitur hoc *attamen* debebat narrare præſentes. Unde vel hoc indicio eſt, qvod partem hanc, qvæ à Lectore exſpectari poterat, ſtudio omiſerit Hippocrates, ac maluerit in communi naturâ mulierum parum philoſophicè ac medicè prætextum petiti qværere, qvàm vitium uxoris amico verè exponere. Sunt enim multa, qvæ & amicis celare poſſumus atqve debemus abſqve læſione amicitiæ.

i) Habemus & nos. Nondum cauſam video, cur ſexui fœminino majorem laſciviam attribuere debeam qvã noſtro. Iisdem virtutibus, iisdem vitiis eminent. Aut ſi majora facinora edũt, noſtro vitio id fit, Dixi alibi. Scio qvod laſciviam attinet, laſſari fœminas qvasdam

qvæ nisi qvotidie resecetur, (l) velut arbores in materiæ multæ effusionem exuberat. Ego verò amicum parentibus diligentiorem (m) puto ad uxorem cu-

dam, libidine, non satiari, secundum Poetæ dictum. Sed Philosophus secernenda non confundit. In viris corpus citius lassatur libidine qvàm in fœminis. Et ratio naturalis subest, qvàm exponere jam non est opus. Libido nec magis nec minus lassatur in fœminis, qvàm in nobis. Etiam lassato corpore nostro libido vegeta est, & minimum dolet lassitudinem corporis. Ipse Hippocrates, qvæ alibi de natura muliebri disserit (& nempe *de genitura c.6. p.m.127.*) innuere videntur, eum ex animi sententia tam exuberantem lasciviæ affectum muliebri sexui non attribuisse. Qvamvis iste locus nonnulla contineat, qvæ apertè falsa sunt.

l) Neqve hanc seriam fuisse Hippocratis mentem, ratio dictat. Cave credas, qvotidianâ istâ resectione libidini vires adimi. Crescit, ut arbores, qvo freqventius exuberantia resecatur. Alia remedia lascivia & omnes reliqvi effectus postulant. Illæ resectiones non medicamenta affectuum sunt, sed nutrimenta.

m) Vide qvam fiduciam ponat in Dionysio.

cuſtodiendam. Non enim velut illis, etiam huic (*n*) cohabitat benevolentiæ adfectio, (*o*) per qvam ſæpe umbra admonitioni obtenditur. In omnibus autem rebus prudentior eſt alienitas ab adfectione, ut qvæ minimè à benevolentia infringatur. Vale.

Epi-

nyſio. Nunqvam Zelotypus amico cuſtodiendam tradet uxorem. Omnia timet. Ipſe nullius amicus exiſtens, nec veram amicitiam unqvam expertus, omnes ſui ſimiles eſſe metuit. Sed & Dionyſius haud dubiè talis fuit, cui ejuſmodi negotium, lubricum ſanè & periculoſum credi potuerit. Rariores autem & hodiè ejuſmodi amici ſunt. Et tamen Chriſtiani ſumus!

n) Noſtris cohabitat affectio non benevolentiæ ſed amoris illiciti, qvæ magis nocet.

o) Humanum hoc eſt. Parentes liberorum vitia ea perſpicacia non vident ac alii. Ergo hac qvidem aſſertione non tollitur, qvod ſuprà Hippocrates dixerat in laudem Patris. Fortè matrem timuit Hippocrates. Nam illam non laudat. Nec rarum, matres impudicas eſſe lenas filiarum.

 p) Oſten-

EPISTOLA XV.

Hippocrates Damageto S.

Maximè familiaris eſt. Rogat, ut navem mittat, & exponit, qvâ ratione velit oppugnare riſum Democriti.

CUm apud te Rhodi eſſem, Damagete, vidi navem illam, cui Solis inſcriptio erat, penitus pulchram, & ſufficientem carinam habentem. Habebat & tranſtra multa. Et tu laudabas etiam in ipſa navigandi præſtantiam, qvod velox eſſet, & tuta, & ad inſerviendum artificioſa. Et inſuper prædicabas probum in ipſa navigationis curſum. Hanc mitte nobis: verùm, ſi fieri poteſt, non remis, ſed alis ad remigium inſtructam. Urget enim res ipſa, ô amice, ut valde citò in Abderam navigem. Volo enim ægrotantem curare urbem, propter unum ægrotantem Democritum, ſi unqvam viri fama ad aures tuas pervenit. De hoc patria dicit, qvod inſaniâ adflictus ſit: ego autem

cupio,

cupio, imò magis opto, (p) non reverà ipſum inſanire, ſed illos ita putare. Ridet, inqviunt, ſemper, & ridere non ceſſat in omnibus negotiis. Et hoc ipſis inſaniæ ſignum eſſe videtur. Qvare tuis in Rhodo amicis dicito, (q) ut ſemper moderatè ſe gerant, & non multum rideant, neqve multum triſtes ſint: ſed inter ambo hæc modum teneant, (r) ut aliis comis eſſe videaris, aliis ſollicitus, de virtute cogitans. Eſt profectò mali qviddam, dum ad ſingula ille ridet. (s) Si enim immodeſtia malum eſt: ea ſanè

p) Oſtendit hæc Epiſtola ſuſpicatum qvidem fuiſſe Hippocratem, Democritum eſſe ſanum, ſed cum formidine tamen oppoſiti, ob riſum continuum.

q) Jocando qvaſi ſalutaria monita hîc intermiſcet.

r) Et recte; nam & tempus ridendi eſt, & tempus flendi.

s) Pertinet huc vulgatum illud: Per riſum multum, debes cognoſcere ſtultum. Si igitur Abderitæ non rectè & ſapienter ex hoc riſu præſumſerunt inſaniam Democriti, ſaltem rectè & ſapienter exinde

ſanè perpetua longè pejor eſt. (*t*) Et dicam ſanè ad ipſum: Democrite, & ſi qvis ægrotat, & occiditur, & mortuus eſt, & obſidetur, & qvodvis malum ingruit: ſingula qvæ fiunt, materiam riſus tibi præ-

videtur inferri poſſe ejus ſtultitia. Præprimis cum feqvens epiſtola ad Damagetum oſtendet, non riſum ſimplicem fuiſſe riſum illum Democriti, ſed cachinnum. Ita eſt. Exteriora ſtulti habuit Democritus, interiora ſapientis. Nihil eſt ab omni parte beatum. Magnum omne ingenium aliqvod dementiæ admixtum habet. Exhibuit iſte riſus ſtultitiam Democriti, non exhibuit ſtultum in Democrito. Riſum cum ſtulto communem habuit Democtitus, cauſa ridendi Democritum à ſtulto ſecrevit. Ridet ſtultus ſapientiam, ſtultitiam riſit Democritus.

t) Hoc vult. Qvi de factis hominum in converſatione ridet, ipſis tanqvam ſtultis ſtultitiam exprobrat, at hoc non eſt modeſti. Si ergo qvi aliqvando ſaltem iſta facit, pro immodeſto & ad ſocietatem minus apto habetur, qvid de ſe ipſe arbitrabitur Democritus, qvi continuè immodeſtus eſt? Credo ſenſiſſe hanc ſuam ineptitudinem ad converſationem cum inſipientibus Democritum, & propterea loca deſerta qvæſiviſſe.

u) Etiam

præbent. (*u*) Non autem repugnas Deo, (*x*) cùm duo ſint in mundo, Gaudium & Triſtitia, tu alterum ipſorum ejeciſti? Beatus profectò fueris, (verùm impoſſibile eſt,) ſi neqve mater tibi ægrotat, neqve pater, neqve poſtea liberi, aut uxor, aut amicus: ſed propter tuum riſum conſervantur, penitus felix es. At ſi, dum ægrotant, rides; dum moriuntur, gaudes; & ſi qvid mali audieris, exhila-

u) Etiam ſapiens, ſi feſtinet, errat. Non obſervaverat Hippocrates, ipſos Abderitas ſcripſiſſe, qvod Democritus non mortem, morbum &c. ſed triſtitiam propter mortem & morbum rideat. Qvid ergo? annon ſapiens dolente vultu excipiet mortem propinqvi? an ridebit? Imò neutrum faciet, ſed æqvali vultu & mortem, & ea, ob qvæ homines gaudere ſolent, adſpiciet.

x) Diximus ſuprà, ni fallor, Hippocratem magis vitâ expreſſiſſe Philoſophum, Democritum doctrinâ. Errat Hippocrates, dum affectus Gaudii & Triſtitiæ Deo attribuit. Qvies animi à Deo eſt, qvæ nec in triſtitia, nec in gaudio, ſed in tranqvilliſſima voluptate conſiſtit.

y) Re-

hilararis: pessimus es, (y) ô Democrite, & procul sanè à sapientia. Si verò putas, hæc ipsa neqve mala esse, certè atra bile percitus es, (z) Democrite, periclitans, ne & ipse Abderita sis: (a) prudentior autem sit ipsa civitas. Cæterum de his exactius illic dicemus Damagete. At verò navis etiam hoc tempus, qvo hæc tibi scribo, remoratur. Vale.

EPISTOLA XVI.

Hippo-

y) Rectè: Hoc enim esset gaudere alienis malis. Nisi qvod risum cum gaudio parum aptè misceat hic Hippocrates. Ridebat Hippocrates, non gaudebat. Erat magis irrisio, qvàm risus. Consvetudo erat magis qvàm operatio ex affectu oriunda.

z) Bona verba qvæso. Videntur hæc esse mala humano generi, non sunt. Sunt enim extra nos. Res ipsa nos non torqvet, sed cogitatio de re, qvæ in arbitrio nostro posita est. Non opus ad hoc agnoscendum lumine isto sancto, natura docet. Ipse Epictetus novit.

a) Ergo jam tum Abderitani pro stultis habebantur.

b) Tota

Hippocrates Cratevæ S.

Jubet, ut herbas colligat ad curam Democriti.

SCio te, ô amice, optimum radiciſecam eſſe, & propter tuam ipſius exercitationem, & propter progenitorum gloriam, adeò ut in hac facultate Cratevæ proavo minimè cedas. Proinde nunc, ſi unqvam alias, herbas collige, qvot & qvales poteris, urget enim neceſſitas: atqve has mihi transmitte, ad virum toti civitati comparandum, Abderitam qvidem, verùm Democritum. Ægrotare enim ipſum dicunt, & purgatione valdè opus habere, ut qvi inſaniâ ſit correptus. Non utemur fortaſſis medicamentis, qvemadmodum etiam credo. Attamen undiqvaqve inſtructum eſſe oportet. At verò rem herbariam apud te ſæpe admiratus ſum, qvemadmodum etiam univerſorum naturam ac conſtitutionem, & ſacerrimum terræ fundamentum, ex qva animalia, & plantæ, & alimenta, & medicamenta, & fortuna, & ipſæ divitiæ exoriun-

oriuntur. Neqve enim alias haberet, ubi consisteret avaritia, neqve sanè Abderitæ nunc decem talentis inescassent me, pro medico mercenarium declarantes. Si verò possis Crateva amaram avaritiæ radicem (b) exscindere, ut nullæ ipsius reliqviæ restent: probè scito, qvod hominum unà cum corporibus etiam animas ægrotantes purgassemus. At hæc qvidem vota sunt. (c) Tu verò qvod fieri potest, nobis montanas maximè & in altis collibus nascentes herbas radicitus reseca. Sunt enim aqvasioribus solidiores, & acriores, propter ter-

b) Tota alias medica est hæc Epistola, sed hîc tamen qvæ paucis addit Hippocrates, monstrant, qvàm semper & in medicis rebus ad curandum animum fuerit intentus, moralia immiscens.

c) Ita est. Avaritiam nec herba sanat nec emplastrum. Habet medicamenta qvædam Philosophus contra voluptatem, habet contrà ambitionem. Avaritia ubi dominatur, ibi Philosophiæ medicina deficit. Solus Deus huic vitio medicinam præbere potest. Res ipsa ex alibi dicendis fiet clarior.


d)

terræ denſitatem, & aëris tenuitatem. Nam qvod attrahunt, frigidius eſt. Conare tamen, ut etiam de his, qvæ circa ſtagna naſcuntur, & de paluſtribus, & fluviatilibus, aut fontanis, flores colligas: qvas ſane debiles, & exſolutas, ac dulcis ſucci eſſe ſcio. Omnia autem medicamenta, qvæ ſucci & liqvoris fluidi ſunt, in vitreis vaſis ferantur: quæ verò folia, aut flores, aut radices ſunt, in fictilibus novis probè obturatis: ut ne ventis perflata, medicamenti vigorem, velut in animi deliqvium collapſa, amittant. Cæterum ſtatim nobis hæc mittito. Nam & tempus anni congruum eſt, & neceſſitas dictæ inſaniæ urget. Ab omni equidem arte aliena eſt res dilatio, verùm maximè à Medicina, in qva dilatio eſt animæ periculum. Curationum verò animæ ſunt temporum opportunitates, qvarum obſervatio finis eſt. Spero qvidem ſanum eſſe Democritum, etiam citra medelam. Si verò aliqvis error naturæ, aut temporis, aut alterius alicujus cauſæ contingat, (multa enim nos, qvi mortales ſumus, latent, utpo-

te non omninò per veritatem corroboratos) ad id qvod obſcurum eſt, omnem vim congregatam eſſe oportet. Non enim contentus eſt is, qvi in periculo verſatur, his qvæ poſſumus, ſed concupiſcit etiam ea, qvæ non poſſumus. Et fermè ſemper ad duos fines militamus, alterum hominis, alterum artis. Qvorum alter obſcurus eſt, alter ſcientiæ determinatus. Opus autem eſt in utrisqve his etiam fortuna. Incerta enim eſt conjectura eorum, qvi in purgationibus cautè procedunt. Nam & ſtomachi afflictionem veremur, & medicationis congruentiam ad naturam ignotam conjectamus. Non enim una & eadem eſt omnium natura, & aliud ſemper ſibi ipſi decernens adſimilat ac familiare facit. Aliqvando verò totum perdit. Sed & his herbis multa reptilia venenum immittunt, & hiatu ſuo internæ ipſarum teneritudini afflictionem pro auxilio inſpirant. Et hujus rei ignorantia erit, niſi ſanè nota aliqva, aut macula, aut odor ferus & gravis, rei factæ indicationem fecerit. Deinde ipſa

ars,

ars, propter fortunæ caſum, & rectè faciendi propoſito aberrat. Stabiliores autem ſemper ſunt purgationes per helleborum, qvibus etiam Melampus in Proëti filiabus, & Anticyreus in Hercule uſi eſſe narrantur. Minimè verò utemur nos ullo aliqvo ex his in Democrito: Sed contigerit opto illi ſapientia, efficaciſſimorum ac medicatiſſimorum pharmacorum finis. Vale.



MAJUS.

EPISTOLA XVII.

Hippocrates Damageto S.

Narrat, qvæ geſta ſint, cum Democritum curare voluerit, ſimul Summam Philoſophiæ Moralis Democritéæ exhibens.

HOc erat illud Damagete, qvod conjectabamus: non inſanit Democritus, ſed ſuper omnia ſapit, & nos ſapientiores effecit, & per nos omnes

homines.(*d*)Remisi autem tibi amicere-verà Æsculapéam navem : cui cum so-lis signo etiam sanctitatis insigne appo-nito. Nam reverà secundo numine ve-la facit : & illa die in Abderam naviga-vit, qva scripseram ipsis, me perventu-rum esse. Omnes igitur ante portas con-gregatos invenimus, nos, velut vero-simile est, expectantes, non viros solùm, sed etiam mulieres : insuperqve senes, & pueros, (per Deos) tristes, itemqve infantes. (*e*) Atqve hi qvidem sic habe-bant, velut ob Democritum insanien-tem. Ille verò sincerè tunc in Philoso-phando excellebat. Postqvam autem me vidissent, visi sunt mihi paululum ad seipsos rediisse, & bonas spes osten-tabant,

d) Intelligo, qvia Hippocrates para-tus erat ea, qvæ à Democrito audierat, omni-bus hominibus datâ occasione narrare.

e) Exempla motûs affectuum cient alios affectus etiam in infantibus. Oscitante uno oscitat & alter. Necesse tamen est, mœrorem populi fuisse maximè actionibus exteriori-bus declaratum. Aliàs enim non affecti fuis-sent infantes & pueri.

(*f*) En

tabant. (*f*) At Philopœmen me ad hoſpitium ducere geſtiebat, & hoc ab illis comprobabatur. Ego verò: O viri Abderitæ, inqvam, nullum mihi majus operæ precium eſt, qvàm Democritum videre. Illi verò hoc auditô, collaudarunt, & gaviſi ſunt, & compendio duxerunt me per forum, partim ſeqventes, partim præcurrentes, alii ab utraqve parte: Serva, clamantes, auxiliare, medicare. Et ego adhortabar ipſos, ut confiderent, tanqvam fortaſſis nihil eſſet mali: aut ſi qvid eſſet, modicum id eſſet, & correctu facile, confiſus horis anni Eteſiis. Et ſimul hæc dicens ibam. Neqve enim procul erant ædes: imò neqve tota civitas. Aderamus igitur: propinqvæ enim muro erant, & me placidè eò deducunt. At retrò turrim collis erat altus, longis ac denſis populis nigris umbroſus, unde Democriti habitacula conſpiciebantur. Et ipſe Democritus ſub ampla & humilima platano ſedebat, in veſte craſſa citra humeros deſi-

(*f*) En in Medico faciem angeli.

 (*g*) Si-

desinente, solus, discalceatus, super lapidea sede, valde pallidus ac macilentus, promissa barba. Juxta ipsum verò à dextra, tenuis aqva per declivem collem decurrens leniter resonabat. Erat autem delubrum qvoddam super illum collem, qvantum eqvidem conjectura asseqvor, Nymphis dicatum, sponte enatis vitibus circumdatum. Ipse verò cum multo ornatu supra genibus librum habebat. Sed & alii qvidam ex utraqve parte adjacebant, accumulata erant etiam animalia multa per totum resecta. Et ipse aliqvando concitatè incumbens scribebat, aliqvando qviescebat, diu multumqve se continens, in se ipso meditans. Deinde non longè post, his peractis, exsurgens deambulabat, & viscera animalium inspiciebat, & depositis ipsis digressus rursus desidebat. (*g*) At Abderitæ circumstantes me tristes, & non

(*g*) Sistunt hæ circumstantiæ, si attentè considerentur, nullam aliam personam qvam Philosophi de rebus naturalibus profundè meditantis & ex visceribus animalium materiam meditationis sumentis. Sed cum hujusmo-

non procul à lachrymantibus oculos habentes: Vides, inqviunt, Hippocrates, Democriti vitam, qvam inſanit, & neqve qvod vult, novit, neqve qvod facit? (*b*) Et qvidam ex ipſis adhuc amplius oſtendere volens ipſius inſaniam, altâ voce ploravit inſtar mulieris ob filii mortem lamentantis. Deinde rurſus cum gemitu ejulavit, perſonam agens viatoris, qvi aliqvid ex his, qvæ portabat, amiſit. Verùm Democritus, cùm hæc audiſſet, partim ridebat, partim

cachin-

jusmodi actionibus planè non aſsveti eſſent Abderitæ, verum contrariis, & in veſtibus tenuioribus, converſatione cum aliis ſui ſimilibus, ſedibus bene ſtratis, vultu rubicundo & ſucculento felicitatem & bonum qværent, & fortè à ſectione animalium abhorrerunt, putarent hos eſſe effectus inſaniæ. Ita ſtultis omnibus ſapiens pro ſtulto habetur, qvod non imitetur actiones communiter uſitatas.

(*b*) Stultiſſimi homines. Qvia ipſi non noverunt, quid ſapiens velit, aut qvid faciat, putant ipſum ſapientem hoc neſcire. Deprehendunt in ſapiente alias actiones qvam in ſe, earum combinationem & connexionem

 non

cachinnis explodebat, (*i*) & nihil amplius ſcribebat. (*l*) Caput autem freqventer concutiebat. (*m*) Ego verò: Vos, inqvam, ô Abderitæ, hîc manete; ipſe verò ubi & verbis, & corpori viri propior factus fuero, videroqve ac audiero, cognoſcam affectionis veritatem. Et hæc locutus, placide deſcendebam. Erat autem locus ille aſper ac declivis. Itaqve vix me ſuffulciens penetravi. Cùm autem appropinqvaſſem, incidi in ipſum, neſcio qvid, qvaſi ex numinis afflatu (*n*) & cum concitatione ſcribentem.

non intelligunt, ergo putant inter eas non eſſe connexionem. Inſania autem eſt, ubi in actione aut ſermone hominis nulla eſt connexio.

(*i*) Vides, non ridebat damnum, ſed lacrymas & ploratus.

l) Qvaſi turbatus in meditatione.

m) Cur hoc? An indicio motus iracundi? At modo riſerat. An admirabundi ſtultitiam hominum? At jam hujus aſſvetus erat. Fortè ergo & concuſſio capitis pariter atqve cacchini ex conſvetudine magis, qvam ex ſingulari impetu.

n) Divinum aliqvid ineſſe eruditis cum ſibi

tem. Stabam igitur iſthic expectans tempus qvietis ipſius. Ipſe verò paulò pòſt, intermiſso ſcribendi impetu, & ſtilo ſcriptorio depoſito, reſpexit ad me accedentem, &, inqvit, ſalve hoſpes. Et ego: Plurimum & tu, inqvam, Democrite, vir ſapientiſſime. At ille verecundans arbitror, qvod non nomine me compellaſſet: (o) Te autem, inqvit, qvô nomine vocabimus? Ignorantia enim tui nominis, cauſa erat cur te hoſpitem

ſibi perſvaderet vilis plebecula, è re fuit eruditorum, perſvaſionem iſtam confirmari in ipſorum animis. Prolixius hoc θεῖον tractavit Clariſſimus Morhofius, cui reſpondimus alibi. Ita & hîc. Meditatus erat profundè Democritus, in media ſcriptione meditationis turbatus à populo, poſteà intentius ſcripſit, cum videret aliqvem ad ſe accedere, ut anteqvam cum eo colloqveretur, meditationem abſolveret, ne perderet eam. Facimus talia qvotidie, & tamen ſcimus, iſta non eſſe Enthuſiaſmum, niſi fortè Poeta aliqvis communi errore furorem Poeticum his indiciis ſibi perſvadeat.

o) Obſerva obiter, diverſos apud diverſos populos eſſe modos honorandi. Vides

ſpitem appellarem. Hippocrates, inqvam, Medicus eſt mihi nomen. Is verò: Aſclepidarum, inqvit, nobilitas, & magna ſapientiæ tuæ in re medica gloria, multum celebris etiam ad nos pervenit. Qvid autem negotii, ô amice, te huc perduxit? Imò potius præ omnibus conſide. (*p*) Vides autem, qvod hæc ſedes foliis inſtrata non eſt injucunda, viridis adhuc ac mollis, & ad inſidendum lenior invidioſis fortunæ ſellis. (*q*) Cùm autem conſediſſem, rur-

apud Græcos viliores perſonas abſqve nomine nominatos fuiſſe, honoratiores, aut qvos honorare volebant, addito nomine. Ita & apud Germanos in uſu eſt. Contrà apud Gallos, ou le pauvre George Dandin eſt obligé de dire Monſieur tout court, & non pas Monſieur de Sotenville.

p) Conſidera Democritum tanqvam paululum attonitũ de præſentia tanti viri, qvam ſibi eo die non promiſerat, mox tamen ad ſe redeuntem non omittere communiter recepta honoris ſigna. Scivit ergo converſari cum viris honeſtis, neqve fuit Pedanta miſanthropus.

q) Ita omnia ſapientis dicta ſapientiam

rurſus inqvit: Privatumne aut publicum negotium agens huc perveniſti? Dic apertè, nam nos, qvantùm poterimus, adjuvabimus. (r) Et ego: Qvæ vera cauſa eſt, inqvam, tui gratiâ hùc venio, ut ſapientem virum conveniam. Habet autem cauſam patria, cujus legatum ago. Ille verò: Hoſpititô itaqve, inqvit, primum utere noſtrô. Ego verò per omnia virum pertentans, etiam ſi jam mihi manifeſtum eſſet, (s) ipſum non inſanire, Philopœmenem, inqvam, noſti civem veſtrum? Etiam, inqvit, valdè: Damonis filium dicis, qvi habitat apud Hermaidem fontem? Hunc ipſum

am ſpirant, & utile aliqvid obſervatu continent, etiam ipſa ejus verba honoris, aut, ut nos dicere conſvevimus, complimenta.

r) Sapiens ſapienti ſtatim amicitiam & officia offert, idqve ſeriò.

s) Qvia inſanorum & furioſorum longe alii mores ſunt, qvam Democriti erant. Pro inſano autem venditaverant Abderitæ. Nam delirantes intuitu certæ cujusdam perſvaſionis in reliqvis ſanæ mentis homines repræſentant.

ipſum, inqvam, cujus ego ſum ex patribus peculiaris amicus. At tu Democrite potiore me hoſpitiô excipe, & primum ſanè, qvid ſit hoc, qvod hic ſcribis, dicito. Ille verò, ubi paululum ſe continuiſſet: De inſania, (*t*) inqvit. Et ego: O rex Jupiter, inqvam, opportunè profectò ſcribis contra civitatem. (*u*) At ille: Qvalem inqvit, civitatem Hippocrates? Ego verò: Nihil, inqvam, o Democrite, ſed haud ſcio, qvomodo hoc verbum mihi excidit. Verùm qvid de inſaniâ ſcribis? Qvid enim, inqvit, aliud, qvàm qvid ſit, & qvomodo in hominibus generetur, & qvomodo allevetur. Nam animalia hæc, qvæ vides, inqvit, hujus gratia reſeco, non qvod

t) Ita & hodie. Sapiens dum in eo eſt, ut ſtultis inſaniam & originem inſaniæ oſtendat ore, opere, calamo, ab ipſis pro inſano, ſæpè pro improbo habetur.

u) Id eſt, contrà Abderitas. Excidit enim hæc vox Hippocrati, ſapientiam Democriti & ſtultitiam Abderitarum admiranti. Unde ne cauſam adventus ſentiat ſtatim, Hippocrates mox ſe corrigit.

x) Ergo

qvod odio habeam opera Dei, ſed bilis naturam (x) ac ſedem qværens. Noſti enim, qvod hæc furoris hominum cauſa eſt, ubi nimium redundarit. In omnibus eqvidem à natura ineſt: ſed in qvibusdam minus, in qvibusdam amplius. At immoderatio ipſius morbi ſunt, ipſa velut materia aliqvando bona, aliqvando mala ſubjacente. Et ego, per Jovem, inqvam, ô Democrite, verè hæc & ſapienter dicis. Qvare beatum te judico, qvi tantâ qviete frueris. Nobis autem hujus participes eſſe non permiſſum eſt. Interrogante verò illô, Cur, ô Hippocrates, permiſſum non eſt? Qvoniam, inqvam, aut agri, (y) aut res domeſticæ, aut liberi, aut uſuræ, aut morbi, aut mortes, aut famuli, aut nuptiæ

x) Ergo Democritus jam ſuo tempore inſaniam ex bile oriri ſtatuit, & ex principiis anatomicis id deduxit, qvam ſententiam tanqvam falſam ridet Ammannus in Irenico p. 17. Videant Medicorum filii.

y) Non tam ex animi ſententia ſic loqvitur Hippocrates, qvam tentandi gratiâ, & cauſam inqvirendi, cur hæc talia rideret Democritus.

z) Majo-

nuptiæ, aut ejusmodi qvædam, opportunitatem nobis commodam eripiunt. Hic ſanè vir ille ad ſolitam affectionem delatus eſt, & valde effuſè riſit, ac cachinnatus eſt, & de cæterò qviescebat. Et ego: Qvid verò, inqvam, Democrite rides? utrum bona qvæ dixi, aut mala? Ille verò adhuc magis ridebat. (z) Et Abderitæ de colle id videntes, partim capita ſua cædebant, partim frontem: alii verò capillos evellebant. (a) Nam, velut poſtea dixerunt, ampliorem, qvam aliàs ſolitus eſſet, riſum effuderat. (b) At verò, inqvam, ſapien-

z) Majori riſu certè digna erat hæc qvæſtio. Ex mente enim Sapientis illa, qvæ Hippocrates dixerat, nec bona erant, nec mala.

a) Si riſus ille excedens Democriti ab Abderitis pro indicio ſtultitiæ accipiebatur: Cur non ſimilem aut majorem ſtultitiam interpretabantur, ob ſtultitiam alienam capita cædere & capillos evellere? Scilicet qvia plurimi id faciebant.

b) Ideò fortè, qvod ſtulta illa aſſertio Hippocratis, viri aliàs eruditi & Medici ſapientis majorem riſum poſtularet, qvam ſtultitia vulgaris.

c) Lo-

ſapientum optimè Democrite, cupio cauſam hujus tuæ affectionis cognoſcere: qvo riſu ego tibi dignus viſus ſum, aut ea, qvæ dixi: qvo hoc cognito, à cauſa deſiſtam, aut tu reprehenſus, intempeſtivos riſus coërceas. Ille verò: O Hercules, inqvit, ſi me reprehendere potes, curationem perficies, qvalem nullam unqvam, ô Hippocrates. Et qvomodo non reprehendaris, ô optime? Aut non abſurdum te eſſe putas, dum rides hominis mortem, (*c*) aut morbum, aut mentis emotionem, aut inſaniam, aut atram bilem, aut cædem, aut aliud qvid pejus? Aut vice verſa nuptias, aut feſtivitates, aut liberorum procreationem, aut myſteria, aut magiſtratus, aut honores, aut aliud qvid omninò boni? (*d*) Nam qvorum miſere-

c) Loqvitur hîc Hippocrates iterum ex ſua perſona, & ex ſua hypotheſi: putabat enim, Democritum ridere mortem hominis aut morbum, cum rideret potius hominum affectus ob illas res.

d) Semper ex ſua hypotheſi continuat Hippocrates, mortem & morbum &c. pro malis

ſereri (e) oportet, ea tu derides, & ob qvæ lætari conveniebat, ea itidem derides, adeò ut neqve bonum, neqve malum apud te ſit diſcretum. At ille:

Hæc

lis, nuptiarum feſtivitates &c. contra pro bonis habens. Non diſſimilis hac parte Peripateticis, qvi bona fortunæ qvæ dicuntur, reverà pro bonis habent, eaqve appeti debere, nõ ſaltem ſumi, docent. Parum convenienter qvidem ad principia veri Chriſtianiſmi qvi iſta omnia vana judicat, nec bonorum nomine digna. Maximè verò convenienter ad Theologiam ſeculi, ſecundum qvam ſalvo Chriſtianiſmo, honor, divitiæ, voluptas egregiè tanqvam bona appetuntur. Igitur nec mirum, qvod Hippocrates divinus, Democritus ſtultus habebatur, nam & hodie veri Chriſtiani ſtulti exiſtimantur, divini homines contra, qvi ſeqvuntur Theologiam ſeculi.

e) Falſum & hoc, miſerorum miſereri debemus, lætari de felicitate aliorum; at ægrotus &c. non eſt miſer, nuptias celebrans &c. non eſt felix. Virtuoſus, ſapiens, felix eſt, etſi ægrotans. Cur ergo horum miſereamur? vitioſus, inſipiens, infelix eſt, etſi ſanus, etſi nuptias celebrans, cur ergo ſuper eo lætemur?

f) Non

Hæc qvidem, inqvit, rectè dicis, (*f*) ô Hippocrates: sed non novisti risus nostri causam. Ubi verò cognoveris, satis scio, qvod meum risum meliorem legatione medelam ac curationem (*g*) tuæ patriæ & tibi ipsi auferes, & alios prudentes facere poteris. Et pro hoc fortassis me vicissim medicinam docebis, ubi cognoveris, qvanto studio circa res nullo studio dignas versantes, & ea qvæ nullius pretii sunt, facere conantes, omnes homines vitam consumunt risu digna tractantes. Ego vero: Dic, inqvam, per Deos, nunqvid universus mundus ægrotare se non animadvertit? & non habet, qvo legationem demittat

f) Non qvod approbaverit omnia reliqva Democritus, sed qvod omissis reliqvis levioris momenti, Hippocrati saltem ostendere velit, ipsum ignorare veram causam risus.

g) Obsurior sensus. Hoc videtur velle. Tu Medicus es, & dixisti legationis causâ te hic adesse, aliqvid à civitate nostra petiturus. Ubi verò cognoveris causam, qvod rideam, videbis risum hunc meum esse qvasi medicinam

mittat ad ſui curationem? Qvid enim (*h*) extra ipſum eſſe poterit? Ille verò excipiens: Multæ, inqvit, ſunt mundorum infinitates, (*i*) & neqvaqvam, ô amice, divitem naturam maligne exte-

cinam contrà ſtultitiam hominum, & hanc medicinam pro patria tua & aliis hominibus magis æſtimabis, qvàm id, cujus gratiâ legationem ſuſcepiſti.

h) Videntur hîc qvædam deeſſe. Nam fateor me non intelligere, qvomodo cum præcedentibus hæc verba: *Qvid extrà ipſum eſſe poterit?* cohæreant. Forte ita ſe res habuit. Dixit Democritus, omnes homines ægrotare ſtultitiâ, cum ſemper ridenda faciant. Ad hæc excepit Hippocrates: An putaret Democritus univerſum mundum ægrotare? His videtur oppoſuiſſe Democritus in verbis, qvæ deſunt, veroſimiliter in hunc ſenſum: *Qvod Hippocrates omnes homines cum univerſo mundo miſcuerit, cum extrà hunc mundum ſint & alii mundi.* Huic autem aſſertioni jam videtur Hippocrates qvæſtionem modo notatam objeciſſe.

i) Notum dogma Democriti, qvod recoxit Carteſius, ne vacuum admitteret. Etſi Democritus teſtante Laertio, vacuum ſtatuerit. Sed tranſeant Phyſica.

l) Μάλα

tenues. At hæc qvidem, inqvam, Democrite ſuo tempore docebis. Vereor enim, ne forte dum infinitatem recenſes, ridere incipias. Scias autem nunc, de tuo riſu rationem vitæ te reddere debere. Ille autem torvè (*l*) me intuitus : Duas, inqvit, riſus mei cauſas eſſe putas, bona & mala. Ego autem (*m*) unum hominem rideo, dementiâ qvidem plenum, rectis autem actionibus vacuum, in omnibus conſiliis pueriliter ac ſtultè ſe gerentem, & nullius utilitatis gratia labores nunqvam abſolvendos tolerantem, fines terræ & infinitos ſeceſſus ex immodicis cupiditati-

l) Μάλα τεχανὸν. *Valdè perſpicuè* reddidit alia verſio. Puto tamen hanc noſtram magis ſenſum, illam magis verba exponere. Nam qvi *torvè* aliqvem adſpicit, *valdè perſpicuè* adſpicit. Cauſa torvitatis erat, qvod Hippocrates in verbis præcedentibus ſatis ſatyricè Democritum infinitates mundorum ſtatuentem ſtultitiæ accuſaverat, acſi rem riſu excipiendam protuliſſet.

m) Hîc incipit pulcherrima meditatio vanitatum humanarum. Mirandum, Ethni-

ditatibus penetrantem, argentum & aurum qværentem, & nunqvam ab his acqvirendis interqviescentem: sed semper inter plura adipiscenda tumultuantem, qvo ipse inferior (*n*) non sit, & neqve pudefiat, si non felix appelletur. Rideo item ipsum, eò, qvod hiatum terræ effodit, manibus eorum (*o*) perqvirens, qvi partim à laxa irruente terra oppressi sunt, partim diutissimè in hac neces-

cus tam propè accedit ad ea, qvæ divino afflatu scripsit Ecclesiastes. Et nos Christiani esse volumus, qvi Democrito, si viveret, maximam risus causam præbituri essemus. Adeste voluptuosi, ambitiosi, potissimum verò avari, & Ethicam hanc Democriti ad confusionem vestram legite.

n) Taxat igitur hoc loco ambitionem. Igitur in dijudicando avaro non tam videndum, an qvis pecunias corradat, qvam, cujus rei gratiâ id faciat. Nam & ambitiosus pecuniæ cupidus est, & gulæ deditus atqve Veneri.

o) Vide, qvam egregiè stultitiam metallifossorum depingat. O si hæc notent isti, qvi tantâ curâ metallifodinis inhiant!

p) Olim

neceſſitate detenti, in ſupplicio (*p*) velut in patria permanent, argentum & aurum inqvirentes, veſtigia pulveris ac ramenta perſcrutantes, arenam aliam aliunde eruentes, & terræ venas exſcindentes, ad opulentiam ſemper glebas conflantes, ex matre terra hoſtilem terram, (*q*) cùm tamen eadem ſit, facientes, & hanc admirantes pedibus calcant. Qvanto verò riſu dignum eſt, qvod ærumnoſam & occultam terram amant, manifeſtam contumeliâ (*r*) afficientes? Alii verò canes emunt, (*s*) alii eqvos; alii multam regionem circumſcribentes, propriam ſibi inſcribunt; & mul-

p) Olim enim ad metallum damnari maxima pœna erat. Ridet igitur infinitos dari homines, qvi ſpontè pœnam illam ſubeant, & qvod ſupplicium eſſe debebat, tanqvam patriam ament.

q) Qvia in eam tanqvam in hoſtem ſæviunt.

r) Dum in ea permanere qvaſi contemnunt incumbentes fodinis.

s) Eſt hic in vicinia nobile prædium, in qvo ſtultitiæ genera nonaginta novem depicta eſſe dicuntur, centeſimo ſpatio nudo

& multis imperare volentes, neqve ſibi ipſis imperare poſſunt. Uxores ducunt, qvas paulò poſt ejiciunt. (*t*) Amant, deinde odio habent. Cum magna cupiditate liberos generant: deinde adultos ejiciunt. Qvæ eſt illa vana ac abſurda diligentia, nihil ab inſania differens? Bellum inteſtinum (*u*) gerunt, qvietem non amplectentes. Reges alios deponunt, alios ſurrogant: occidunt homines. Terram fodientes argentum qværunt; argento reperto, terram emere volunt. Emtâ terra, fructus vendunt: fructibus divenditis, rurſus argentum accipiunt.

In

relicto pro eo, qvi ſtultitiam ſuam in prioribus non deprehendat. Credo ſi qvis Democriti diſcurſum perlegat, & ſtultitiam ſuam nondum notatam deprehendat, & hunc posſe occupare illud ſpatium vacuum. Ita omnia illa ſtultitiæ genera egregiè notavit.

t) In promptu cauſa eſt. Non ducunt ex amore, ſed propter libidinem, vel promotionem, vel pecuniam.

u) Poſſes intelligere de bello inteſtino affectuum, ſed qvæ mox ſeqvuntur, ſvadent, qvod de bello inteſtino in Rep. loqvatur.

x) Hoc

In qvot mutationibus verſantur? in qvanta malitia? dum opes non habent, opes expetunt: dum habent, occultant, diſſipant. Rideo, dum improbè (x) agentes video. Intendo riſum, dum infeliciter agentes cerno. Veritatis enim leges transgrediuntur: contentionis ſtudio hoſtilem inter ſe litem habent, & cum fratribus & parentibus, & civibus: atqve ad hæc pro ejusmodi opibus, qvarum nemo, ubi mortuus eſt, Dominus eſt, ſe mutuo occidunt: illicitam vitam degentes, amicorum ac patriæ penuriam contemnunt. (y) Res indignas & inanimatas divitiarum loco habent. (z) Pro univerſa opulentia ſtatuas emunt, qvoniam effigies ita expreſſa eſt, ut loqvi videatur: eos verò, qvi verè loqvuntur, odio habent. Res inſuper

x) Hoc eſt, ut videtur, magnâ induſtriâ. Ita *labor improbus* dicitur.

y) Hoc eſt, non ſubveniunt paupertati amicorum & concivium.

z) Notat hîc immiſericordiam eorum, qvi ſimul ſunt avari & ambitioſi, pecunias in res nihili profundentes, hominibus verò non miſe-

ſuper non faciles expetunt. Nam continentem habitantes, mare cupiunt. Et rurſus cùm in inſulis ſunt, continentem deſiderant, & omnia pervertunt ad propriam cupiditatem. Et in bello qvidem fortitudinem laudare videntur; vincuntur autem quotidie à petulantia, (a) ab avaritia. Ex omnibus affectionibus ægrotant; Therſitæ verò vitæ omnes ſunt. Cur verò meum riſum reprehendiſti ô Hippocrates? Non enim qviſpiam ſuam ipſius dementiam, ſed alius alterius deridet: hi qvidem ebrios, cùm ipſi ſibi ſobrii eſſe videntur: alii verò amantes, cùm ipſi graviori morbo (b) laborent: alii navigantes: alii eos, qvi circa

miſerentes, qvia carent omni amore humani generis

a) i. e. Luxuriâ, laſciviâ.

b) Verè. Nam avaritia & ambitio graviores morbi ſunt, qvàm amor illicitus. Scortatores multi ad Salvatorem accedebant, Phariſæi & Aulici pauci. Aliter in foro ſoli. Pœna dictatur amori illicito. Ambitioſi præmia accipiunt. Avari venerantur ut pii aut virtuoſi.

c) Ad

circa agriculturam occupati ſunt. Non enim concordant neqve artibus, (c) neqve operibus. Ego verò: Hæc qvidem, inqvam, vera ſunt Democrite; neqve alius aliqvis convenientior ſermo eſſe poterit, ad mortalium miſeriam declarandam: verùm ipſæ res ſanciunt neceſſitatem, (d) & domeſticæ diſpenſationis & navium fabricationis gratiâ, reliqvæ item vitæ, in qva neceſſe eſt hominem eſſe. Non enim ad otium natura ipſum genuit. Ex his autem rurſus ambitio effuſa, multorum rectè

c) Ad alias artes inclinatur avarus, ad alias voluptuoſus, ad alias ambitioſus. Avarus Jabal pecuariæ inventor, mollis Jubal laſcivientis Muſicæ, ambitioſus Thubalcain artium, qvibus utimur in ſubjugandis hominibus. Admirare tamen divinam providentiam, qvi hos diverſos genios hominum ita dirigit, ut reverà ad communem utilitatem laborent, etſi eam non intendant, qvam non promoverent, ſi in hoc corrupto ſtatu ſinguli uni rei forent intenti.

d) Hæc eſt maxima ſtultitia, qvod homines ſtultitiam agnoſcere nolint, ſed eam adſcribant naturæ aut neceſſitati, & ex hac ficti-

rectè ſentientem animam decepit, qui omnia qvidem rectè ac ſeriò agere ſtudent, velut re certa ac ſtabili futura: Non autem ita validi ſunt, ut obſcuritatem prævidere poſſint. Si enim qvis, o Democrite, uxorem ducens, ſeparationem aut mortem timeret: qviſpiam liberos educans, ipſorum interitum: imò neqve in agricultura, & navigatione, & regno, & magiſtratu, & omnibus qvæ ſunt in vita, nullus unqvam de errore præſumſit, ſed unusqviſqve horum bona ſpe alitur, deteriorum verò ne meminit

fictitiâ neceſſitate Jus ſibi formarunt æqve ſtultum. *Nam uſu exigente & humanis neceſſitatibus gentes humanæ Jura qvædam ſibi conſtituerunt. Bella etenim orta ſunt & captivitates ſeqvutæ & ſervitutes, qvæ ſunt naturali Jure contrariæ.* Malitia cordis humani bellorum, captivitatum, ſervitutum cauſa eſt, nulla necesſitas. Et egregium verò Jus, qvod *Juri naturæ contrarium eſſe* ipſi prædicant. Non verò rideas, ſcio enim reſponſionem vulgarem, ſed ſcio etiam eſſe ineptam, cum alibi jam monſtraverim, bellum ob injuriam illatam, non eſſe medium rationabile ad pacem procurandam, ſed ſolam patientiam hîc eminere, neglectam

minit qvidem; nunqvid igitur riſus tuus his minime convenit? *(e)* At Democritus: Valdè inqvit, tardo ingenio præditus es, & longè à ſententia mea abes, ô Hippocrates, qvi tranqvillitatis & perturbationis modum non conſideras, præ ignorantia. Si enim hæc ipſa prudenti mente diſponerent, *(f)* & ipſi facilè liberaren-

ctam vulgò, imò exoſam & penè hæretificatam, ut barbariſſimam rem barbaro termino exprimam.

e) Hæc videtur dicere voluiſſe Hippocrates. Ita qvidem eſſe, miſeros eſſe homines. Sed hanc miſeriam eſſe adſcribendam neceſſitati naturæ & negotiis, qvæ hominibus peragenda ſint, cùm ad laborem homo ſit genitus, & homines gloriam qværentes atqve omnia rectè facere cupientes, tanqvam in re ſtabili operentur, neqve inſtabilitatem timeant, ſed meliora ſperent, ut eò rectius operari qveant. Qvodſi igitur in ſpe ſua decipiantur, hoc miſericordiâ magis qvam riſu dignum videri Hippocrati.

f) Hoc eſt, ſi homines in his tanqvam in inſtabilibus operarentur, prudentes eſſent, nec eos riderem. At nunc eo ipſo, qvod inſtabilia & vana tanqvam firma tra-

berarentur, & meum riſum levarent. Nunc autem velut rebus in vita firmis, dementes illi ſuperbiunt, ob ratiocinationis expertem mentem, inordinatum impetum ſuum ægrè diſcentes. Sufficiens enim admonitio ipſis eſſet omnium rerum viciſſitudo, qvæ ſubitis mutationibus irruit, & derepente omnigenam circumrotationem inducit. At ipſi velut hæc firma ſit & ſtabilis, obliti affectionum aſſiduè incidentium, aliter alias ea, qvæ triſtitiam inferunt, cupientes, & qvæ non conferunt, qværentes, multis calamitatibus involvuntur. Si verò qvis juxta propriam facultatem (g) omnia facere cogitaret, ſtabilem ſanè vitam cuſtodiret, ſeipſum cognoſcens, & ſui ipſius comparationem clarè conſiderans, & non cupiditatis ſtudium in infinitum extendens: ſed opulentam naturam, & omnium nutricem, per

ctent, ſtultitiam produnt. Reſpondet per inverſiionem.

g) Vana non ſolum homo appetit & inſtabilia, ſed & impoſſibilia & qvæ ſunt ultrà vires. De his h.l.

h) Hic

per ſufficientiam intuens. Qvemadmodum autem in optimo corporis habitu, affectionum periculum manifeſtum eſt; ita ſucceſſuum fortunæ magnitudo periculoſa eſt. Inſignes autem palàm in infelicitatibus conſpiciuntur. Alii verò velut proximorum facta non videntes, à propriis malefactis pereunt, tàm manifeſta qvàm obſcura (h) non prævidentes, qvam longam vitam exemplum habeat eorum, qvæ fiunt, & qvæ non fiunt, ex qvibus etiam futurum conſiderare oportebat. Hæc ſunt, qvæ mihi riſus materiam præbent. O dementes homines, pravitatis pœnas pendentes, avaritiæ, inſatiabilitatis, inimicitiæ, inſidiarum, doli, invidentiæ, [difficile eſt enumerare multiplices malorum verſutias: ſunt enim infinitæ (i)]

h) Hic reſpondet ad id, qvod dixerat Hippocrates: Hominibus non imputandum eſſe, qvod non ita prævideant futura, hæc enim eſſe obſcura. Reſpondet: Homines præ cœcitate mentis nec manifeſta cognoſcere, cum non prudentiores evadant exemplis aliorum qvotidianis de inſtabilitate fortunæ.

i) Re-

(i)] & in his dolosis versutiis vicissim conversantes, & malignè sentientes. At virtutis apud ipsos modus est, id qvod deterius est. (l) Mendacii enim studium exercent, voluptatem consectantur, legibus non obedientes. Qvidam verò ex ipsis prævidentiam in hominibus esse negat, (m) ut qvi neqve visus, neqve au-

i) Rectè, si mixturas varias & infinitas passionum in homine consideres. Aliàs tres principales affectûs maligni sunt: Avaritia, Voluptas, Ambitio. Ex his ira, invidia, timiditas, crudelitas, torpor, & aliæ passiones omnes oriuntur. Dixi alibi.

l) Videtur primâ fronte hoc velle. Ridiculum esse, cum homines omnia mala sine modo appetant, virtutem solam appetant modicè. Qvod esset contra mediocritatem virtutis Aristotelicam. Sed re penitius exacta is sensus esse videtur. Id qvod deterius est apud homines, æstimari pro virtute, seu vitiis imponi nomina virtutum. Astutus prudens, prodigus liberalis, avarus bonus œconomus, voluptuosus sincerus, ambitiosus honestus aut severus &c. appellari solent.

m) Hoc non intelligo. Qvis est ille, qvi hoc negat? In Græco est: ὁ δὲ αὐτέων κατα-

auditus participes sunt. Solus autem sensus hominis recta intelligentia lucidus, & præsens & futurum prævidet. In omnibus displicentiam habent, & rursus ad eadem accedunt; abnegatâ navigatione navigant; rejectâ agriculturâ, rursus agrum colunt; ejectâ uxore, aliam inducunt: genitos sibi liberos sepeliunt; (n) & his sepultis, alios generant,

κατακρίνει τὴν ἀπροαιρεσίην. (Qvamvis & Græca exemplaria qvædam aliter legere notet Fœsius.) Ipse Fœsius reddidit: *Hic autem meus risus, qvæ ab his nullo proposito consilio fiunt, condemnat.* Magis convenienter, ut arbitror. Nisi qvod non opus videatur qvicqvam addere de risu. Et fortè scriptum fuit ὁ δὲ. *Qvod verò ipsorum præcipitantiam indicat.* Qvasi dicere voluerit: Qvod ea, qvæ recensuerat, indicent, homines omnia præcipitanter agere & absqve deliberatione, adeò ut sensu ferè communi videantur esse destituti, neqve videntes neqve audientes, cum is demum videatur dici debere visus & auditus, qvi cum intellectu & prudentiâ sit conjunctus &c. Ita & verba mox sequentia redduntur perspicua.

n) Mallem, hæc omisisset Democritus: Hæc

rant ac rurſus educant. Senectam optant, ad ipſam autem pervenientes, gemunt; in nullo rerum ſtatu conſtantem mentem habentes. Principes ac Reges privatim prædicant: (o) privatus autem regnum appetit. Qui Reipubl. magiſtratum gerit, artificem laudat, velut extra periculum conſtitutum; artifex autem illum, velut per omnia potentem. Rectam enim virtutis viam, puram & levem ac inoffenſam, (p) non vident, qvam nemo ingredi audet. Ferun-

Hæc enim non pertinent ad inconſtantiam animi humani. Niſi ſub ſepultura fortè intellexerit luctum & triſtitiam, ſepulturam liberorum comitantem. Ut videtur.

o) Accuratiſſimè; Privatus regnum *appetit*, & ſe Regem eſſe *optat*. Principes non *optant* aut *appetunt* vitam privatam, ut ad qvam facilè pervenire poſſent, ſed *prædicant* ſaltem & *beatiorem* eſſe laudant qvandoqve. Ita & hodie fit. Sunt multi Dionyſii, qvi coram privatis de onere imperii conqveruntur. Pauci Diocletiani, qvi id deponere velint.

p) Egregiè. Eſt enim virtutis via levis & facilis, vitiorũ aſpera & difficilis. Contrariũ juvenes

runtur autem in contrariam, difficilem & tortuoſam, per aſpera incedentes, lapſantes ac offendentes: pleriqve verò excidentes, anhelantes velut, ſi qvis perſeqvatur, litigantes, modo poſteriores exiſtentes, modò præcedentes. Et qvidam ipſorum petulanti alieni cubilis corrumpendi amore ardent, per impudentiam inducti, alios avaritiæ morbus infinitus conſumit; alii mutuò inſidias ſtru-

venes ſibi perſvadent, qvod ipſis vitio non eſt vertendum, veram virtutem nondum expertis. Imputandum magiſtris, qvi eos in perſvaſione firmant, acſi virtutis via ſit ſpinis, vitiorum roſis tecta, qviqve eam in rem fabulâ de Hercule apud Xenophontem lib. 2. de memorab. Socratis abutuntur, qvæ magis tamen illuſtrat ſententiam Democriti, ſi qvis ea conſiderare velit, qvæ Xenophon ex perſona virtutis ultimò vitio ibidem opponit. Et nihil ſtultius, qvàm juvenes velle allicere ad viam virtutis, eam verò ita deſcribere, ut nauſea ipſis creetur. Scilicet Pedantiſmus & Hypocriſis juvenibus loco virtutis veræ depingitur, cujus via verè aſpera & difficilis.

q) Ha-

ſtruunt, alii ab ambitionis (q) ſtudio in aërem ſublati, per malitiæ gravitatem in profundum perniciei præcipites deferuntur. Qvidam deſtruunt, deinde rurſus ædificant; largiuntur, deinde pœnitentiâ ducti, amicitiæ Jura tollunt, malefici per inimicitiam cognationis Jura belle impetentes. Et horum omnium cauſa eſt avaritia. Qvâ in re hi à pueris ludentibus differunt? apud qvos conſilium qvidem judicio caret: qvod verò ſe fortè fortuna obtulit, id jucundum eſt. At verò in deſideriis qvid brutis animantibus reliqvi faciunt, qvàm qvod intra ſufficientiam feræ ipſæ (r) ſe continent? Qvis enim leo aurum in ter-

q) Habes hîc tria vitia Cardinalia: Voluptatem, avaritiam, ambitionem.

r) Durum ſonat brutis hominibus, ſi qvis eorum beſtialitatem deſcribat. Qvid facerent Democrito, qvi eos magis eſſe beſtias oſtendit, qvam ipſæ beſtiæ ſunt. Accedite ergo omnes, qvotqvot adhuc beſtiæ eſtis, & vos in his aureis Democriti dictis tanqvam in ſpeculo aſpicite.

s) Con-

terram occuluit? Qvis taurus uberioris alimenti gratia depugnavit? Qvam pardalim unqvam inſatiabilitas cepit? Sitit qvidem aper, ſed uſqve ad aqvæ appetentiam. Lupus autem devorato neceſſario alimento oblato, qvieſcit. Si dies ac noctes conjungat homo, non ſentit convivendi ſatietatem. Et annuorum qvidem temporum ordo terminus eſt brutis ad coitum: At homo perpetuo inſano libidinis œſtro ſtimulatur. Qvæſo te, Hippocrates, non ridere debeo plorantem propter amorem, eò, qvod commodo ſuo excluſus eſt? maximè verò ſi qvis periculorum contemptor ſit, & per præcipitia, aut pelagi profunditates feratur, riſum non extendam? Non ridebo autem eum, qvi navem multis mercibus onuſtam demerſit, deinde mari indignatur, qvod ipſam plenam ſubmerſit? Ego qvidem neqvaqvam mihi ridere videor. (s) Vellem autem potius aliqvid moleſti contra ipſos

s) Convenientius Fœſius: *Eqvidem hæc minimè ridicula duco*; Vult dicere. Etſi rideam, non

ipsos excogitare. At neqve medicinam pro his esse oportebat, neqve aliqvem pœonia pharmaca præparantem: atqve hujus rei documentum præbeat tibi tuus ille progenitor Æsculapius, qvi dum servaret homines, fulminis ictus gratiam accepit. Non vides, qvod & ego (t) malitiei pars sum, dum insaniæ causam inqvirens, animalia macto & reseco. Oportebat autem ex hominibus causam perscrutari. Non vides, qvod etiam ipse mundus odio in homines plenus est? Infinitas enim contra ipsum affli-

non tamen iste risus ex gaudio provenit, sed est risus amarus. Et vellem adhuc magis amari qvid excogitare ad curandum istum morbum humani generis, nisi videretur esse morbus incurabilis, & non licitum esse, ut de eo curando qvis sit sollicitus, exemplo Æsculapii.

t) Videntur hæc ex modestia immixta fuisse à Democrito. Ipse enim qværebat causam insaniæ, qvatenus est morbus corporis, qvod homo cum bestiis commune habet. Neqve poterat homines vivos mactare, uti videtur vivorum animalium anatomen instituisse.

u) i. e

afflictiones accumulavit. Totus homo ex nativitate morbus eſt. Dum educatur, inutilis eſt, & alienum auxilium implorat. Dum creſcit, protervus, inſipiens, pædagogo opus habens. Dum in vigore eſt, audax eſt. Dum decreſcit, miſerabilis, ubi labores ſuos imprudenter recolit ac jactat. Ex maternis enim uteri inqvinamentis talis prodiit. (*u*) Et propterea alii indignatione ac immodica ira pleni, in calamitatibus ac pugnis verſantur: (*x*) alii ſemper in adulteriis & corrumpendis puellis: alii in ebrietatibus: (*y*) alii in rerum alienarum cupiditatibus: (*z*) alii in ſuis prodigendis. Utinam facultas eſſet nobis, univerſorum habitationes revelare, & nullum re-

u) i.e. Non mirandum, hominem eſſe per totam vitam morbidum, cum etiam in ipſo utero inter ſtercus, urinam & ſimilia excrementa ortum duxerit.

x) Habes iterum tria vitia: hîc ambitionem.

y) Ibi voluptatem rei venereæ, item cibi & potûs.

z) Iſthic avaritiam cum oppoſito.

 a) h.e.

rerum in ipsis velamentum dimittere, atqve ita ea, qvæ intus aguntur, videre! videremus utiqve alios edentes, alios vomentes, alios suppliciis torqventes, alios pharmaca miscentes, alios insidias construentes, alios supputantes, alios gaudentes, alios plorantes, alios amicos accusantes, alios propter ambitionem amentes. Qvanqvam sint (a) qvædam actiones profundiores, qvæ in animo occultantur. Et ex his (b) qvidam sunt juvenes, qvidam senes: parentes, negantes: pauperes, opulenti: fame pressi, luxu gravati, sordidi, vincti: alii deliciis diffluentes famulitium magnum alentes: alii trucidantes, alii sepe-

a) h. e. Etiamsi ædes hominum & secreta loca inspicere possemus, non videremus tamen omnem neqvitiam, qvæ maximam partem meditationibus mentis absolvitur.

b) Puta non *actionibus*, qvod immediatè præcesserat, sed *hominibus*. Videtur enim parenthesis esse in præcedentibus, qvæ incipit: *Utinam facultas esset* &c. & definit ibi: *in animo occultantur*.

) *Super-*

ſepelientes: alii ea, qvæ habent, contemnentes, & ſperatis poſſeſſionibus inhiantes: alii impudentes: alii parvi, alii inexplebiles: alii occidentes, alii vapulantes; alii ſuperbientes: alii vana gloria elati. (c) Et ex his aliqvi apud eqvos ſpectatores adſiſtunt: (d) aliqvi apud viros, aut canes, aut lapides, aut ligna, aut æs, (e) aut picturas. Et aliqvi legationibus, aliqvi malitiæ, aliqvi ſacerdotiis præſunt. Et alii coronas geſtant, aliqvi armati ſunt, aliqvi occiduntur. Singuli verò ex his feruntur, partim ad pugnam navalem, partim ad militiam, partim ad ruſticationem: alii ad onerarias naves, alii ad forum, alii ad concionem, alii ad theatrum, alii ad fugam, alii aliò. Et rurſus, qvidam ad voluptatem,

c) *Superbientes* ſunt, qvi in jactantia gloriam qværunt. *Vanâ gloriâ* elati, qvi ex aliorum laude gloriam captant.

d) Παρεστῶτες. Nihil de *ſpectatoribus* in Græco: *Adſtantes*, *adhærentes*, *addicti* eqvis, hominibus, canibus, lapidibus &c.

e) Qvi antiqva & rariora colligunt, lapidea, lignea, numiſmata &c.

 f) Per

tem, deliciasqve ac intemperantiam: qvidam ad otium & ſocordiam. Cùm ig tur tot indignas ac infelices animas videamus, qvomodo non vitam ipſarum ejusmodi intemperantia præditam, riſu exſibilaremus? Qvin & valde timeo, neqve medicinam tuam ipſis placere. Nam præ intemperantia (*f*) omnia ipſis diſplicent, & inſaniam ſapientiam putant: profectò ſuſpicor pleraqve in ſcientia tua palam contumeliâ affici, aut pro-

f) Per intemperantiam hîc ut paulò ante, intelligit exceſſum omnium vitiorum. Unde rectè, ſi vitioſis omnia diſplicent ſana & ſapientia, diſplicebit etiam medicina. Poſſes tamen eandem ſententiam retinere & per intemperantiam intelligere vitium, qvod ſpeciali virtuti temperantiæ opponitur. Uti enim intemperantibus qvàm maximè ſobrietas diſplicet, ita & medicina, qvæ ſobrietatem tanqvam optimum ſanitatis remedium commendat. Intelligo medicinam veram, qvæ conſervationem Sanitatis intendit, non noſtram empiricam, qvæ ex ægrotantibus qvæſtum capit, & crapulam ſæpe tanqvam medicinam commendat.

g) Ab

propter invidiam, (*g*) aut propter in-
gratitudinem. (*h*) Ægrotantes enim si-
mul ut servantur, causam Diis aut for-
tunæ attribuunt. Pleriqve verò suæ na-
turæ hoc adscribentes, benefactorem
odio habent, (*i*) & parum abest, ut in-
dignè ferant, si debitores esse puten-
tur. Sed & pleriqve artis ignorantiam
in seipsis habentes, & imperiti existen-
tes, id qvod melius est, purgant. (*l*) In-
ter stupidos enim fiunt suffragia, & ne-
qve ægroti attestari volunt, neqve e-
jusdem artis artifices testimonium præ-
bere. Invidia enim obstat. Non autem
inexpertus es tu talium nugarum, imò
probè scio, ob hæc te sæpe in memo-
rabilibus afflictionibus accersitum fuisse,
& ne-

g) Ab empiricis aut aliis medicis. Nam uti figulus figulum, ita & medicus medicum.

h) Ab ægrotis, qvos sanasti.

i) Hoc est, qvod dicitur, medicum habere faciem Diaboli.

l) Καθαίρουσι τὸ κρέοσον. Convenientius Fœsius; *qvod melius est, damnant.* In omnibus scientiis & facultatibus Sophistæ & ignoran-
tes

& neqve cauſam aut invidiam libenter deriſiſſe. (m) Veritatis enim neqve cognitio ulla eſt (n) neqve ullum teſtimonium. Hæc autem cùm diceret, ſubridebat, & mihi, ô Damagete, divina ſpecie apparebat, & velut qvi priorem ſuam formam exuiſſet. Et ego: O magnifice Democrite, inqvam, magna xenia & hoſpitalitatis tuæ munera in Co mecum auferam. Multa enim me ſapientiæ admiratione impleviſti. Diſcedo enim veritatis tuæ præco, qvi humanam natu-

---

tes damnant veros ſapientes. Ita & in Medicina accidere qvotidiè videmus.

(m) Locus ſuſpectus videtur Fœſio. Καὶ ὐδὲ αἰτίην ἢ βασκανίην φιλοτωθάσοντα. Mallem reddere; *Neqve criminationem* (ægrotorum) *neqve invidiam* (pſeudomedicorum) *facilè evitare potuiſſe*: Fœſius: *Neqve tu hujusmodi contumelias non expertus es, cum probè ſciam, hæc, qvæ in memorabilius affectionibus fiunt, te per cauſam aut invidiam nunqvam lubenter convitiis inſectatum.*

n) Non qvod Scepticus ſit Democritus, ſed qvod repetat ea, qvæ dixit: Veritatem non agnoſci ab hominibus præjudiciis deceptis.

o) Sum-

naturam (*o*) inveſtigaſti, ac conſideraſti. Cùm autem mentis meæ medelam (*p*) à te acceperim, abeo nunc, tempore hoc expetente, itemqve corporis curatione. Cras verò & deinceps, hoc loco rurſus conveniemus. Atqve hæc locutus, ſurrexi. Et ille paratus erat me ſeqvi. Cùm verò qvidam accederet, haud ſcio unde, tradebat ipſi libros. Et ego concitatius feſtinavi, & ad Abderitas in ſpecula me expetantes: Viri, inqvam, pro legatione veſtra ad me, magna ſit vobis gratia. Vidi enim Democritum virum ſapientiſſimum, qvi ſolus potentiſſimus eſt homines prudentes facere. (*q*) Hæc habui Damagete, qvæ

o) Summa hæc doctrina, ſine qva reliqvæ nihil ſunt, etiam Phyſica, etiam Matheſis.

p) Nam ab errore Hippocratem purgaverat, putantem bona & mala eſſe, qvæ nihil minus ſunt. Notavimus jam ſuprà.

q) Et hodie hoc fatum ſapientis. Qvi prudentes poteſt facere reliqvos, is pro ſtulto habetur à ſtultis, & ſtulti eum volunt reddere

qvæ de Democrito valde magna animi lætitia tibi recenſere volui. Vale.

EPISTOLA XIIX.

Democritus Hippocrati felicitatem.

Modeſtè eum reprehendit, qvod ad ipsũ tanqvam inſanum acceſſerit.

ACceſſiſti ad nos velut inſanos, ô Hippocrates, helleborum nobis daturus, perſvaſus à viris ſtolidis, apud qvos labor virtutis inſania judicatur. Tunc autem de mundi diſpoſitione, & de polis ac aſtris cœleſtibus (*r*) ſcribebamus. Cùm verò horum naturam cognoviſſes, qvod omnia (*s*) valde commoda eſſent creata, & qvod procul ab inſania ac deſipientia abeſſent; meam qvidem naturam laudaſti; deſipien-

---

dere ſapientem. Etiam in rebus ſupernaturalibus hæc obſervatio uſum habet.

r) Aut Democritus oblitus eſt, qvid ſcripſerit, cum Hippocrates ad eum accederet, aut Hippocrates in Epiſtola præcedente hanc circumſtantiam non rectè narravit.

s) Mallem *hæc omnia* intelligere non de creaturis, qvarum naturam deſcripſerat Demo-

pientes autem & crudeles ac furioſos illos judicaſti. Nam qvæ ſimulachris per aërem vagantia nos decipiunt, qvæ ſanè mundus eſſe comprehenduntur, & viciſſitudinem habentia creata ſunt: ea mens mea, naturam perſcrutata, verè in lucem produxit. Cujus rei teſtes ſunt libri à me conſcripti. Oportebit igitur te, ô Hippocrates, cum viris ejusmodi moribus præditis minimè congredi ac converſari, qvorum mens ſuperficiaria & inconſtans eſt. Si enim ab illis perſvaſus, mihi velut inſano, helleborum bibendum dediſſes, prudentia inſania facta fuiſſet: & artem tuam reprehendiſſent, velut qvæ inſaniæ fuiſſet cauſa. Helleborus enim ſanis datus, menti tenebras offundit. Inſanis autem valde prodeſſe conſvevit. Arbitror eqvidem, ſi non deprehendiſſes me ſcribentem, verùm recumbentem, aut fortè deambulantem, & mecum colloqventem, & nunc qvidem indi-

mocritus, ſed de ipſa ſcriptione, & *qvod hæc omnia valde commodè eſſent elaborata.*

t) Ea-

dignantem, nunc verò ridentem, ob ea, qvæ mente revolvam, & familiaribus me alloqventibus non attendentem, sed cogitationi instantem, & mirum in modum speculantem: putasses sanè Democritum, juxta oculorum judicium, ex his, qvæ vidisses, insaniæ imaginem præ se ferre. Oportet igitur Medicum non solùm risu affectiones judicare, sed etiam re ipsa: & rythmos & consonantias ut plurimum indagare: & utrum incipiat morbus, aut medium teneat, aut desinat, perscrutari; & differentia, ac anni tempore & ætate observata, affectionem curare: itemqve totius corporis naturam considerare. Ex his enim omnibus facilè morbum invenies. Porrò remisi ad te de insania tractationem à te conscriptam. Vale.

EPISTOLA XIX.

Hippocrates Democritio felicitatem.

Repetit qvædam eorum, qvæ cum ipso collocutus erat Democritus de ineptis judiciis de arte Medica. Et ipsius alias literas expetit.

Artis

ARtis medicæ rectè facta, ô Democrite, pleriqve è vulgo hominum non omninò laudant, verùm Diis sæpè attribuunt. (*t*) Si verò natura reluctata perdiderit eum, qvi curatur: medicos reprehendunt, numen prætereuntes. Et ego sanè mihi videor, majorem reprehensionem qvàm honorem artis me assecutum esse. Ego enim ad finem medicinæ non perveni, etiamsi jam senex sim. Neqve enim ipsius inventor Æsculapius, sed & in multis à se ipso dissensit, qvemadmodum nobis scriptorum libri tradiderunt. Proinde Epistola à te ad nos missa, helleborum medicinam reprehendebat. (*u*) Inductus eqvidem sum, ô Democrite, velut insanienti helleborum daturus, nõ perscrutatus, qvalis qvis tandem esses. Ubi verò tecum congressus, cognovi non per Jovem desipientiæ opus, sed fer-

t) Eadem dixerat Democritus in Epistola 17. propè circa finem.

u) Non medicinam, sed incautam medicinæ applicationem.

x) Volue-

ferme omni laude ac commendatione dignum, valdè laudavi naturam tuam, optimumqve naturæ ac mundi interpretem te judicavi. Eos verò, qvi me induxerunt ad te, velut insanientes reprehendi. Nam ipsi medicamento opus habebant. Qvandoqvidem igitur casus nos in idem conjunxit, rectè feceris, si ad nos freqventius literas dederis, & libros à te conscriptos impertiveris. Misi autem etiam ipse tibi de Hellebori usu libellum. Vale.

EPISTOLA XX.

Hippocrates ad Thessalum filium.

Hortatur ad studium Arithmeticæ & Geometriæ, earumqve usum in Medicina commendat.

AD cognoscendam Geometriam, & Numerorum scientiam, mî fili, multum studii adhibeto. (*x*) Non enim

x) Voluerunt & majores nostri disciplinas has utilissimas doceri in scholis. Sed negligitur communiter vitio magis docentium

enim ſolùm vitam tuam illuſtrem, & ad multa commodam (*y*) in humanarum rerum ſtatu efficient; ſed etiam animam acutiorem & clariorem reddent, ad omnium, qvorum uſus in medicina (*z*) expetitur, utilitatem conſeqvendam. Etenim Geometriæ cognitio, qvæ multiformis ac varia eſt, & omnia cum demonſtratione tranſigit, utilis erit & ad oſſium ſitus, & ad exarticulationes, & re-


tium qvàm diſcentium, ne videlicet diſcentes tàm facilè abjiciant præjudicium autoritatis. Nam in arithmèticis & Geometria nihil valent tituli, Plurimum Reverendorum, Illuſtriſſimorum, Excellentiſſimorum, Experientiſſimorum &c. Valent tamen multum in diſciplinis reliqvis.

y) Arithmeticus & Geometra etiam à Turcis captus multas commoditates beneficio harum diſciplinarum ſibi parare poteſt. Sed an ipſi proderit ſimiliter, ſi Metaphyſicam, Logicam, Phyſicam, Ethicam (vulgares) aut etiam Jurisprudentiam & Theologiam Polemicam noverit?

z) Vera qvidem propoſitio, qvam ſuſtinet Hippocrates, neſcio tamen, an hanc veritatem pro dignitate demonſtraverit per exar-

& reliqvum membrorum ordinem. Nam ad multiplicem horum affectionem & articulorum luxatorum repositione, & ossium contritorum resectione, & perforatione, & compositione, & exemptione, ac reliqva curatione, majore industria utetur, qvisqvis noverit, qvalis est locus, & qvale est os, qvod ex eo eluxatum est. At verò numerorum ratio, & ad circuitus, & ad transmutationes febrium præter rationem sitientes, & ad judicia ægrotantium, ac securitatis in morbis, sufficiens erit. Præclara enim res est, tale ministerium in Medicina habere, qvod tibi partes intensionis ac remissionis, cùm ex parte inæqvales fuerint, facilè cognoscibiles exhibet, citra errorem. Qvapropter ad hujusmodi experientiæ facultatem pervenire sedulò stude. Vale.

exarticulationem ossium aut transmutationem febrium. Fundamentum Medicinæ Physica est. At qvid Physicus absqve Mathesi?



JUNIUS.

Notata qvædam G.G.L. circa vitam & doctrinam Cartesii.



CArtesius diu Flexiæ in collegio Jesuitarum studiis operam dedit, juvenisqve emendandæ philosophiæ consilium cepit post somnia qvædam & illud Ausonii diu expensum: *qvod vitæ sectabor iter?* ita loqvuntur ipsius schedæ manuscriptæ.

Anno 1620. die 11. Novembr. notavit in schedis suis, ea die se cœpisse intelligere fundamentum inventi mirabilis, qvid illud sit, videor mihi conjicere; ipse in scriptis suis non exposuit, qvemadmodum nec publicavit methodum suam, sed tantum de ea scribere ejusqve specimina dare voluit, ut ipse observat. Itaqve valdè falluntur, qvi his, qvæ edidit, nimis contenti sunt, methodumqve ejus se habere arbitrantur.

Lipstorpius narrat, Cartesium in Germania cum Faulhabero insigni Mathematico & in-

inprimis in numerorum doctrina versato contulisse & hunc admiratione juvenis fuisse captum.

Qvando Cartesius in Sueciam venerat, regina magis antiqvitatis & historiæ qvàm philosophiæ studio capiebatur: ita Cartesius ad horas antelucanas remissus, ex insueto officio in morbum incidit. Audivi ex V. Cl. J.H. Bœclero, qvi eodem tempore in Suecia fuit, pleuriticum interiisse, qvod ipse suas qvasdam rationes secutus sangvinis missionem sprevisset aut distulisset.

Fuit in Cartesio major librorum usus qvàm ipse videri volebat: hoc stylus & res ipsæ docent. Præclarè in rem suam vertit aliorum cogitata, qvod vellem non dissimulasset, eaqve res ipsi in Svecia cum eruditis concertationes peperit.

Dogmata ejus metaphysica, velut circa ideas à sensibus remotas, & animæ distinctionem à corpore, & fluxam per se rerum materialium fidem, prorsus platonica sunt. Argumentum pro existentia Dei, ex eo, qvod ens perfectissimum, vel qvo majus intelligi non potest, existentiam includit, fuit Anselmi & in libro contra insipientem inscripto inter ejus extat opera, passimqve à Scholasticis examinatur. In doctrina de continuo, pleno & loco Aristotelem noster secutus est,

Stoi-

Stoicosque in re morali penitus expressit, floriferis ut apes in saltibus omnia libans. In explicatione rerum physicarum mechanica Leucippum & Democritum præeuntes habuit, qvi & vortices ipsos jam docuerant. Jordanus Brunus easdem ferè de magnitudine universi ideas habuisse dicitur, qvemadmodum & notavit V. Cl. Stephanus Spleissius, ut de Gilberto nihil dicam, cujus magneticæ considerationes tum per se tum ad systema universi applicatæ, Cartesio plurimum profuere.

Explicationem gravitatis per materiæ solidioris rejectionem in tangente, (qvod in Physica Cart. prope pulcherrimum est,) didicit ex Keplero, qvi similitudine palearum motu aqvæ in vase gyrantis ad centrum contrusarum rem explicuit primus. Actionem lucis in distans similitudine baculi pressi jam veteres adumbravere. Circa Iridem à M. Antonio de Dominis non parum lucis accepit.

Keplerum fuisse primum suum in dioptricis magistrum, & in eo argumento omnes ante se mortales longo intervallo antegressum, fatetur Cartesius in Epistolis familiaribus; nam in scriptis, qvæ ipse edidit, longe abest à tali confessione aut laude, tametsi illa ratio, qva radiorum directionem expli-

cat ex compoſitione nimirum duplicis conatus perpendicularis ad ſuperficiem & ad eandem paralleli, diſertè apud Keplerum extet, qvi eodem ut Carteſius modo æqvalitatem angulorum incidentiæ & reflexionis hinc deducit. Idqve gratam mentionem ideò merebatur, qvod omnis prope Carteſii ratiocinatio huic innititur principio. Legem refractionis primum inveniſſe Willebrordum Snellium, Iſaacus Voſſius patefecit, qvanqvam non ideò negare auſim, Carteſium in eadem incidere potuiſſe de ſuo.

Negavit in epiſtolis, Vietam ſibi lectum, ſed Thomæ Harrioti Angli libros analyticos poſthumos Anno 1631. editos vidiſſe, multi vix dubitant; usqve adeò magnus eſt eorum conſenſus cum calculo Geometriæ Carteſianæ. Sanè Harriotus æqvationem jam nihilo æqvalem poſuit, & hinc derivavit, qvomodo oriatur æqvatio ex multiplicatione radicum in ſe invicem, & qvomodo radiorum auctione, diminutione, multiplicatione aut diviſione variari æqvatio poſſit, & qvomodo proinde natura & conſtitutio æqvationum & radicum cognoſci poſſit ex terminorum habitudine. Itaqve narrat celeberrimus Walliſius, Robervallium, qvi miratus erat, unde Carteſio in mentem veniſſet, palmarium illud, æqvationem ponere æqvalem nihilo ad

instar

instar unius qvantitatis, ostenso sibi à Domino de Cavendisch libro Harrioti exclamasse: il l'a veu, il l'a veu, vidit, vidit. Reductionem qvadrato-qvadraticæ æqvationis ad cubicam superiore jam seculo invenit Ludovicus Ferrarius, cujus vitam reliqvit Cardanus ejus familiaris.

Deniqve fuit Cartesius, ut à viris doctis dudum notatum est, & ex epistolis nimium apparet, immodicus contemtor aliorum & famæ cupiditate ab artificiis non abstinens, qvæ parum generosa videri possunt.

Atqve hæc profectò non dico animo obtrectandi viro, qvem mirificè æstimo, sed eo consilio, ut suum cuiqve tribuatur, nec unus omnium laudes absorbeat; justissimum enim est, ut inventoribus suus honos constet, nec sublatis virtutum præmiis præclara faciendi studium refrigescat. Et vellem ego propositionum aut dogmatum, qvæ majoris momenti sunt, autores semper memorari exemplo Mathematicorum, qvi Pythagoræ, Platonis, & Archimedis, & Euclidis, & Apollonii, & Nicomedis, & Dinostrati, & tot aliorum merita singulatim perpetua mentione recognoscunt.

Optarim etiam, viros insignes spem inanem arripiendæ tyrannidis in imperio philosophico deponere, & sectæ condendæ ambitio-

bitionem exuere; unde inepta partium ſtudia & bella literaria vaniſſima naſci ſolent magno ſcientiæ & pretioſi temporis detrimento. Non diſtingvuntur apud Geometras Euclidei, Archimedei aut Apolliniani. Omnium eadem ſecta eſt, ſeqvi aperientem ſe undecunqve veritatem. Neqve unqvam qvisqvam orietur, qvi totum ſibi vindicabit patrimonium eruditionis, aut qvi genus humanum ingenio ſuperabit, & omnes præſtingvet ſtellas exortus ut ætherius ſol. Legamus Carteſium, laudemus etiam, imò admiremur; ſed non ideo reliqvos negligamus, apud qvos multa & magna extant, qvæ Carteſius non animadvertit.

Nihil magis profectui ſcientiarum obſtat, qvam nimium & ſervile in philoſophia ſtudium τῶν παραφραζόντων, neqve aliam magis ob cauſam fieri arbitror, qvod raro aliqvid egregium & novum à meris Carteſianis profertur, non magis qvàm à meris Ariſtoteleis, non ingenii ſane defectu, ſed vitio ſectæ. Qvemadmodum enim imaginatio una melodia nimis occupata ægre ad aliam canendam convertitur, & qvi tritam alteri viam inſiſtit, raro in nova incidit: ita qvi uni autori inſvevere, mancipia ſunt doctoris ſui qvaſi uſu capta, ægreqve animum ad aliqvid novi & diverſi attollunt, cum

tamen

tamen constet, non aliâ re magis incrementum accepisse scientias, qvam varietate itinerum, qvæ in veritate investiganda diversi iniere.

Subjiciam nonnulla, qvæ mihi inter cogitata Cartesio ipsi debita inprimis laudanda videntur. In Geometricis ut hinc ordiar, rectè docuit (post Soverum tamen Germanum obiter hoc perstringentem) aliam longè esse conchoëidis & similium æqvatione explicabilium qvam spiralis naturam, & malè à veteribus lineas altiorum æqvationum excludi. Primus etiam animadvertit negativas radices non modò, sed & imaginarias seu impossibiles utiliter considerari & æqvationes solvere; adeoqve in universum tot esse radices, qvot dimensiones æqvationis. Comparatio æqvationum licet ab aliis non nihil usurpata, ab ipso tamen promota est egregiè. Pulchrè qvoqve notavit in tangentium problematibus & similibus duas esse radices æqvales. Proprietates, qvas invenit Hyperboles, Ellipseos & ovalium altiorum ad usum catoptricum & dioptricum, theoriæ gratia egregiæ sunt. In Metâphysicis argumenta Scepticorum ad bonum usum præclarè traduxit. In Physicis agnovit materiæ partes aliqvas actu subdividi sine fine, item motum

ſeu loci mutationem eſſe aliqvid in ſe relativum. Debetur ipſi vorticum à veteribus cœptorum diſtinctior explicatio, & ad Philoſophiam Gilberti magneticam applicatio; Tentamentum præclarum circa æſtum maris; Explicatio iridis aliorumqve Emphaticorum, & ſpecimen elegans ratiocinandi circa geneſin ſalis. Et in multis aliis etiam ubi non aſſentior, ipſum philoſophandi filum mirificè placet: & ſanè vix pagina apud ipſum occurrit, unde non utile aliqvid & novum diſci poſſit, itaqve in his referendis ſum parcior.

Deniqve addam aliqva, qvæ non nihil offendunt. Jactavit ſub initium Geometriæ ſuæ, univerſa problemata ad radices æqvationum certi cujusdam gradus à ſe reducta eſſe, adeoqve in poteſtate haberi. Negavit poſſibilitatem dimenſionis curvarum, qvæ tamen poſtea deprehenſa. Lineas tranſcendentes (ut voco) excluſit à Geometria. Linearum problematibus ſolvendis idonearum gradus malè conſtituit notante Fermatio. Refractionum naturam perverse explicuit ſimilitudine globuli in tapete vim perdentis, ut defenderet plus aerem reſiſtere qvam aqvam. Qvantitatem motus malè pro qvantitate potentiæ motricis

cit accepit & ideò servandam putavit. Materiam cum extensione confudit; Unionem seu firmitatem à qviete derivavit, qvæ à motu est; elementa sua, globulos inprimis, qvos vocant, secundi elementi & particulas striatas aliaqve similia gratis & frustra confinxit. Vortices cievit immensa celeritate distantiis proportionali. Porro brutis sensum negat; fictorum potius qvàm verorum animalium genesin explicat. Et ut ad graviora veniam, rejecit argumentum divinitatis à providentia & dignis sapiente finibus rerum, & pro rationibus captu facilioribus metaphysica sola substituit. Dubitationem ad ipsas primas assertiones maximè manifestas, nescio qvo consilio produxit, qvasi nihil certo sciri possit, nisi supposita Dei existentia, qvod ipsum credidisse nemo credet; aut qvasi veritas ipsa pendeat ab arbitrio DEI, ita ut voluntate ejus constitutum sit, trianguli tres angulos esse duobus rectis æqvales. Insinuasse videtur, unum in rebus actorem esse DEUM, qvo abusus Spinosa, unam tantum substantiam in rebus esse voluit, ipsum scilicet Deum hoc est (ipsi) naturam universi, cujus cæteræ res sint modi materiæ. Statuit etiam Cartesius, materiam omnes successivè formas accipere; ita ut nihil tam absonum fin-

gi poſſit, qvin tandem aliqvando aut alicubi in univerſo contingat, qvod eſt haud dubiè per conſeqventiam omnem ſapientiæ & pulchritudinis rationem (ne dicam providentiam) tollere; qvanqvam ipſi hanc conſeqventiam non imputem, nec ab ipſo animadverſam ſperem. Aliaq; hujusmodi, qvæ puto, defendi non poſſe, & nonnihil Spinoſæ præluſiſſe.

Sed iſta tamen omnia minimè impediunt, qvin Carteſium inter maximos viros cenſeamus, qvi generis humani opes auxere atqve etiam inter errandum profunt. Itaqve Pythagoram, Democritum, Platonem, Ariſtotelem, Copernicum, Galilæum, Baconum & Carteſium (qvibus Joachimum Jungium adderem, ſi ſcripta ejus extarent,) aliosqve, qvi ſibi homines immortalibus meritis obſtrinxere, tamdiu colet poſteritas, qvamdiu memoria hiſtoriis, & virtuti veneratio erit.

* Conſentio Celeberrimo Autori notarum harum. Et nimis indignè memoriam Carteſii tractat autor, qvisqvis eſt, ſimilium notarum ad vitam Carteſii aut potius ad mortem ejus pertinentium, qvas nundinæ æſtivæ attulerunt,

lerunt, ubi fingit, simulatam fuisse mortem Cartesii, eumqve, ni fallor, in Lapponiâ adhuc Philosophiam docecere. Qvi qvidem autor, etsi fabulam narrare videatur, eò fortius pungit, qvo plura ex Scriptore Vitæ Cartesii excerpsit, fabulam istam ornantia. Magis jucundè, & magis acutè Philosophiam Cartesianam aggressus est autor, qvi Itinerarium in Mundum Cartesii Gallico idiomate conscripsit, ubi fingit, qvod anima Cartesii in spatio qvodam cœlesti degat, & sub hac fictione, dum simulat, ac si Cartesianus factus fuerit, dubia saltem proponendo fortissimis omnium objectiones adversus Philosophiam Cartesii & Physicam maximè, ac, ni fallor, etiam Diptricen, publicavit. Aliqvot jam Cartesianos novi, qvibus adversus istum aqva hæsit, qviqve ad principium primum Cartesii recurrendo, de Philosophiâ Cartesianâ seriò dubitare inceperunt.

Sceptis

Scepticiſmus Juridicus Witte-bergenſis.

*STultiſſimos omnium habuimus Pyrrhonios hucusq;,ita videlicet à Magiſtris edocti,donec & hæc ſecta in erudituſſimo Gallo Mothæo Vayerio defenſorem invenerit,ac ille oſtenderit, ſectam hanc, uti reliqvas Gentilis Philoſophiæ ſua incommoda habuiſſe,ſed & ſua commoda , & acutiſſimos fuiſſe Pyrrhonios , utpote qvi ſuam ſectam contrà reliqvas omnes non ſine ſucceſſu defenderint ; & prudentiſſimos, cum ejus Sectatores cum laude ſæpius Gubernaculis Reipublicæ præfuerint. Et fateor, commune Sophiſma , ut inhumanum valde,ita & non magni momenti eſſe , qvo verberibus adverſus Scepticos diſputari debere aſſeritur,ut Scepticus injuriam vindicando,aut neceſſe habeat fateri, ſe vapulaſſe,adeoqve aliqvid verum eſſe, aut communi omnium riſui ſe proſtituat, ſi velit alterum certò puniri, eò qvod ipſi ſaltem videatur,qvod à reo vapulaverit. Nam qvid-

qvidsi Scepticus hypothesi inserviat suæ, & libellum sic formet: Videri sibi, qvod Titius ipsum verberaverit, aliisqve testibus idem videri, petereqve adeò, ut Judex velit id efficere, ut sibi etiam videatur, reum, v.g. fustigari? Sed uti Scepticismi partes nec hic nec unqvam sustinebo, ita sunt tamen qvædam disciplinæ, in qvibus ultrà verosimilia, certi qvid sperare non liceat, & in qvibus sæpè cogimur fateri: non liqvere, qvod qværimus. Qvas inter, meo qvidem judicio, eminet Jurisprudentia & Romana & Nostra. Causas abunde attuli in nævis Jurisprudentiæ, qvæ proximis nundinis, Deo dante, publici juris fient. Cum tamen hæc opinio mea non videatur esse ad gustum seculi, temperare mihi non potui, qvin Fautoris & Amici Wittebergensis, ad eandem Hæresin inclinantis, Programma non ita pridem publicatum, hîc loci insererem, & benè me de incluta Universitate Wittebergensi jam sperare publicè tester, qvod & ibi incipiat libertas recedendi à traditis Præceptorum,

at-

atqve adeò & ipſa incipiat jugum ſervitutis plusqvam tyrannicæ, ſub qvo hactenus cum aliis Germaniæ Academiis ſuſpiria multa traxit, abjicere. Faxit Deus, ut Conſultiſſimo Autori propoſitum benè cedat, utqve Catalogo Hæreticorum, qvos Witeberga hactenus multos effinxit, ab aliis, ſub intempeſtivo Zelo impotentiſſimos affectus tegentibus, non inſeratur!

G. MICHAEL HEBER, D. & Prof. Publ.

His, qvi amant bonam mentem

S. P. D.

SIcut à prima usqve adoleſcentiâ, naturæ qvôdam meæ neſcio qvô ductu à credulitatis vitio longiſſimè abſui, nec, ut aliis videndi intelligendiqve gloriam ſolis relinqverem, mihi oculos mentis excludi paſſus ſum, ita poſtqvam uſus qvidam & confirmatio nonnulla doctrinæ, procedentibus annis, accesſit, nervos atqve artûs ſapientiæ eſſe, *nil temere credere* penitus intellexi. Hâc re adeò factum eſt, ut in rebus, inprimis iis, qvæ remotæ à ſenſu, ingenio & judicio conſtituuntur, nullius apud

me

me hominis auctoritas, nî idem mea mihi Ratio, qvam me qvoqve sentio intus habere, persvasisset, qvicqvam valeret, nec ullum animo meo sacrum horrorē injicerent, qveîs hodiè ineptarum persæpè Chartarum Auctores mactantur, *Illustris & Illustrissimi* Elogia; qvippe qvibus tam æqvô animo careo, qvàm illa mihi abs hominibus rerum imperitis & ad servitutem natis tribui ægrè ferrem. Ac cum pleraqve latere homines crassis ocultata & circum fusa tenebris animadverterem, ut nec illa pervideri ullo adjumento qveant, nec hi perspicere qvicqvam ex iis, quæ rerum natura penitus quoad causas interiores abstrusit, valeant, optimam philosophandi rationem Academicos ac potissimum Pyrrhonios tenuisse existimavi, qvi *Omni orationi orationem æqvalis ponderis adversari*, sive, *in eadem re paria contrariis in partibus rationum momenta inveniri* censuere. Nec aliam ob causam plerosqve tam male odisse Cartesium, qvi istam hoc seculo sectam renovasse visus est, credidi, qvam qvod multos ea dediscere puderet, qvæ in juventute perperam didicerunt. Ut non recedam ab instituto vitæ, cui me sive Ratio seu Fatum addixit; (sæpenumero enim me

vanæ sterilisq́; Cathedra

pœ-

pœnituit :) in juſtis rebus & injuſtis, ſi ab auctoritate & voluntate Legislatoris diſcedamus, qvid habemus percepti, cui tutò inſiſtere liceat & inniti? Diſcedendum autem in qvamplurimis & propemodum infinitis eſt, qvandoqvidem longe pauciſſimos caſus à LLatore clarè, ita ut nec de verbis nec de ſententia ambigendum ſit, deciſos eſſe, Experientia, ſtultorum etiam Magiſtra, teſtatur. De his autem, qvæ ita comparata ſunt, ut nec verbis claris atq; perſpicuis à Legislatore definita extent, nec juſta conſecutionis lege inde confici poſſint, plane ita ſentio, nullam, non dico certitudinem, unde enim ea hauriretur? ſed ne opinionem qvidem, qvarum altera magis probabilis qvàm altera ſit, haberi poſſe. Qvod idcirco fieri exiſtimo, non qvod Rationem fallacem hominum Magiſtram putem, aut qvia interdum peccat, eò ſemper peccare cum Pyrrhoniis, à qvibus hic ſeorſim ſentio, exiſtimem, ſed qvod Principia, qvæ à ſola ratione exſtruuntur, nunqvam tam indubitata, comprehenſa evidentiaqve ac clare diſtinctèq; percepta eſſe intelligam, ut non formidinē oppoſiti perpetuum comitem habeant. Cum enim juſta & injuſta mente excipiantur, mente expendantur & dijudicentur, facile accidere poteſt, ut, qvando qvid

vel

vel ut verum aſſumitur,qvod verum non eſt, vel ut liqvidum & clarum,qvod obſcurum ac dubium erat, qvod inde concluditur, verè qvidem concludatur, & ſic Ratio non peccet in argumentando,peccet tamen in ponendo principio & fundamento, unde ratiocinationes fluunt, ſicut in Sacræ doctrinæ genere *Dallæus* acuratiſſimè obſervavit. Non ſum neſcius, probabiliorem opinionẽ eam dici,qvæ majoris ponderis rationibus ſuſtentatur, cum probabilis rationibus qvidem & ipſa fulta ſit, ſed levioribus,& qvæ minus altè in animo inſideant. Verùm cum mille hominum ingeniorumqve formæ ſint,& agitationes mentis temperamentum corporis ſeqvantur; qvæ apud unum nullius ponderis videri poterat ratio, alteri apta nata eſt ſub magna ſpecie veritatis illudere; & viciſſim, qvæ uni maximi momenti eſſe videtur,apud alium leviſſimo animum impulſu ſubire poteſt. Adeo nempe pugnantes res probantur hominibus & placent,adeo pro varietate ingeniorum formæ rerum diverſimodè capiuntur, ipſaqve fundamenta & principia,qvibus cetera tanqvam fulcris, utut putribus atqve ruinoſis, incumbunt, aliter atqve aliter pro animorum habitu ponuntur,ut ad ſummum dici poſſit, qvid cuiqvam bonum aut juſtum appareat,non verò qvid ſecundum ſe & ſua-

pte natura ita ſe habeat, ut veriſſimè *P. Gaſſendus* tradidit. Qvod ſi dicas, in iſta tamen ſententiarum contentione illam probabiliorem fore, qvam plures ingenio & judicio valentes, perpenſis ritè omnibus ac rigidè examinatis ampleɛtuntur; tum verò recurret ſemper illa Qvæſtio: Unde ſcis, qvod illi plus ingenio & judicio valeant, qvàm alii, qvibus iſta opinio ſe non probat, niſi qvod tu, pro præjudicatâ tuâ opinione, auctoritate fortaſſis, aut oratione eorum, aut ſpecie inanium captus, eos plus ſapere opinaris? Qvod tamen non admitto abs te diſſentiens, non diſſenſurus, ſi admitterem. Qvem igitur inter nos Arbitrum dabis, Te potius, qvàm me, punctum, qvod værebatur, tuliſſe? Te ipſum, inqvis. At in propriâ cauſâ neminem rectè judicis partibus fungi, tralatitium eſt. Eſt autem propria cauſa, amor propriarum Ingenii productionum, qvas aut ipſe fabricatus es, aut ab aliis acceptas, ac ſi ex Te natæ eſſent, foves, & ut Matres ſolent, fœtum tuum, utut deformem, lambis. Aſt habes & alios innumeros, qvi tecum idem ſentiant! Vides auctoritatibus Te vincere velle, at ego ſuperari ratione volo; qvas cum ceteri Tui aſſeclæ easdem afferant, cum Tuis non cedam, nec his me cedere conſentaneum eſt. Poſtremò etſi exqviſitis rationibus, qvare ita potius

qvàm

qvàm aliter sentias, demonstrare neqveas, te tamen, ais, in illam partem magis, qvàm in hanc inclinari. Hic velim consideres; qvam rem constituas Arbitrum Evidentiæ majoris, *Motum Tuum, inclinationem, propensionem Animi Tui*, uno verbo, Ἐνθουσιασμὸν, hoc est, rem brutam, cujus rationem reddere nullam potes. Κριτήριον profectò valdè lubricum & ab alio, qvi simili Enthusiasmo non incitatur, illicò eâdem facilitate evertendum, qvâ abs Te admissum est. Qvod si porrò obsistas, te tamen, qvicqvid moliaris, non posse non huic magis qvàm alteri parti assentiri; ignaviam tuam accusa & pravam consvetudinem, in qvam te tua culpa intuisti. Qvod si consvefaceres intellectum tuum ad assensum à rebus incognitis, qvarum ea non est perspicuitas, ut cuiqvam assentiendi securitatem præstent, sustinendum, eôdem modô Judicium tuum in rebus non exploratis suspenderes, qvô nunc statim, atqve aliqvid occurrit, qvod animum qvâdam specie veritatis moveat, in illam sententiam non ratione, sed cœco impetu ruis. Sed tempus est, qvorsum pertineat instituta scriptio, paucis exponere. Exemplis enim, qvod sentio, declarare, alio tempore magis opportunum erit. Nempe constitui Exercitationibus publicis ex *incerto Jure Themata Selectiora cùm Theoretica,*

tùm Practica, ut vocantur, proponere, eaqve rationum momentis in utramqve partem inftruere, ut, cum pleraqve erunt dicta, qvæ utrinqve afferri poffunt, Judicium fufpendam & Pyrrhoniorum illud: *non liqvet*; *Subfifto*; *Hæreo*; *Affenfum fuftineo*; ufurpem. Qvod fi qvis calumniari hoc inftitutum voluerit & dictitare, fic incertos reddi adolefcentum animos, & cum aliqvando ad rempublicam in partibus gubernandam erunt admovendi, ignaros dubiosqve fore, utrum in confulendo, refpondendo aut judicando feqvi debeant; eum nolim ignorare, aliud me tenere inftitutum, cùm de veritate alicujus rei disceptatur, aliud, cum aliqvid ad ufum transferendum eft. Illîc omnem affenfionem cohibeo, cum exploratum habeam, in Civilibus nihil pro aliqvâ fententiâ dici poffe, cujus oppofitum non fpeciofis rationibus defendi qveat, cum earum ea indoles fit, ut claram diftinctamqve perceptionem, qvæ uniuscujusqve intellectum conftringat, non admittat. Hîc verò & ipfe perpenfo totius negotii, de qvô judicandum in præfentiâ eft, complexu, omnibusqve, qvæ illud circumftant, qvanta neceffe eft, diligentiâ ac ftudiô confideratis, Motum animi mei Judicem facio; ratus, ut rem acu maximè non tangam, propterea Græciæ falutem in difcrimen haud ven-

venturam. Is igitur in qvam me impulerit partem, eam sine cunctatione seqvor, non ignarus, alioqvin agendi occasiònem præterituram, & si in Vitâ illud: NON LIQVET; usurpare velim, non tantùm me Collegis meis irrisui ac ludibrio fore, sed etiam ictibus ac fustibus, qvod *Leontino Gorgiæ*, ne in vitâ qvidem à Decretis sectæ suæ recedenti, evenisse accepimus, protinus foras ejectum iri. Superest, ut Nobilissimos Dnn. Commilitones rogem, ut, qvibus mecum de rebus justis & injustis, qvæ neqve disertè, à Legislatore decisæ sunt, neqve ex decisis justâ consecutionis lege confici possunt, in utramqve partem disserere, ac Ephecticis, Scepticisqve esse commodum est, propediem nomina apud me sua profiteantur, prodituri mox publicè & declaraturi, ad libertatem se natos esse, nec ulli adhærescere tanqvam Saxo, neqve omnium mortalium suffragiis qvicqvam tribuere, nisi Ratio illud, qvod illi aliis persvasum cupiunt, sua qvoqve sanciverit; sed ab incertis assensum prudenter sustinendo, potestatem judicandi integram tueri. Fiet eâ re, Commilitones Optimi, ut, qvia seculi vitio res eò propemodum rediit, ut, qvi præ cæteris ingenio valent, se eô tunc demum abundare arbitrentur, cum contortis qvibusdam Conclusiunculis, & verborum qvâdam industriâ,

qvibus cauſa infirmior fit, DEUM Deiq; Providentiam è Mundo tollere didicerunt, miſsô factô hôc *Atheiſmo Stultorum*, qvô qvi DEUM negant, Spiritus Sancti Judicio infecti ſunt, ad *Atheiſmum Prudentum* vobis aditus pandatur. Qvem in eô poſitum intelligi par eſt, ne Allium & Cepe, hoc eſt, Doctores veſtros, ſive *Dogmaticos* ſive *Axiomaticos* ſe appellari volunt, pro Diis colatis, eorumqve putida commenta ingenii tanqvam κυρίας δόξας & oracula obſervetis, ſed à non penitus exploratis, de qvibus illud Poetæ veriſſimè dictum legimus:

Incerta hæc ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Qvam ſi des operam, ut cum ratione inſanias;

aſſenſum ſuſtinere asſvefiatis. Certò perſvaſi, non illos Doctores eſſe, qvi Laureâ ornati ſunt, aut pileum geſtant, (Hoc enim inſigne pueri cum Viris, ſtulti cum ſapientibus commune habent;) ſed qvicunqve prudenter cogitare, illâqve facultate, qvam qvisqve ſe posſidere ſibi intimè conſcius eſt, qvæ Ratio vocatur, integrè uti poſſunt, eos demum id nominis mereri. Prid. Id. Maj. M DC XCIII.

SE-

SEVERINI WALTHERI SLÜTERI PROPYLÆUM HISTORIÆ CHRISTIANÆ.

* VIvimus in ſeculo, ubi bibliopolæ nullius momenti ſchedas utplurimum qværunt, & ubi utiliſſimi libri ſæpe qværunt bibliopolam; Exemplum hujus rei præbet Plurimum Reverendi SLÜTERI Propylæum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, de cujus intentione & contentis cum ipſe diſſeruerit Eruditiſſimus AUTOR fuſius in præfatione ad nos cum titulo operis transmiſſa, malumus eam Lectori exhibere, qvam inſufficienter ea de re diſſerere. Speramusqve lectis hisce non defuturos, qvi labori huic multum ad Hiſtoriæ Ecleſiaſticæ ſtudium conducenti, ut publici juris fiat, impenſas offerre, & ita publico commodo inſervire non diutius different.

SEVERINI WALTHERI SLÜTERI,

Ecclesiarum ad Saxoniæ inferioris Ducatum Leoburgicum pertinentium Generalis Superintend.

PROPYLÆUM HISTORIÆ CHRISTIANÆ,

sistens

Enarrationem methodicam, SCRIPTORUM VETERUM atqve RECENTIORUM,

cùm generatim ad Historiam Ecclesiæ Christianæ, tùm speciatim ad Ejusdem Topographiam, Prosopographiam, Pragmatographiam & Polemographiam facientium.

Editio priori, A. Christi cIↄ Iↄc LXXX. Francofurti ad Mœnum impressâ, rectior atqve longè plurimis locis auctior, ut novum ferè scriptum videri qveat.

Subjunguntur:

I. Synopsis Patrum in magna Patrum Bibliotheca, Lugduni in Gallia Anno cIↄ Iↄc LXXVII. edita, comparentium.

II. Chri-

II. *Chriſtophori Sandii*, Ariani, Catalogus Scriptorum Socinianorum &c. ex autographo Sandiano, qvondam ad libri hujus Autorem Amſtelodamo miſsô, publicatus.

III. *Severini Waltheri Slüteri* Oratio de Studii Theologici Difficultate, Anno cIↄ Iↄc LXXIII. in Academia Roſtochienſi ſub Exordium Profeſſionis Theologicæ Ordinariæ dicta.

IV. *Ejusdem* Oratiunculæ: 1) de cauſis Contemtûs Literatorum, A. cIↄ Iↄc XCI. 2) de cauſis exigui in ſolida literatura progreſsûs, A. cIↄ Iↄc XCIII. dictæ in Scholâ Raceburgenſi.

Accedit Index alphabeticus: I. Rerum, II. Autorum, nongentorum circiter.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

ACtum agere pleroſqve eorum, qvi libros hodie parturiunt, nemini, præterqvam in re literaria hoſpiti omnino, incognitum eſt. Nudi haut dubiè multi Scriptores comparituri eſſent, ut ut magnum non raró nomen adepti, ſi ve-

stes aliis per ingeniosa furta detractas suis restituere Dominis juberentur. Exempla ubiqve in promtu sunt, haut exiguam accessionem celeberrimi *Jacobi Thomasii* novissimo de hoc argumento Tractatui præbitura. Enimvero aut fallor vehementer, aut actum eos agere negandum est, (qvicqvid sit de alius generis voluminibus) qvi *unversalem Ecclesiæ Christianæ Historiam* publicæ luci exponere allaborant. Prodiere qvidem hactenus & grandioris & minutioris formæ monumenta non pauca hanc talem sistentia, sed de plena tamen ejusdem tractatione est qvod non immeritò adhuc conqveramur. Ubinam qvæso, qvi omnia, qvæ partim ad *Topographiam*, partim ad *Prosopographiam*, partim ad *Pragmatographiam*, partim ad *Polemographiam* Ecclesiæ Christianæ pertinent, in hoc usqve tempus uno scriptô commemoret? Justam ita interrogandi caussam esse liqvidum erit, si qvæ prostant scripta perlustrare haut piguerit. Multa fortassis eorum, qvæ hîc nosse interest, in nonnullis deprehendas; sed & hæc ipsa ordinis sæpe idonei atqve curationis haut parvæ indiga sunt. Scilicet aut paratûs librarii, aut otii, aut ingenii, aut judicii, aut eloqvii, aut cum rerum scitu dignarum gnaris commercii adminiculis destituuntur nonnunqvam, qvi libros cudunt. Horum autem

si

ſi vel unum deſit, cave exqviſiti qvicqvam ſive in aliis multis, ſive in hiſtoricis promi poſſe exiſtumes. Noſtrô ævô præ aliis haut infeliciter hoc ſaxum volvit Vir πολυμαθέςατος, *Fridericus Spanhemius*, Profeſſor nunc Lugdunenſis apud Batavos, qvem ob accuratam eruditionem annis abhinc viginti tribus præſens qvondam Heidelbergæ, ubi tum docebat, veneratus ſum. At ei per alia, qvibus invigilat, hactenus non niſi (qvantum ſcio) ad tempora Reformationis â Luthero inſtitutæ pervenire, & multa inſuper ſummatim tantùm attingere licuit. Speramus interea hunc ipſum Virum, modò Deus vitam ei produxerit, qvod belliſſimè hactenus fecit, porrò facturum eſſe. Mihi ſanè, jam inde â multis annis ad operam hujusmodi alioqvi prono, ſpes de hoc Viro concepta poſtremis annis compedes injecit â veteri inſtituto me retrahentes, qvod â nemine qvæ hic deſiderantur, rectiùs abſolvi poſſe autumem, qvicqvid ſit de hypotheſibus, qvibus, per religionem ſuam â noſtra diſſidentem, hactenus cùm alibi tùm in Hiſtoria inſerviit. Si vel maximè qvod olim volui, adhuc vellem, negotia, qvibus jam per novennium fere (ex qvo, ſummô Numine ſic jubente, ê Dania in Ducatum Leoburgicum tranſivi,) ſingulis diebus diſtineor, qvò minùs ſive mihi ſive aliis in juſta

ſta omnis Hiſtoriæ repræſentatione ſatisfaciam, obſtaculo ſunt. Nam πάρεργα ut τοῖς ἔργοις, qvibus me conſecrare neceſſum habeo, fraudi ſint, nefas arbitror. Accedit loci, qvô nunc temporis dego, infelicitas, qvippe præter meam ipſius Bibliothecam omnis Bibliothecæ expertis, ut conſulere adeò, ſi vel maximè tempus labori ſufficeret, ſingula ſcripta huc factura haut integrum ſit. Etſi verò propoſitum meum ipſam Hiſtoriam ſiſtendi mutandum fuit, non poſſum tamen non in præſens novam *Propylæi Hiſtoriæ Chriſtianæ* ante hos tredecim & qvod excurrit annos publicati editionem ſiſtere. Stimularunt ad hoc nominatisſimi Viri, *Thomas Bartholinus*, Senior, & *Henricus Meibomius*, junior: qvorum ille in Epiſtolâ olim ad me datâ ſcriptoqve huic præmiſsâ, hic in Additamentis ad *Vogleri* Introductionem univerſalem in Notitiam Scriptorum p. 176. qvalemcunqve hanc operam noſtram publicâ luce non indignam cenſuit. Inprimis autem calcar hic addidit Vir inſignis, mihiqve per ſex atqve viginti annos faventiſſimus, *Daniel Georgius Morhofius* ὁ νῦν ἐν ἁγίοις. Nam is ipſe in ſuis Hafniam qvondam ad me perſcriptis literis, ut Propylæum hoc auctius ederem, monuit, & in Collegio ſuo *de Notitia Autorum* in Academia Kilonienſi A. cIↃ IↃc LXXXII. & ſeqventi habito (cujus pars in *Polyhiſtore* ipſi-

us

us poſtea expreſſa eſt) hoc ipſum, cap. XXV. de Theologicis Scriptoribus, â me reqviſivit, atqve futurum aliqvandò haud vanè auguratus eſt. Conferentibus autem novam hanc Editionem cum veteri & rectior apparebit nova, & (cùm qvod ante, tùm qvod poſt veterem editionem emiſſa ſcripta attinet,) longè plurimis locis auctior. Nongentos circiter Scriptores, inqve his non paucos varii generis tractatus ſuppeditantes, hîc recenſeri videas. Nolim autem exiſtumes, qvaſi vel olim conſtitutum fuerit, vel jam conſtitutum ſit, ejusmodi qvid Lectori exhibere, qvod Bibliothecæ Theologicæ nomine inſigniri qveat. Videtur id de Scripto hoc meo in mentem veniſſe *Morhofio* noſtro, qvippe cui *l. cit.* libellum hunc noſtrum cum *Gisbertii Voëtii* Bibliotheca Theologica, *Georgii Calixti* Apparatu Theologico, *Johannis Henrici Hottingeri* Bibliothecario, & ſimilibus conſociare lubuit. Ad Hiſtoriam Eccleſiæ Chriſtianæ (ceu libri inſcriptio docet,) facientia ſcripta duntaxat ob oculos pono, eaqve majori multò paratu in hac qvàm in veteri editione. Integram Bibliothecam Theologicam conſtructuro multò latiùs omnino exſpatiandum erat. Ceterùm & illud inprimis advertendum eſt, etſi non raró ad ſcripta ſpecialioribus Hiſtoriæ Chriſtianæ argumentis

five per omnia five ex parte dicata devenerim, fingula tamen ejus generis hautqvaqvam â me producta effe. Hoc enim fi facere propofuiffem; fimul ipfa exhibenda fuiffet Hiftoria. At hanc operam, ceu nimis mihi nunc operofam, jam tum antea deprecatus fum. Subminiftrabant autem fpecialiora ifta ipfi illi Scriptores, qvi in hoc noftro Tractatu paffim enarrantur, maximè, â qvibus grandiora volumina concinnata funt, eâ fini adeundi. Qvod operibus opufcula adftruxi, ut eruditiores ægrè haut ferant, etiam atqve etiam defidero. Qvanqvam compendiorum apud illos, qvi ea, in qvibus anima Hiftoriæ, ut fic loqvar, fita eft, addifcere geftiunt, exiguus ufus eft, tyronibus tamen, anteqvam fefe in vaftiffimum Hiftoriæ Oceanum immittant, neceffaria funt, ut ἐν τύπῳ ea intueri poffint, qvæ addifcenda funt. Sed & præterea iis, qvibus in magnos libros fumtus haud licet impendere, confulendum eft. Horum talium itaqve bono cum magnis parva conjungere placuit. Potuiffem plura, qvàm hinc inde cernuntur, monita de Autoribus infpergere: at tum fines inftituti mei nimis transgreffus effem, qvippe qvi enarationem potiùs Scriptorum mihi propofui in præfens, qvàm cenfuram in Scriptores, ab homine â qvotidianis laboribus me immuniori

niori exspectandam. Qværenda igitur hæc apud alios, qvalis, qvi novissimè (annô scilicet 690) Londini lucem adspexit, *Thomas Pope Blount*, Baronetttus Anglo-Britannus, in Censura celebriorum Authorum, sive Tractatu, in qvo varia virorum doctorum de clarissimis cujusqve seculi Scriptoribus judicia traduntur, atqve alii ejus generis. Noscituris interea, unde hæc Scriptorum congeries hic convasata sit, tenendum est, me inde â prima adolescentia enixè dedisse operam, ut qvorumcunqve mihi Autorum notitiam acqvirerem. Perreptavi eâ fini, qvantum licuit, & publicas & privatas Bibliothecas in Germania, Belgio atqve Dania mihi oblatas. Maxime tamen apud Danos in hac me notitia profecisse gratus hospes confiteor. Nam ibi instructissimæ Regis, Academiæ, & privatorum non paucorum Bibliothecæ, eæqve partim publicis auctionibus, qvibus sedulò interfui, divenditæ, & Bibliopolia rarioribus libris referta præsto erant: ut vel eô nomine (etsi ob alias qvoqve causas undecennalis ferè domicilii Danici memoria jucunda sit) me in Daniam qvondam ex Academia Rostochiensi â Deo pertractum esse gaudeam. Qvod posteriores annos attinet, non dissimulo (ne in alienos labores iniqvus sim,) debere me non paucorum Scriptorum, maximè peregrini

orbis, indicium Viris eruditissimis, qvi jam inde ab anno MDC LXXXII. *Eruditorum Acta* non sine judicio atqve industria singulari *Lipsiæ* recensuerunt. Sed & qvædam literatissimo Dialogorum menstruorum inde â qvadriennio editori, *Wilhelmo Ernesto Tenzelio*, accepta fero. Consilium principiò erat Appendicis locô subnectere ea, qvæ, qvem prædixi, *Morhofius*, in Collegio MSSo de Notitia Autorum. cujus antea mentio facta est, de Historicis & Theologicis Scriptoribus tradidit, non planè nihil lucis huic Dissertationi allatura. Sed postea, re maturiùs deliberatâ, dignissimo Morhofii successori, *Henrico Muhlio*, qvicqvid hoc est studii reservandum judicavi, qvod is ipse id fortassis ex autographo Morhofiano, apographô, qvod nactus sum, haud dubiè limatiori, curatiùs præstare qveat. Adjeci autem Appendicis locô alia nonnulla, qvorum pars ipsi operi antea inserta fuit, pars seorsum excusa, pars autem nunc demum producitur. Cetera, qvæ hîc scire juverit, vetus præfatio mox secutura suggeret. Qvicunq; interea hæc legere dignabitur, animo meo, cum hæc comportarem, perpetuò sciat obversatum esse illud *C. Plinii* in præfatione Naturalis Historiæ ad Vespasianum: *peculiarem in studiis causam eorum esse, qvi difficultati-*

bus vitis utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi. Vale. Dedi Leoburgi A. Christi cIↄIↄcXCIII, die XII. Junii.

M. de Claude (CLAUDII) Consilium De Studio Historiæ Ecclesiasticæ rectè instituendo,

Ex operibus ejus posthumis Tom. V. Epist. 19. excerptum, & è Gallico in Latinam lingvam translatum,

per

M. J. G. Z.

* MAgni Judicii & insignis eruditionis fuit Reformatorum celeberrimus Theologus (M. de Claude) Claudius. Maximè autem necessarium & maximè proficuum cuilibet studioso, ne dicam, cuilibet homini est Historiæ Ecclesiasticæ studium. Uti autem illud hactenus non pro dignitate fuit ventilatum, ita multæ ambages sunt & multa devia in eo vitanda. Unde valdè placuit consilium præsens Claudii, qvod inter Epistolas ejus Gallicè in operibus posthumis extat, tùm ob brevitatem, tùm

tùm ob judicium qvo scriptum est. Et persvasi adeò amico, ut id Latinè redderet. Tu Lector fruere & fave.

Seqvitur ipsum Fragmentum Epistolæ.

NEscio cur me consulere volueris de Methodo, qvam in studio Antiquitatis, qvod inchoare constituisti, observare debeas. Eximius parens tuus Dominus de B. - - in consiliis necessariis ea in re tibi erogandis multis numeris me superat. Nihilominus qvoniam & sententiam meam desideras, non omittam pro viribus qvædam parvi momenti tibi perscribere. Utile vero omnino videtur, ut à lectione Historiæ Ecclesiasticæ initium facias. Sed *nullum Historicorum tam fidelem tamqve exactum me hactenus invenisse ingenuè fateor, cui soli ut te addicas, svadere possim.* Centuriatores Magdeburgici pleni sunt errorum ingentium, & Methodo pro genio Nationis tali conscripti, qvæ mentem obruit, cumqve animum ad se trahere deberet, illi fastidium movet. *Baronius* unicum finem in Annalibus suis sibi proposuit, ut stabiliat autoritatem & potentiam Pontificis, in eoqve ipso occupati sunt *qvi eum in compendium redegerunt.* Lectio

Euse-

Eusebii, *Evagrii*, non nisi ideam confusam valdè & imperfectam Historiæ primorum Seculorum excitat. Historia *Godovæi* sectæ est studiosa & superficiaria, multasqve colligit ineptias. Historia *Vignierii* obscura est, male digesta, sine selectu & accurato studio. Historia *Dn. Suerii* (de Monsieur le Sueur) qvam nuperrimè edidit, Genevæ impressa, bona est & fidelis, resqve egregias continet, sed nec illa ad studium solidum ullo modo sufficit, & eo potissimum peccat, qvod nunqvam non res gestas enarret, nulla facta autorum mentione, ex qvibus desumptæ sunt. Hoc ipsum, parum abest qvin de omnius dici possit, habent sua vitia historiæ, *accuratusq; ac fidelis Historicus qvi pro veritate faciat, qvod Baronius pro mendacio fecit, mea qvidem sententia in eorum numero haberi potest, qvibus in nostra Reformatione caremus.* Ut-ut hæc ita sint, ego, qvod in perplexa hac re tibi dicam, nihil melius invenio, qvam ut compares tibi *Historiam* qvam appellamus *Tripartitam*, *Eusebium* nempe, *Socratem*, *Sozomenum*, *Evagrium*, qvodqve non male operam collocaturus sis, si tres priores compares ex editione Domini Valesii, qvia notæ ipsius sunt egregiæ: Post hos comparare debes *Baronium*, *Historiam Josephi*, *parvum Rationarium temporum Petavii*, & *Historiam Domini Suerii*. His jungendus est *Blondellus de Eccle-*

sia, Montacutius in Baronium, & *Casaubonus in Baronium*. Si hos libros habebis, *Petavii Rationarium* legendum est, & *Historia Domini Suerii*, ad formandam exinde ideam generalem Historiæ. Si postea *Tabulas Helvici* & *Chronologiam Calvisii* adhibeas, non male facies, eximii enim sunt duo hi *Chronologi*, seqvunturqve in omnibus ferme Scaligerum. Tum studiose legas *Baronium*, illiqve jungas *Helvicum* & *Calvisium*, poteris enim qvicqvid legisti, in facilem Chronologiæ ordinem redigere, dividendo tempus in diversas Periodos vel Secula, prout tibi ipsi ad propositum tuum utile videbitur. Posses hic adjungere *Chronologiam Jacobi Capelli*, qvæ bona est magniqve habita, si modo eam poteris invenire. Tandem nihil magis cavere debes, qvam *ne te statim obruas vel quæstionibus Chronologicis vel minutiis Criticis, quæ te profecto à proposito repellerent*. Necesse est ut facta ipsa eaqve præcipua consideres. Neqve prolixitas *Baronii* te impedire debet, in qvo legendo omnis vita forsan consumenda esset. Multas ibi invenies minutias, qvas fugaci percurres oculo, nulla facta mora illis inhærendi; nec non multa acta & fragmenta qvæ sine dmno præterire poteris. Ista autem primaria facta sunt, qvibus operam navare debeas; videlicet: *I. formanda idea generalis status Judæorum post reditum ex captivitate Babyloni-*

ni-

nica, & præcipue sub successoribus Alexandri & sub Romanis. Hoc haurire poteris ex *Josepho*, *Rationario Petavii*, *parva Historia Judaica Ludovici Capelli*, qvibus si adjungere placet *Petrum Cunæum de Republica Judæorum*, operam non male collocabis. *II. Necesse est ut præcipuas qvæstiones, quæ nativitatem & vitam Jesu Christi concernunt, ad minimum summatim tibi concipias*, hucqve faciunt *Baronius*, *Casaubonus*, & *dubia Evangelica Spanhemii*, quæ sine dubio possides; *Calvisius* qvoqve & *Jacobus Capellus* in eo tibi adjumento erunt, nec non plures alii tractatus minores, qvos indicare tibi supersedeo, infinita enim ea de re extare, ignotum tibi est minimè. *III. Generalis idea formanda est Historiæ Apostolicæ & nascentis Ecclesiæ, status mundi illius temporis, excidii Hierosolymitani &c. Itinerum D. Pauli, Ordinis & Chronologiæ Epistolarum ipsius.* In servient tibi ad istum finem *Baronius*, *Suerius*, *Historia Apostolica Capelli &c.* *IV. Summatim concipiendæ sunt res gestæ prioribus Ecclesiæ seculis, usq; ad Concilium Nicenum exclusive, persecutiones Ecclesiæ, Martyres, Doctores, Concilia, Disciplina, forma Regiminis, Hæreses, Hæresiarchæ, Schismata, Contentiones, libri Apocryphi aut suppositititii, successio Episcoporum Rom. Carth. Alexandr. &c.* Hæc omnia ex parte invenies in *Suerio*, *Baronio*, *Blondello de Ecclesia* & *Petavio*. Nullo modo autem hisce accuratissime & ad un-

gvem, qvod ajunt, te implicare debes, neq; qvæstionibus Criticis, sufficit enim si ideam generalem exinde acqvirere poteris. *V. Post hæc progrediendum est ad Historiam Concilii Niceni, ad qvam reqviritur ut & Historiam Constantini tibi familiarem reddas, nec non Arii, cum ejus controversiis qvas cum suo Episcopo habuit, initia qvoqve S. Athanasii, Arii Fautores, decisionem Concilii super magnâ hâc controversiâ, decisionem controversiæ circa diem Paschatos &c. VI. Hoc ipsum ad illa te ducet, qvæ Concilium Nicenum exceperunt, de Ario nempe & Arianis.* In Historia hac admodum prolixa distingves id, qvod de jure fieri debebat, & qvod de facto ita evenit, hoc est personas. *Annotabis Concilia, qvæ ea de re sunt habita, diversas Confessiones fidei Arianorum, ipsorum captiones & illusiones, mores S. Athanasii, ipsius persecutiones, nec non mores S. Hilarii, Liberii, Felicis, præcipuorum ex parte Arianorum, statum ipsius Constantini, ipsiusqve aulæ usq; ad mortem ejus, conditionem filiorum ejus post mortem, potentiam Arianismi, ejusq; latitudinem, ignavissimam mollitiem Episcoporum in Oriente & Occidente.* Hæc omnia qvoad generalia optime videbis in *Baronio, Suerio, Petavio*, sed omnium optime reperies in *vita S. Athanasii, ab Hermanno Canonico Rhemensi conscriptâ*, qvod scriptum elegans est magniqve habitum. In hac Epocha vel in antecedentibus *Historiam Samosa-*

te-

tenienſium, *Sabellicorum & Photinianorum* invenies, qvæ neqvaqvam inſuper habenda eſt. *Ad reſtaurationem purioris doctrinæ & ruinam Arianiſmi tandem pervenies, qvæ circa finem Seculi qvarti accidit, & iſtic adnotabis Schiſma Meletienſium, Luciferianorum, hæreſin Macedonianorum condemnatã per Concilium Generale Secundum Conſtantinopoli habitum, incendia Occidentis & Orientis ſuper terminum hypoſtaſeos, multosq; caſus alios. Invenies ibi qvoqve impietatem Manichæorum, furores Donatiſtarum, perſecutiones Juliani, multaqve alia qvorum ideam generalem concipere debes, notareqve magnos viros qvi tunc temporis usqve ad hæreſin Neſtorii floruere. VIII. Hiſtoria Neſtorii Periodum octavam conſtituat; Notanda hic ejus doctrina, diſputationes contra Cyrillum Alexandrinum, controverſia Cyrilli cum Theodoreto & Johanne Antiocheno, condemnatio Neſtorii in Concilio Epheſino, qvod tertium Oecumenicum conſtituit. Hanc in Periodum conſtituendus eſt Pelagius & ipſius hæreſis, cum controverſiis qvas S. Auguſtinus contra eum habuit, & Conciliis eam ob cauſam inſtitutis. Huc referendæ etiam ſunt perſecutiones qvas Orthodoxi crudeliter ſatis Donatiſtis excitarunt, horumqve miſerrimorum interitus. Huc etiam ponendæ ſunt perſecutiones qvas paſſi ſunt Priſcillianiſtæ. IX. Nona Periodus tua comprehendat Hiſtoriam Eutychis & hæreſeos ipſius, qvæ magnorum & memorabilium caſuum plena eſt, ut qvicqvam hic annotare neceſſe*

non sit; finienda vero est in Concilio Chalcedonensi exclusive, qvod fuit qvartum Oecumenicum. X. Decima comprehendat Historiam diversorum ramorum Eutichianismi usqve ad Concilium qvod Monotheletas damnavit, qvo pertinet factum Honorii Episcopi Romani. XI. Undecima perttingere potest ad Concilium Constantinopolitanum usq; , qvod damnavit tria capitula qvæ dicuntur, ubi habes inconstantiam Vigilii Papæ Romani, & Schismatis ipsius contra Sylverium. Postea in Seculis seqventibus usqve ad tempus Reformationis in subsidium memoriæ *alias Periodos pro lubitu* formare tibi poteris, utilis vero tibi erit *Reynaldus, qvi Baronium octo voluminibus continuavit,* ubi res multas invenies magni momenti & consideratione dignas. Hucusqve neqvaqvam vellem *ut excerpas aliqvid,* nam excerpta multum temporis eripiunt, id potius optarem. ut præcipua momenta cujusq; Periodi bono ordine memoria concipias, cum tempore qvando magni viri floruere, nec non summatim illorum res gestas, & ut annotes in chartam omnes qvæstiones de rebus, qvæ in controversia sunt inter addictos Ecclesiæ Romanæ ac nos, solummodo prout animadvertes in lectione. Hoc ubi obtinueris, audacter & commode *lectionem Patrum* inchoare poteris, sed non citius secundum sententiam meam, qvia aliàs eam voluptatem exinde non percipies, qvam desi-

de:

deras, nec nisi parvum fructum exinde reportabis. Initium qvoad hæc facies *à prioribus tribus Seculis*, & post in seqventibus reliqvis secundum ordinem temporum. Sed qvamprimum incipies hunc laborem, vellem ut ante oculos poneres *Bellarminum* tuum *de Scriptoribus Eccles.* & qvosdam alios Criticos ejusdem generis, ut *Labbeum, Rivetum, Coccum, Sixtum Senensem* &c. Qvorum lectio tibi nihil conducet, si eos separatim legas. Vellem, inqvam, ut eos ante oculos ponas, ad discernenda *vera Patrum scripta à suppositititiis.* Porro etiam vellem, ut ante oculos poneres Baronium tuum, ut illum consulere possis *de tempore qvo Patres qvodlibet opus scripsere*, nec non qva data occasione id fecerint, qvemqve in elaboratione habuerint scopum, id qvod *Baronius* exactissime exponit, qvamvis haud raro sectæ suæ studiosus sit, & conjecturas interdum pro certis veritatibus venditet, qvæ tamen fundamento & ratione destituuntur. Sed adhibendum est judicium, ut haud dubie bene observabis. Hoc medio adhibito maximam utilitatem ex lectione Patrum habebis, eosqve facilius multo intelliges, penetrando eorum mentem per repræsentationem qvam tibi *de adversariis* facies, cum qvibus certamen inivere, nec non *de Scopo* qvem sibi præfixerunt.

Qvod *Excerpta* attinet, qvilibet Metho-

dum fuam ea in re habet, nec grave mihi erit meam tibi perfcribere, qvamvis forfan optima non fit. Qvicqvid de eo fit, mihi certe optime ceffit, qvia non parum temporis mihi refervavit. Contentus igitur fui referendo materias fub certos titulos allegatione Autoris, libri & paginæ meæ Editionis, qvando in legendo rem confideratione dignam inveni, in tranfcribendis verbis neqvaqvam occupatus fui, qvia hic defcribendi modus prolixus nimis eft, mentemqve obruit. Notavi folumodo parva linea ducta in margine Editionis meæ, rem de qva agitur, ut ubi illa opus haberem, facilius eam poffim invenire, & credo qvod hoc fufficiat. Tandem inter *Patres Græcos*, illi qvorum lectio grata magis videtur & majoris momenti, funt *Juftinus Martyr*, *Origenes*, *Eufebius*, *Chryfoftomus*, *Bafilius*, *Gregorius Nazianzenus* & *Theodoretus*. Utile qvoqve eft *S. Epiphanium de Hærefibus* legere. Qvod *Cyrillum Alexandrinum* attinet, eft ille fcriptor durus, qvi prima fronte qvidem infignis videtur effe Theologus, & tamen nil nifi male digeftas & valde vulgares cogitationes profert. *S. Irenæus* non eft autor valde gratus propter ariditatem materiæ & fubtiliffimas ineptias qvas impugnat. *Gregorius Nyffenus* fcriptor eft ferme ut Cyrillus Alexandrinus. *S. Athanafius* vi præditus eft & judicio, fed habet nefcio qvid triftis & faftidiofi in ftylo. *Cyrillus Hierofolymitanus* autor eft

fa-

facilis & perspicuus, sed nimis superficialiter res de qvibus agit, tractat, ut nihil ferme ibi reperiatur. Qvoad reliqvos de qvibus locutus sum, & qvos lectu utiles valde gratosqve credo, qvam grati etiã sint & utiles, vitiis tamen suis non carent iisq; maximi momenti. *Justinus Martyr* autor est elegans valde & judicio pollens, sed vix temperare nobis possumus qvin eum hæreseos accusemus, si Dialogum ejus contra Tryphonem parva saltem cum attentione legimus. *Origines* scriptor venustus est, imaginatione abundat, & amœnum agit oratorem, sed uti rebus elegantioribus, ita qvoq; miseris deliramentis abundat, & valde qvis decipietur, qvi Origenem pro norma ratiocinandi seqvi vellet. *Eusebius* revera vir magnus est, curiosus, eruditus, judicio exacto pollens. Primus est Historicorum Ecclesiasticorum qvi bonas multas & elegantes res docuit. Sed hoc non impedit, qvominus & multæ nugæ in eo occurrant, qvibus homo judicio præditus, qvalis est Eusebius, neqvaqvam sese onerare debebat. Infectus fuit errore Arii, homoq; morum aulicorum, qviqve encomia Constantini veneno infecit. *S. Chrysostomus*, uti tibi notum est, excellentissimus omnium Prædicatorum suæ ætatis fuit. Eleganter cogitat, grate scribit, perspicue & fluide. Scripta ejus nil nisi pietatem spirant. Nonnisi Scripturæ se adstringit, nec philosophando

do de dictis rebus multum temporis consumit, sed sensum literalem simpliciter explicat. Fatendum tamen qvoqve est, qvod aridus admodum sit in explicationibus suis, qvodqve in mysteria Religionis non alte penetret. Theologus est superficialis valde, & orator haud raro nimis in figuris occupatus. Tandem ingens est defensor liberi arbitrii, & ad minimum Semi-Pelagianus. *S. Basilius* lectu gratus simul & utilis est. Loqvitur bene, naturaliter & nervose, cogitata ejus judicium spirant. Theologia ejus solida claraq; est, & uno verbo ex omnibus Græcis patribus ille ut credò, præstantissimus & purissimus est, recordor qvoq;, me idem judicium de eo à B. Dallæo audivisse, qvi sine dubio tantum intelligebat de his rebus, qvantum qvivis Seculo nostro. *Gregorius Nazianzenus* pulchra multa & sublimia continet, sed numerum & verborum periodos anxie nimis observat, & nihil loqvi videtur, qvam oracula, qvod certe pessimum effectum habet, nam opera ejus non amplius ut fructus naturæ intuemur, sed ut elaborationes Rhetoricas, ubi labor & nimia cura elucet. Talis non est *Theodoretus* qvi simplicitate & humanitate potius præditus est. Bene ratiocinatur, res accurate uti in se sunt, enarrat, & qvamvis ejus Commentarii in Scripturam non magni momenti sint, aliaqve in Operibus suis habeat, qvæ favere videntur invocationi Sanctorum, magni tamen

meneum ducere non desino, eo magis qvia verosimile est, ipsius *Historiam Religiosam* & Librum de *curandis Græcorum afflictionibus*, ubi loca illa qvæ invocationi Sanctorum favent, inveniuntur, mutata esse in ultimis demum Seculis.

Qvod *Patres Latinos* attinet, primo *Tertullianum* habes, scriptorem magnum & sublimem, admirabili Methodo cogitandi & ratiocinandi præditum, sed dure se exprimentem. Austerus est, asper & semper pungens, præoccupatus valde disciplina Montani, uti tibi notum est. Lectu tamen gratus est, multaqve exinde possunt addisci. *S. Cyprianus* dulcis scriptor fuit, stylo perspicuo valde, in operibus suis omnibus ostendit Viri boni characterem, qvi DEUM & suam religionem amat. *S. Ambrosius* habet suas elegantias, sed est vir mediocris scientiæ, qvia affectat inepta acumina, hinc ex operibus ej9 parum addiscere possumus. *S. Hieronymus* certe magnus vir est, peritus Hebreæ Lingvæ, qvi meretur conferri ad verba Script. Vet. Test. sed ad sensum parum prodest. Comentarii ipsius pleni sunt frigidarum allegoriarum, & applicationes ejus vi tortæ. Inter reliqva ejus opera habes Tractatum de Scriptoribus Ecclesiasticis qvi est fragmentum admodum utile. De cætero ubiq; hominem iracundum se ostendit, nodum (ut ajunt) in scirpo qværentem. Venio ad *S. Augustinm*, ad qvem legendum

dum autor tibi sum, qvia multa exinde addisci possunt & ad Theologiam, & ad Moralia, & ad elegantiores meditationes conducentia. Autor est pulcherrimus, & imaginatione abundanre ac felici pollens, qvi fere per omnia magnam ostendit pietatem, magnam justitiam & charitatem. Primus hic Patrum est, qvi cognovit id qvod hypothesis aut Systema in Theologia appellatur. Opera ejus Polemica sunt elegantissima, & digna ut legantur cum applicatione. Ipsius *Civitas Dei* elegans est, tractatus *de vera Religione* sunt præstantissimi, *Enchiridion* non minus, *de agone Christiano* etiam non malus est. *Sermones* parvi momenti sunt, *Psalmi* minoris adhuc, *explicationes in S. Johannem, in Epistolam ad Romanos* nihil consideratione dignum habent. *Qvæstiones in varios libros V. T.* aliqvatenus valent. Plus justo paulisper concedit allegoriis, repetit sæpe easdem meditationes, affectat falsas anthitheses, sed hic est genius Seculi sub qvo vivebat. Est qvod ipsius memoriæ summe officit, cum nempe qvoad officia adversus hæreticos habenda, ex ejus doctrina antea lenitas & charitas apparuerit, controversiæ tamen qvas cum Donatistis habuit, adeo eum excitarunt, *ut se totum mutaret & summe defenderet: hæreticos persecutione cogendos esse ad Orthodoxam fidem, vel etiam plane extingvendos, qvæ est sententia, uti vides, terribilis valde & inhumana.*

FINIS.

HISTORIA SAPIENTIÆ ET STULTITIÆ,

collecta

à

Christiano Thomasio,

JCto.

TOMUS III.

continens

Sex Menses posteriores

Anni 1693.

Contenta ostendet pagina seqvens.

Halæ Magdeburgicæ,

Typis & Impensis Christophori Salfeldii, Regiminis Elector. Brandenb. Typogr.



Contenta Tomi III.

I.

Tres viæ Theologiæ Myſticæ, p. 1.

II.

Litera D. â notis numerabilibus excluſa, p. 12.

III.

Partes hominis tres, ſecundum quosdam, p. 23.

IV.

Diviſio Entis in DEUM & Creaturam, p. 40.

V.

Septem Partes Animæ ſecundum Soranum, p. 46.

VI.

Perſarum Platonicorumqve Trinitas, à Sacroſancta Chriſtianorum Trinitate diſtinctiſſima, p. 58.

VII.

Chriſtianorum ad Metalla Damnatorum Hiſtoria, p. 113.

VIII. Sur-

VIII.
Surdus Loquens, ſeu Methodus, quâ qui Surdus natus eſt, loqui diſcere poſſit. Studio & induſtria Joh. Conradi Amman. Med. Doct. Scaffusâ - Helvet. p. 180.
IX.
Theologia Scholaſtica & ejus initium. p. 225.
X.
Opinio Alb. Kyperi de qvatuor Animæ facultatibus. p. 243.
XI.
Status animæ humanæ qvotuplex? De Statu animæ ſeparatæ opiniones variæ. p. 261.



HI-



HISTORIA SAPIENTIÆ & STULTITIÆ

ANNUS 1693. JULIUS.

TRES VIÆ THEOLOGIÆ MYSTICÆ.

(Auth. JACOBO THOMASIO.)



Rat B. pater meus etiam in mediis, quæ, dum floreret adhuc, Germaniam obnubilabant, tenebris, viæ veritatis valdè cupidus, & qui, si jam viveret, hauddubiè plura præstaret nobis ipsis. Multa vidit in caligine suorum temporum, ut non mirandum sit, aut ipsi vitio

tio vertendum, si non plura viderit, mirandum potius & singulari Divinæ Gratiæ adscribendum, quod, in tempore, ubi omnia gemebant sub regno tenebrarum, in loco, ubi non, aut vix ac ne vix quidem licebat liberam sequi veritatem ob jugum Pseudo sapientiæ Scholastico-Aristotelicæ, talia &, si non plenam veritatis lucem, saltem auroram veritatis subinde conspexerit, vel ore vel calamo docuerit. Igitur credo, nemo vitio vertet, si quandoque in scholiis, ejus meditationibus subjunctis, hinc inde dissensero. Non est arrogãtia, quæ me ad id impellit. Amor veritatis est. Felicitas temporum est. Libertas ab Optimo Principe indulta est. Imo Gratia Dei, qui omnia ista indulget, est. Tu Lector mecum Gratiæ divinæ decentes age grates.

§. I. Theologiam Mysticam tribus viis absolvi statuunt, qui de ea commentarios ediderunt. Tres illæ viæ sunt, prima *purgativa*, quæ affectus purgat, secunda *illuminativa*, quæ intellectum illuminat, tertia *unitiva*, quæ hominis animam, vel facultatem ejus supremam ac nobilissimam arctissime unit cum Deo.

§. 2. De

§. 2. De tribus his viis pluſcula dixi *in ſchediasmate hiſtorico p. 57. & 66.* oſtendique, origines earum ultimas in Philoſophia Platonica quærendas eſſe. *a)* Effecit autem in myſticis Theologis quibusdam ſtudium iſtud Platonismi, ut ex gentilium lacunis Theologiæ myſticæ affunderentur quædam non ſatis approbanda, ut adeò reformatione omninò fuerit opus, qua in re haud pœnitendam locavit operam B. Arndius, de quo diximus ibid. p. 73. *b)*

§. 3. Si quis ergò in his viis expli-

a) *Ego mallem diſtinguere inter Theologiam myſticam veram & falſam. Veræ origines ſunt in Sacra Scriptura & Philoſophiâ omnium antiquisſimâ, Hebraicâ. Falſæ origines utique in Philoſophiâ Platonicâ quærendæ ſunt. Ego tamen ultimas quærerem in Philoſophiâ Barbaricâ, aut Judaicâ (quatenus hæc antiquam Philoſophiam Hebraicam depravavit) unde Plato ſua hauſit.*

b) *Ergo ipſe B. Pater agnovit aliquo modo differentiam inter veram Theologiam myſticam & falſam. Unde Theologia myſtica non eſt eliminanda, quippe hæc ſola Theologia vera eſt, reliquæ, ſive Ariſtotelico, Scholaſtica, ſive Carteſiana &c. Matheologiæ ſunt.*

candis ad religionem potius Christianam, quam Philosophiam gentilium respiciat: is fortasse non absurde tres illas vias accommodare possit tribus Sacrosanctæ Trinitatis personis, ut purgativa via sit opus Spiritus S. qui est velut amor inter Patrem & filium; illuminativa referatur ad filium DEI, qui est sapientia Patris, & à quibusdam veteribus habitus fuisse videtur pro intellectu agente; unitiva ad DEUM Patrem, ut fontem totius Sacræ Trinitatis. *c)*

§. 4. Porrò cum veteres in ipsa hominis anima propter tres ejusdem facultates quæsiverint imaginem Sacræ Trinitatis, illæ tres viæ applicari quoque poterunt tribus animæ potentiis, purgativa voluntati, illuminativa intellectui, uni-

---

c) *Posses etiam has vias applicare ad triplicem hominis statum. Purgativa hominem ex bestialitate ducit & pœnitentiam operatur. Illuminativa ostendit imperfectionem statûs humanitatis, ac desiderium erga Deum excitat ac fovet, pandendo homini mysteria Divina. Unitiva operatur acquiescentiam in voluntate Dei, qui est summus amoris divini & Christianismi gradus.*

unitiva tandem supremæ, quocunque tandem nomine illa veniat. *d*)

§. 5. Ac veteres quidem illam appellaverunt memoriam, nos locomotivam animæ, Gerson pro ea videtur Synteresin (h. e. illam vim animæ, quæ prima principia practica custodit *e*) agnoscere, & quidem eo ipso in loco, ubi viam illam unitivam describit, *in serm. de S. Bernhardo*, qui legitur *tom.* XI. *operum f. m.* 177.

§. 6. Enimverò tres illas vias, de quibus dictum est hactenus, ille *d. l. f.* 178. sic περιφράζει: *Tandem promovente Deo de virtute in virtutem ad perfectiones assumptus*

---

d) *In terminis quidem erimus faciles, modo in re conveniamus. Sed Gentiles Philosophi quicunque sint, tertiâ illâ & suprema facultate, vel planè non, vel non recte intelligunt tertiam hominis partem, quæ* πνεῦμα *in Scripturis dicitur, &* τῇ ψυχῇ *opponitur. Quæ adeo non est suprema facultas* τῆς ψυχῆς, *sed planè ens essentialiter differens à* τῇ ψυχῇ.

e) *Nec memoria, nec locomotiva animæ, nec Synteresis (si Gerson per eam intelligit vim animæ principia prima practica custodientem), exhaurit circumscriptionem debitam* τοῦ πνεύματος.

ptus sum, primò velut animalis, secundò ut rationalis, tertiò ut spiritualis, secundum tres status studentis ad amorem DEI. Primus locus est schola disciplinæ & contritionis; alter schola sanctimoniæ & meditationis; tertius est schola solitudinis intimæ & contemplationis. f) Postea *f. 179.* de via unitiva, (sic enim interpretari licet,) ita pergit; *Anima gignit verbum obumbrante sibi virtute Altissimi, & in virginali utero superioris portiunculæ mentis suæ, quæ nominatur vel scintilla,* (de scintilla interna vid. Fromond. de anima. *p.854.*) *seu apex rationis, vel ipsa synderisis, cujus integritas violari nec in dæmoni-*

---

f) *Platonismum hæc sapiunt, quæ Gerson hîc de meditatione in viâ secundâ & contemplatione in viâ tertiâ memorat, unde facillimus lapsus ad Enthusiasmum. Ista unio, ista solitudo non in contemplatione consistit, sed in actione, quod vivamus in medio mundo, & omnia quæ Deus ibi agenda offert, agamus sine gustu, h. e. ut in maxima indifferentia ea agamus, corde nostro semper quieto & in amore Dei quasi suffocato. Quod si Gerson vel alius quidam mysticus contemplationem in hoc sensu sumit, consentimus. Hæc tamen monenda fuerunt ob speculationes & contemplationes Platonico-Enthusiasticas.*

monibus potuit; adeò jugiter virgo perseverat. g)

§. 7. Interim ut verum fateamur, Gerson eo loco, (cum quo conferri possunt verba Thomæ à Jesu Carmelitæ, citata nobis *f. 67. sched. n. 76.*) non tàm id agit, ut digerat tres illas vias, in tres animæ rationalis potentias, quàm in tres hominis studentis amori divino status, quos ipse nominat animalem, rationalem, spiritualem.

§. 8. Cæterum illa trium viarum cum tribus animæ facultatibus comparatio forte concinnior erit, si tres illas animæ potentias has & hoc ordine constituamus, 1. voluntatem, 2. locomotivam animæ, *h*) (quò & intellectum investigantem referemus) 3. intellectum fruentem.

§. 9. Enimvero ut in affectibus ap-

g) *Nondum percipio, quâ ratione adstrui possit, quod Gerson hîc per synteresin intelligat vim animæ, prima principia practica custodientem, quod asserebatur §. 5.*

h) *Sed ita loco motiva animæ non potest dici facultas suprema animæ, quod tamen factum §. 4 & 5.*

petitus sensitivi tria hæc solent considerare Scholastici *i)* 1. inclinationem ad bonum absens, 2. motum ad illud bonum. 3. Quietem in bono jam præsente & acquisito; Sic in anima rationali ad summum suum bonum, quod est DEUS, tendente, & in eo tandem acquiescente, *l)* tria hæc videntur locum habere, inclinatio ad illud bonum, velut adhuc longinqvum, per voluntatem, motus ad illud per locomotivam animæ & intellectum investigantem, quies in eo jam præsente per intellectum fruentem, *m)* &

---

i) *Theologiam Mysticam exponere velle ex hypothesibus Scholasticorum & Aristotelis, æquè non procedit, ac si JCtus leges Stoicorum JCtorum & v. g. eorum* Genus *&* Speciem *exponere velit ex Logicis Aristotelicorum.*

l) *Ratio nunquam acquiescit in Deo.* πνεῦμα, *amor in Deo acquiescunt. At hæc nunquam sunt pars animæ rationalis.*

m) *Intellectus nunquam fruitur. Uti enim quando intelligo me cibum edere, intellectus non fruitur, sed stomachus, aut totus homo, ita dum intelligo me amare Deum, intellectus non fruitur, sed* πνεῦμα, *& homo Christianus.*

& ſumma cum voluptate *n*) bonum illud experientem.

§. 10. Hoc igitur pacto via purgativa voluntatem ab omnibus terrenis aversam & purgatam inclinat ac diſponit, illuminativa inveſtigantem intellectum & locomotivam animæ occupat, unitiva fruentem intellectum dulciſſima voluptate *o*) perfundit. Purgativa dat principium, illuminativa medium, unitiva, finem.

§. 11. Ut ad illam cum S. Trinitate comparationem revertar, neſcio annon in ſua quoque Philoſophia ſimile, quoddam tentaverint vel tentare potuerint Platonici. Sane hos conſtat ipſos quoque Trinitatem aliquam in divinis

n) *Nec voluptas de intellectu prædicatur, ſed de voluntate propriè.*

o) *Imò vero ſenſibilis aliqua voluptas ac dulcedo, quam anima hominis ex motionibus divini ſpiritus ſentit, magis videtur pertinere ad viam purgativam aut illuminativam, quam ad unitivam, quæ hominem facit ad omne gaudium ſenſibile indifferentem. Hæc demum vera ἀπάθεια eſt.*

agnovisse: sed fœdè fuisse lapsos *p*) in eo, quod in tribus illis tres quoque Deos numeraverint, non unum, alterumque altero inferiorem fecerint, non omnes majestate pares confessi sint. Nominabant autem Deum, mentem, animam.

§. 12. Pertinuerunt ergò secundum ipsos virtutes purgatoriæ (in via purgatoria) ad animam; intellectuales (in via illuminativa) ad mentem, in qua locabant ideas; exemplares (in via unitiva) ad Deum supremum, quem omnium idearum faciebant expertem.

§. 13. Unde se locus aperit suspicioni, annon illud ipsum, quod Mystici quidam Theologi scribunt, refragantibus tamen sanioribus, *q*) ut ostensum nobis in diluc. Stahl. *Disp. X. Reg. 2. n. 16. & seqq.* in via unitiva nudari intellectum ab

p) *Opera igitur genuino Christiano danda est, ut & ipse non labatur, similiter explicationem hujus mysterii, de Patre, Christo & Sancto Spiritu vel in syllabis & terminis nihil significantibus sepositâ Scripturâ, vel in stercore Philosophiæ Scholasticæ quærendo.*

q) *Sed mallem criterium separandi Theologos mysticos saniores ab insanioribus.*


ab omni ſpecie intelligibili, r) profluxerit ab hâc Platonicorum ſententiâ, Deum quoque ſupremum omnium rerum idea privantium.

§. 14. Atque huc referri aliquo modo poterit illud quoque, quod ſtatuebant Platonici, purgatorias virtutes ex homine facere dæmonem bonum, intellectuales ex tali dæmone Deum, exemplares ex DEO patrem Deorum. Quâ de re Porphyrius videndus, citatus nobis *p. 58. Sched. n. 33.*

Litera

---

r) *Videndum, an illi Myſtici eſſentiam Dei in ſpeculatione, hominis in contemplatione ponant, an non? Si prius, probabilis eſt hæc conjectura. Si verò ponant eſſentiam Dei & hominis in amore, tunc & vera eſt eorum aſſertio: cum, quæ homo in viâ unitivâ percipit, ſint ineffabilia, & ab omni ſpecie intelligibili longe differentia.*



Litera D. à notis numerabilibus exclusa.

(Autore JACOBO THOMASIO.)

§. 1.

EX Alphabeti literis hæ ſeptem hodie ſolent haberi pro notis numerabilibus: I. V. X. L. C. D. M. quarum ſignificatio eſt: 1. 5. 10. 50. 100. 500. 1000.

§. 2. Dominicus Baudius *Centuria I. Epiſt. 97. p. 228.* qua Johanni Kirchmanno nuptias gratulatur, duo ſimul ipſi Chronodiſticha mittit, eâ lege confecta, ut cum cæteræ quidem, quas diximus, literæ numerorum ſuorum ſint indices, ſola D. veluti muta ſit, & hoc ſignificandi officio privata. Diſticha hæc ſunt:

Primum:

LaVrIgero VatI ConIVnx ſe CœLIa IVngit
KIrChManno: Vt feLIX ſIt preCor Iſte *d*Ies.

Alterum:

Alterum:

aVrea LVX orta eſt, VotIsqVe optata pLOIcIs
KIrChManno VatI CæLIa puLChra *d*atVr.

§. 3. Facti cauſam ipſe ſtatim his verbis reddit: *Inter literas numerorum indices non refero D. quæ plerisq; imperitis videtur deſignare quingenta, ſed puerili errore id accidit ob affinitatem hujus notæ Iͻ & D. Conſimili modo factum, ut Pandectæ ſignificentur per ff. quod Græci uterentur hac notâ, π.* (ſcribendum π̃.)

§. 4. Si de his ferenda ſit ſententia ſecundum ea, quæ de numeralibus notis accurate diſſerit Paulus Manutius notis *ad II. Epiſt. fam. Cic. 17. p. 291. & ad Attic. 5. p. 19.* concedemus Baudio quidem, errore factum, ut D. haberetur pro nota quingenarii: ſed ſimili quoque errore, accidiſſe dicemus, ut M repræſentet millenarium.

§. 5. Nam ſi quis excipiat, ſicuti C. notat centum eò, quod in hac voce Centum prima litera ſit C. ſimili ratione factum à veteribus fuiſſe, ut quoniam lit. M. vo-

M. vocem Mille inchoat, hujusdem numeri ſit index, ei reſpondebit Manutius, cauſam non veram afferri pro vera, negabitque hac in re audiendum eſſe Priſcianum. Ipſe contrà potius eleganter oſtendit, quemadmodum ex nota unitatis I. cæteræ notæ omnes profluxerint.

§. 6. Iſta igitur cauſa nihil juvabit Baudium. Cui tamen patrocinari nihilominus poſſumus autoritate magis quam ratione. Obſervavimus enim veteres ante hæc ſecula ſimiliter literæ D. nullum feciſſe in verſiculis dictisve chronologicis locum. Id quod jam exemplis confirmabimus.

§. 7. Primò hoc eſto è Petri Opmeieri opere Chronographico, ubi ſic ſcribit *p. 354. ed. Colon. An. 1525.* Latinis numerorum characteribus tituli: JesVs NazarenVs rex JV*d*æorVM. continentur anni, qui intra templum à Salomone ædificari cœptum, (in quo ſacrificia ſacrificium hoc Chriſti ſignificantia afferebantur) & natum Chriſtum regem effingere, nempe 1032.

§. 8. Alterum ſuppeditat Petrus Albi-

Albinus in der Meißnischen Chronica p. 460. & Witt. A. 1580. his verbis: Es ist König Lasla in Böhmen verschieden im Jahr 1457. den 24. Novembr. nicht ohne Verdacht und Argwohn / weil er in 33. Stunden gesund und todt gewesen / als solle ihm mit Gifft vergeben seyn / wie dann ausdrücklich in den Annalibus Academiæ Viennensis stehet und dis alte Reimlein außweist:

CLeMentIs festo Veneno ceCIdIt LasLo.

In welchen die Jahrzahl ist / wenn man das D. nach alten Brauch nicht für einen Zahl-Buchstaben rechnet: Denn auff solche Weiß das 1458. Jahr daraus kömpt / unter welches es die gemeinen Leuthe gerechnet / weils eben am Ende des vorigen Jahrs geschehen.

§. 9. Tertium describo ex Chronographia Valentini Münzeri *p. 157. ed. Bern. An. 1550.* An. 1482. in die Gervasii und Protasii ist Erfort schier gar in den Grund verbrand / durch einen Benedictiner-Münch aus dem Kloster Pfort / bey der Naumburg gelegen / angelegt / die Jahrzahl wird in diesem Vers begriffen / alleine das D. ausgeschieden

ConfI-

ConfItebor tIbI In eCClesIa Magna, & In popVLo gravI LaVdabo te.

§. 10. Quartum debebimus eidem Münzero p. 169. hæc annotanti: An. 1506. hat ein Capellan zu Fulde das Sacrament sampt der Büchsen gestohlen / deßwegen viel Juden in Argwohn kommen und peinlich gefragt. Endlich wurden einem Juden beyde Ohren abgeschnitten und des Landes verweist. Die Zeit wird in diesen Worten begriffen:

ConVertetVr doLor eJUs In CapVt eJVs, & In VertICeM IpsIVS InIqVItas eJVs asCendet.

§. 11. Qvintum ex eodem hoc est, p. 170. Hertzog Georgius von Sachsen hat in diesem 1514. Jahr die Stadt Tham in Frießland gewonnen und alles darinne erstochen / und ward Hertzog Heinrich von Braunschweig der alt davor erschossen. Die Jahrzahl wird in folgenden Worten verfasset:

qVoModo CeCIdIstI de Cœlo LVCIfer?

§. 12. Idem verbis immediatè sequentibus suggerit exemplum sextum: Doctor Bobenzahn ein Syndicus zu Erfort

wird geviertheilet. Die Jahr-Zahl wird in nachfolgenden Worten erfunden:

eCCe *d*oCtor bobenCzan *d*IVI*d*Itur & neMo ConsI*d*erat.

Eqvidem impressum ibi erat Bobenzan absqve litera C. sed eam addidimus, ut numero sua constet ratio. Notum verò C ante z scribi olim solitum, Qvi mos hodie apud nos desit9 haud dubie typothetæ occasio fuit erroris.

§. 13. Redeamus ad Opmeerum & ex eo reliqva colligamus. Septimum legitur apud eum *p. 10 Historiæ martyrum Batavicorum.* Est autem Cornelii Musii in annum Erasmo Roterodamo emortualem 1536.

SICCIne pro stV*d*IIs CæLo *d*onatVr
ErasMVs
qVInto post nonas Cæsar JVLe
tVas.

§. 14. Octavum est Nicolai Cannii *apud eundem p. 807. Operis Chronographici in annum 1543.* qvo Juliacensis Ducatus oppidum Dura captum & incensum est:

*d*Vra InCensa IaCes, *d*Vra CerVICe
rebeLLIs,

qVo rVIs aVgVſtI MensIs & ensIs erat.

§. 15. Nonum ibidem leges *p. 816.* de capta per deditionem anno 1567. urbe Valencena.

adVersVs regeM qVod frVſtra extoLLerIs aVdax
VaLLenCena doCet dVra rVIna, CaVe.

§. 16. Decimum eſt Joannis Bollii Lovanienſis presbyteri, in mortem infelicem Cornelii Muſii, per tumultum belli Belgici anno 1572. patibulo ſuſpenſi. Recitat illud Opmeer9 *p. 854. operis Chronogr. & p. 82. it. 99. de martyribus Batavicis.*

MVsIVs eſt fato heV fVnCtVs, ſed non sIne fato,
qVI In ChrIſto hIC vIxIt, nVnC vIvIt non sIne ChrIſto.

§. 17. Hæc cum ita ſint, facilè adducor ut credam, qvicunqve autor eſt hujus verſiculi:

Lux fulſit mundo: Felix ceſſit Nicolao:

voluiſſe & ipſum certi anni numerum ſic prodere. Legitur ille apud *Joann.*

Con-

Conradum Dietericum p. 339. Breviarii Pontificum & ap. Jo. Großen/ *p. 103.* der Baßler Chronic/ *& apud antiqviorem Christianum Wurstisium lib. V.* der Baßler Chronic. *c. 47. f. 415.* qvi tantum ordinem verborum sic mutat: *Cessit felix Nicolao.*

§. 18. Significatur hôc versu, bono terrarum orbis factum esse, qvod Felix V. Papa, qvem Concilium Basiliense Eugenio IV. opposuerat, tollendi schismatis causa, persvaderi sibi passus sit, ut Pontificalem dignitatem resignaret Nicolao V. qvem adversa factio Eugenio mortuo surrogaverat. Contigit hoc *anno 1449.*

§. 19. Qvi numerus etiam è dicto versu colligitur, modo literam D. nihil valere patiaris, & pro *fulsit* scribas *fulxit*, vel qvod verius puto, *luxit*, qvanqvam illud qvoqve fulxit utcunqve defendi possit exemplo simili mulxi pro mulsi à mulgeo, de qvo *Schmid, p. 243. hypomn. grammat.*

LVx LVxIt MVn*do*: felIx CessIt nICoLao.

§. 20. Qvi in hunc versiculum incidit, neqve animadvertit, chronographi-

phicum esse anni dicti, aut etiam literâ D. qvo minùs hoc sibi persvaderet, offenderetur, ut ejus duritiem emolliret, *luxit* mutavit in *fulsit*, atqve sic in alios propagavit.

§. 21. Etiam hoc incidebat, qvid si relinqvamus τὸ fulsit, & utriqve Papæ numerum addamus suum, fuit autem uterque nominis sui qvintus: hoc modo

LVx fVLsIt MVn*d*o: FeLIx V. CessIt NIcoLao V.

Verùm sic & versus perit: & ipsa chronographica ratio fit dissimilaris. Neqve solebant illi veteres ordinales numeros in versibus apponere.

§. 22. Qvid* autem moverit illos veteres, ut literam D. eliminarent, cùm tamen M. suo loco esse paterentur, reputetur per otium. Forte Priscianus huc eos aliqvo modo duxit, qvem inspicere nunc non vacat.

* *Per otium jubet hæc reputari B. Pater. Uti enim ipse agnovit, otiosas planè esse has qvæstiones, ita eædem nonnisi breve otium reqvirunt, ad refocillandum aliqvatenus animum seriis fessum. Igitur & ego*

im-

immiſcui hoc caput, ut Lector Benevolus pauliſper à meditationibus ſeriis reſpiraret. Non immiſcui, ut gratiam captarem Criticorum aut Grammaticorum, qvi in ſimilibus h. e. in vocibus, ſyllabis, literis, aut Literarum apicibus ſeneſcunt, & in hiſce demum nugis aut certè non niſi per otium tractandis ſummam eruditionem qværunt, cum tamen ſæpè error aut imperitia fundamentum ſit obſervationum, in qvibus ſummam ſuam ponunt felicitatem, & qvas pro arcanis ſapientiæ ſuæ venditant. Unde & iſta circa obſervationem hanc mihi veniebant in mentem. Fortè Criticus aliqvis ex antiqvioribus in Lapide aliqvo ſepulcrali inſcriptionem ſimilem invenit, tempus mortis alicujus viri celebris denotantem, in qvo, errore aut imperitia ejus, qvi autor inſcriptionis erat, litera D. fuit omiſſa, & ipſe venerandam aliqvam antiqvitatem ſuſpicatus hic latere, exinde rem à Viro Critico imitandam collegit, atqve ſuo exemplo, ſimili occurrente occaſione, errorem hunc imitatus fuit, ipſum vero imitati iterum ſunt ejus diſcipuli. Sanè probabilius eſt, ex errore literam D. *ab antiqvorum aliqvo fuiſſe omiſſam, qvam, qvod Baudius (at qvantum inter Criticos nomen) putabat, ex*

errore fuisse hanc literam inter numeros positam, cum ratio ejus (ut ostensum §. 3. & 4.) planè non persvadeat. Scio Criticos non minimum fundamentum sapientiæ suæ in eo ponere: Qvod publicè in solennibus ritibus populi Romani, aut etiam privatorum alicujus dignitatis inscriptum vel insculptum fuit, pro se habere præsumtionem veritatis aut eruditionis. Sed uti, ni fallor, ad hoc effugium jam responderunt alii, & ipsi Critici, ita imbecillitatem ejus facilè ostendere possem nonnullis exemplis temporum nostrorum, (neqve enim Romani majus privilegium habuerunt, non errandi, qvam nos hodie,) ubi in publicis & maximis solennitatibus majores nævi in inscriptionibus ejusmodi fuerunt commissi ac publicis impressi typis, qui maximum aperire poterunt campum litigandi Criticis futuri seculi, in axiomate isto inani se fundantibus, nisi Deus intra hæc tempora Criticen illam pessundet. Confidimus enim, Deum Corda hominum ad meliora studia directurum, ut in hisce inanibus ne otium quidem sint collocaturi.

PARTES HOMINIS TRES, SECUNDUM QVOSDAM.

(Autore eodem)

§. 1.

PArtes hominis essentiales duæ sunt: Corpus & anima rationalis. Alii tertiam adjiciunt: Spiritum. *a*)

§. 2. Et hi varii sunt, veteres, recentes, orthodoxi, *b*) heterodoxi. Tametsi enim ea sententia â Doctoribus rejicitur hodie: tamen qvi eam tuentur, ex iis qvidam sententiam suam ita declarant, ut S. Theologiam orthodoxam relinqvant salvam. *c*)

§. 3. Video autem illud dogma exponi bifariam. Aut enim hominis vocabulo intelligitur compositum ex substantia visibili & invisibili, aut compositum ex meris invisibilibus Qvod idem est ho-

a) *Cum quibus & nos facimus.*

b) *Ergo intempestivus Zelus multorum Pseudo-Theologorum est, assertionem hanc de tribus partibus hominis inter criteria Fanaticismi referentium.*

c) *Ego aliam Theologiam orthodoxam ignoro, qvam quæ desumta est ex solâ Scripturâ Sacrâ. Atqui doctrina de tribus partibus dilucidè Scriptura Sacra nititur.*

hominis nomine ſumitur vel totum compoſitum, vel anima ſola. *d*)

§. 4. Qvi ad totum compoſitum hic reſpiciunt, homini unum dant corpus, ſed corpori inhærentes duas formas, quarum tamen altera ſit alteri ſubordinata, animam nempe & ſpiritum, ubi duo obſervanda.

§. 5. Unum, variare heic autores in nominibus *e*) Sunt qvi præſtantiſſimam hominis formam ſpiritus vocabulo, ſunt alii qvi animæ potius ſignificant.

§. 6. In priorem ſenſum interpretor Schwenkfeldianos & Enthuſiaſtas apud Gerhardum Tom. VII. Locor. p. 127. qvi tertiam partem eſſentialem, Spiritum ſc. in regeneratione accedere ſomniant.

§. 7. In poſteriorem Theophraſtiſtas

---

d) *Facimus cum prioribus.*

e) *Ipſa Scriptura variat, Spiritus* (πνεῦμα) *vocem modo prædicans de ſpiritu hominibus cum aliis creaturis communi, modo* ψυχῆς *terminum uſurpans de parte ſpirituali. Putarem tamen, ſemper in ſcriptura, ubi anima ſpiritui opponitur, ſpiritum denotare partem nobiliſſimam, animam ignobiliorem.*

ſtas apud Gerhard. d. l. qvibus ſpiritus mortalis, anima immortalis. Qvibus addeComenium p. 194. Synopſ. Phyſ. & apud Lütkemannum de vero homine, p. 13. *f*)

§. 8. Qvæ forte non in rebus, ſed in verbis tantum eſt pugna. Qvo enim cunqve nomine præſtantiſſimam illam formam donent, id nimirum intelligunt, qvod aliàs græce νȣ̃ς, latine, mens, it. animus vel intellectus, puta agens *g*) qvatenus hæc omnia ab anima hominis vel ſpiritu, tanqvam ſubſtantiæ ſeparatæ nomina diverſa diſtingvuntur, appellari ſolent.

§. 9. Alterum qvod obſervari volumus, eſt: Ab his autoribus adeò realiter diſtingvi has duas partes, ut ſeparari poſſint.

 ſint.

f) *In verbis ſimus faciles. Priores tamen ob dicta notâ præcedente, convenientius loqvuntur ſtylo ſcripturæ. Et qvorſum referemus jam Lutherum, qui expreſſe etiam alicubi tres partes agnoſcit? An Schvvenckfeldianus eſt, & Enthuſiaſta, an Paracelſiſta?*

g) *Hoc vero eſt Scripturam exponere velle ex Platone vel Ariſtotele. Nobiliſſima illa pars nihil minus eſt qvam intellectus, voluntas eſt, amor eſt, à qvo intellectus hominis patitur.*

ſint, h. e. una exiſtere altera non exiſtente, *h)* qvod ſatis patet è ſupra recitatis. Etiam Delrio p. 453. in Senec. ait: in qvibusdam Scripturæ locis ſpiritui immortalitatem, animæ mortem videri tribui, qva de re judicent Theologi. *i)*

§. 10. Qvi autem hominis nomine ſolam, qvæ in nobis eſt, animam ſeu ſubſtantiam inviſibilem intelligunt, ii ſunt nimirum, qvi in unô homine tres animas realiter diſtinctas agnoſcunt, vegetativam, ſenſitivam & rationalem. *l)* Qvarum primam corporis, alteram animæ (ſtricto ſenſu,) tertiam ſpiritus nomine denotant. In hanc ſententiã copioſe diſſerit

h) *Exiſtit Spiritus ſine anima, dum ſpiritus juſtorum poſt mortem ipſorum eſt in manu Domini. Exiſtet anima ſine ſpiritu in omnibus irregenitis amore Dei deſtitutis in futuro ſeculo.*

i) *Qvilibet Chriſtianus Theologus eſt. Anima in morte unitur cum anima ſeu ſpiritu terræ magnetico, uti anima beſtiarum. Spiritus revertitur ad Deum qui ipſum dedit. Hoc eſt, qvod Salomon alicubi halitum hominis (animam) deſcendere, alicubi (ſpiritum) aſcendere aſſerit.*

l) *Atque ſi hi habentur pro orthodoxis, diſſentio. Nam hoc eſt iterum ſcripturam explicare ex Philoſophiâ Gentili.*

ferit Gregorius Nyssenus c. 8. de hominis opificio p. 90. 92. & huc accommodat dicta duo Scripturæ, in qvibus videlicet expressa fiat harum trium partium mentio.

§. 11. *Ea dicta* sunt 1. Thes. V, 23. Qvanqvam enim Gregorius τὴν πρὸς Ἐφεσίους citat, observavit tamen ibi Leewenclajus σφάλμα sive Nysseni μνημονικὸν, sive librarii γραφικόν. Verba ipsa Apostoli hæc sunt: αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα, καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως, ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη. It. Matth. XXII, 37. ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου.

§. 13. Obiter moneo, hoc ipsum ex Matthæo dictum ab autore libri de dignitate humanæ conditionis apud Ambros. Tom. IV. Oper. f. 89. explicari de tribus animæ rationalis facultatibus, qvæ sunt intellectus, voluntas & memoria. §.

§. 14. Cæterùm Nyſſenus ad ſuas illas tres partes trahit etiam diſtinctionem triplicis hominum vitæ, carnalis videlicet, animalis ac ſpiritualis, è duobus Apoſtoli locis, qvi leguntur 1. Cor. III, 1. ubi mentio hominum carnalium, & II, 14. 15. ubi mentio hominum animalium & ſpiritualium. *m)*

§. 15. Ubi tamen moneo, non ſatis perſpicuum eſſe, velitne Nyſſenus, dari tres in homine realiter ſeparatas animas: id enim non manifeſte indicat: ſed ubi harum partium diſcrimina proferenda ſunt, gradu tantum nobilitatis eas diſtingvit, infimam ponens vegetativam & maxime materialem, mediam ſenſitivam, ſupremam rationalem; qvodſi, ut opinor, ipſum voluiſſe, juxta exercitia harum facultatum exponas, nihil vetat, qvo minus eum putemus tres potius faculta-

tes

---

m) *Ita eſt. Homo carnalis beſtia eſt, vivit ſecundum ductum corporis. Animalis, homo eſt, vivens ſecundum rationem. Spiritualis Chriſtianus eſt, vivens ſecundum ſpiritum. Quanqvam non negandum: in ſcriptura plerumque hominem animalem & carnalem eſſe Synonyma, atque comprehendere naturam rectam pariter & corruptam.*

tes unius animæ, qvàm tres numero distinctas animas credidisse. *n*)

§. 16. De anima qvoqve tanqvam medio qvodam inter carnem & spiritum qvædam ex Origene profert Halloix Origenis defensi f. 134. 135. *o*)

§. 17. Dicta vero Scripturæ, qvibus Nyssenus fuerat usus, ad ejusdem sensum de tribus animæ partibus interpretaretur qvoqve Justus Velsius lib. de hominum beatitudine p. 10. & 19. ut videri queat ê Nysseno hausisse, â qvo tamen in eo recedit, qvod illas tres animæ partes sive facultates, non physicè ut Nyssenus, sed ethicè exseqvitur, h. e. facultati rationali adjungit non sensitivam & vegetativam, sed irascibilem & concupiscibilem. *p*)

§. 18.

n) *Si Nyssenus doctrinam hanc ex doctrina de animâ vegetativâ, sensitivâ & rationali voluit explicare, aberravit, qvocunque modo id intellexerit. Nam & homo planta, & homo bestia, & homo rationalis est* ἄνθρωπος ψυχικός.

o) *Vereor valde & Origenem, & Origenis defensores verum sensum Scripturæ habuisse, ob nimium amorem Platonis.*

p) *Qvicqvid sit, & hæc tamen explicatio Scholam Aristotelis sapit, perspicuitatem Scripturæ obtenebrantem, non illustrantem.*

§. 18. An vero ex illis textibus ſacris, hominis illa in tres partes diviſio erui qveat, judicare noſtrum non eſt, qvi nihil heic aliud, niſi nudam hiſtoriam, venamur. Judicent interpretes Sacræ Scripturæ.

* *At vero poſtqvam Lutherus id egit, ut Biblia daret in manus Laicorũ, an ideò dedit, ut non intelligamus ipſimet, ſine ope Clericali? Ita Papatus non ſublatus eſſet, ſed mutatus in deterius. Apertè autem ita B. Pater ſcribere tum coactꝰ eſt ob tyrannidem Papalem Cleri noſtri, qvi non permittit, ut Profeſſor Philoſophiæ (qvalis erat Pater) agat officium Chriſtiani, & ſententiam ſuam de intellectu Scripturæ liberè dicat. Ergo dum hanc obſervationem in calamum dictabat in Collegio qvodam, non licebat mentem ſuam aperire ulterius. Cæterum in ipſis fontibus meditationum ejus, unde hæc hauſerat, ita mentem ſuam de his Scripturæ locis aperuit:*

1. Cæterum qvod ad dicta Scripturæ â Nyſſeno & Velſio citata attinet, qvanqvam uterqve omnibus in eundem ſcopum utitur, trium tamen ea generum eſſe, non unius, dixerim.

2. Nam illud Pauli *1. Theſſ. 5. v. 23.* inte-

teger Spiritus vester & anima & corpus servetur, videtur *ad partitionem hominis totius* respicere: cujus partes, si verba qvidem dicti intuemur, tres memorantur, si sensum verò, duæ tantum, anima & corpus: cæterum loco unius animæ, duæ ejus vires, intellectiva, nomine spiritus, appetitiva, nomine animæ (hæc expositio est Gallasii ad Irenæum p. 398. unde eam repetit Gerhard. Tom. VIII. Loc. Theol. p. 128.) recensentur ab Apostolo, nisi malis cum Ægidio Hunnio (apud Gerhard. d. l. p. 129.) per spiritum interpretari mentem & voluntatem; per animam verò reliqvas animæ facultates (alias expositiones qvære apud Gallas. & Gerhard. d. l. Delr. in Senec. p. 453. Lütkem p. 26. 161.)

3. Illud Christi *Matth. 22. v. 37.* Diliges Deum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ, optimè puto â Velsio expositum de tribus facultatibus animæ appetentibus, concupiscibili, irascibili & rationali. Respicit enim opinor, ad hanc animæ divisionem Ethicam. (*conf. Augustin. Tom. III. f. 31. II. de doctrina Christiana 16.*)

4. Illos

4. Illos verò Apoſtoli duos locos *1. Cor. 2. v. 14. 15. & c. 3. v. 1.* ubi mentio hominis ſpiritualis animalis & carnalis, non putem reſpicere, ut Nyſſenus & Velſius exiſtimarunt, ad diviſionem ullã animæ ſive ethicam, ſive phyſicam, ſed potiùs ad diviſionem hominum, & qvidem ita, ut eorum non tria, ſed duo tantùm conſtituantur genera: unum hominum ſpiritualium, alterum animalium, qvi iidem & carnales: Nam & in ſingulis dictis non niſi duo membra ſibi opponuntur, in priore ſcil. homo ψυχικὸς animalis, & πνευματικὸς ſpiritualis, & σαρκικὸς carnalis: & eundem eſſe σαρκικὸν cum ψυχικῷ judicat qvoqve Salmaſius. *de fœn. Trapezit.*

* 1. *Meam ſententiam circa iſta loca Scripturæ qvod attinet, conſentio, intelligi duo genera hominum in loco ad Corinthios, conſentio animalem & carnalem ſumi ſynonymicè. Ratio autem denominandi deſumitur utiqve à diverſis partibus hominis. Spiritualis eſt, ubi dominatur πνεῦμα, animalis & carnalis, ubi dominatur ψυχὴ ſeu ſpiritus animalis materiæ immerſus & carni, cupiditas carnis &c.*

2. Lo-

2. *Locum Matthæi mallem & ipse omitti in hâc doctrinâ, utpote cum, si maximè respiceret tres hominis partes, tamen obscurior est aliis clarioribus. Sed fortè etiam non respicit. Illud quidem certum est, non respicere doctrinā Peripateticorum de facultatibus animæ appetentibus, concupiscibili, irascibili, rationali. Istam philosophiam ignorabat Apostolus, ignorat etiam recta ratio, ut alibi docemus.*

3. *Dictum capitale est primum illud ad Thessalonienses, Et cum de distinctione corporis ab anima non sit dubium, sed saltem de distinctione spiritus & animæ, jungi eidem meretur alius textus evidentissimus* ad Hebr. IV. 12. *Gallasius, Gerhadus, Delrius, Lutkemannus aliter exponunt. Quid inde? Textus clarus est. Ipsorum expositio fluctuans, diversa, contradicens, nulla firmiore ratione, quàm præjudicio Philosophiæ Gentilis de duabus tantum partibus hominis suffulta. At inquis, æquali jure quo tu tres partes asseris, isti duas docent. Nec tu docuisti contrarium, sed asseruisti. Ita est, nam hæc talia non docentur, sed sentiuntur. Si Gallasius &c. non senserunt, si tu non sentis differentiam inter animam & spiritum, si verbum Dei nondum*

nondum separavit in te istas tuas partes Hebr. 4, 12. *idem esset, ac si quis infanti nondum sentienti distinctionem animæ & corporis in se, doctrinam de cogitationibus & ideis vellet proponere. Hi nempe sunt fructus Philosophiæ Gentilis, sive Platonicæ, sive Aristotelicæ, sive Cartesianæ, (scio quæ scribo) sive alterius cujuscunque. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, est ipsi stultitia. Quomodo ergo ipse informari possit de tertia parte, quamdiu animalis est. At Christianus, qui Philosophiam suam in ipsa scriptura quærit, non solum sentit hanc partem ope gratiæ divinæ & verbi Dei, sed & observat, accuratâ distinctione harum partium notatâ, totam scripturam melius intelligi, fontes penè omnes errorum inde cognosci, imò impossibile esse, ut ullus fidei articulus, & maxime controversus ille de justificatione, clarè & distinctè percipiatur, si pagana illa & à Diabolo statim post lapsum introducta sententia, de essentia hominis in ratione consistente, & duabus saltem partibus hominis, pro fundamento vel scientiæ vel fidei ponatur.*

4. Ut tamen illa explicatio textuum scripturæ, quâ sibi unanimiter placent duarum partium

um assertores, (quasi scilicet intelligantur unius animæ facultates duæ) apertè falsitatis convincatur, rogo eos, velint mihi ad id respondere. Facultates duæ unius partis, quam diversæ etiam sint, non tamen possunt sibi esse contrariæ, h. e. una pars non poterit contraria esse sibi ipsi. At vero spiritus & anima sunt sibi invicem adversa. Spiritus animalis hominem ad creaturas trahit; Spiritus Dei hominem â creaturis abducit ad Deum. Neque hoc negabunt credo, dissentientes. Hæ sunt istæ duæ oppositæ leges, quas Apostolus in se sensit. Res ergo diametraliter oppositæ & pugnantes sunt partes omninò distinctæ, certè non sunt pars una.

5. *At, inquies, ita non es γνησίως Lutheranus! At inquam ego, sufficit, si sim Christianus. Sed fortè Lutherus ipse tres partes agnovit. Ita enim disserit tom. 6. Witt. p. 13.* Die Schrifft theilet den Menschen in drey Theile / da St. Paulus 1. Thessal. ult. sagt: Gott der ein Gott des Friedens ist / der mache euch heilig durch und durch / also / daß euer gantzer Geist / Leib und Seele unsträfflich erhalten werde auff die Zukunfft unsers HErrn JEsu Christi / und ein jegliches dieser dreyen sampt

dem gantzen Menschen wird auch getheilet auf eine andere Weise in zwey Stück / die da heissen Geist und Fleisch / welche Theilung nicht der Natur / sondern der Eigenschafft ist / das ist: die Natur hat drey Stück / Geist / Seel und Leib / und mögen allesampt gut oder böse seyn / das heist denn Geist und Fleisch seyn / davon itzt nicht zu reden ist. Das erste Stück der Geist / ist das tieffste / höchste / edelste Theil des Menschen / damit er geschickt ist / unbegreifliche / unsichtige / ewige Dinge zu fassē / und ist kürtzlich das Hauß / da der Glaube und GOttes Wort innen wohnet / davon David Psalm 15. sagt: HErr / mach in meinem inwendigsten einen richtigen Geist / das ist: einen auffgerichten starcken Glauben. Wiederumb von den Ungläubigen Psalm 77. Ihr Hertz war nicht richtig zu GOtt / und ihr Geist war nicht im Glauben zu GOtt. Das ander die Seele ist eben derselbe Geist nach der Natur / aber doch in einem andern Werck / nemlich in dem / daß er den Leib lebendig macht und durch ihn würcket / und wird offt in der Schrifft für das Leben genommen / denn der Geist mag wohl ohne den Leib leben / aber der Leib nicht ohne den Geist. Diß Stück sehen

wir/

wir / wie es auch im Schlaff und ohn Unterlas lebet und würcket / und ist sein Art nicht / die unbegreiflichen Dinge zu fassen / sondern was die Vernunfft kennen und erkennen kan / und ist nemlich die Vernunfft hie das Licht in diesem Hause / und wo der Geist nicht mit dem Glauben als mit einem höhern Licht erleuchtet / dis Licht der Vernunfft regieret / so mag sie nimmermehr ohne Irrthum seyn / denn sie ist zu gering in göttlichen Dingen zu handeln. Diesen zweyen Stücken eignet die Schrifft viel Dings zu / als Sapientiam und Scientiam, die Weißheit dem Geist / die Erkäntniß der Seelen / darnach auch Haß / Liebe / Lust / Greuel und dergleichen. Das dritte ist der Leib mit seinen Gliedern / welches Werck seyn nur Ubung und Brauch / nachdem die Seele erkennet / daß der Geist gläubet / und daß wir des ein Gleichniß anzeigen aus der Schrifft / Moses macht ein Tabernackel mit dreyen unterschiedlichen Gebäuen / das erste hieß Sanctum Sanctorum, da wohnet GOtt innen / und war kein Licht drinnen; Das andere Sanctum, darinn stund ein Leuchter mit sieben Röhren und Lampen; Das dritte hieß Atrium der Hoff / das war unter dem Himmel öf-

sentlich für der Sonnen Licht. In derselbigen Figur ist ein Christen-Mensch abgemahlet/ sein Geist ist Sanctum Sanctorum, GOttes Wohnung im finstern/ Glauben ohne Licht/ denn er gläubt / das er nicht siehet/ noch fühlet/ noch begreiffet. Seine Seel ist Sanctum, da sind sieben Licht / das ist / allerley Verstand/ Unterschied/ wissen und Erkändniß der leiblichen / sichtlichen Dinge. Sein Cörper ist atrium, der ist jedermann offenbahr / daß man sehen kan / was er thut / und wie er lebt. Nun bittet Paulus / GOtt der ein GOtt des Friedens ist / wolle uns heilig machen / nicht in einem Stück allein / sondern gantz und gar/durch und durch / daß Geist / Seel und Leib / und alles heilig sey. Von Ursachen solches Gebeths wäre viel zu sagen.

6. *Adducit hunc locum Lutheri Dannhauerus* Hodosoph. Phænom. 5. p. 420. seq. *Et tamen ausus est ei præmittere hoc assertum:* Delirant, qui tres hominis partes fingunt. Audiendus Lutherus &c. *Atqui Lutherus expresse tres partes à Scriptura fieri asserit, illas exponit; Ergone vel Lutherus delirat, vel scripturæ sacræ delirium attribuit? At Lutherus dicit tamen:* Das

ander/

ander / die Seele ist eben derselbe Geist nach der Natur. *Fateor hic obscurasse Lutherum doctrinam suam.* Sed *tamen non asserit duas partes, sed tres. Nec poterit asserere duas secundum propriam hypothesin. Recte* Anima *est* Spiritus *Naturæ. Et* Spiritus *est ex ipsius propria definitione spiritus Gratiæ. Gratia & Naturæ iterum sunt opposita, quà talia. Opposita quà talia in una parte non sunt. Adde:* S*anctum &* S*anctum* S*anctorum sunt partes distinctæ. Uno verbo: Omnia rectè & convenienter scriptura Lutherus, exceptis solis verbis:* eben derselbe Geist. *Quæ si demas, nobis conspirat amicè. Quicquid tamen sit, sentiat Lutherus cum dissentientibus. Non sum baptizatus in Lutherum.*

AUGUSTUS.

DIVISIO ENTIS IN DEUM ET CREATURAM.

(Autore eodem.)

§. 1.

NOta eſt entis in Deum & creaturam diviſio.

§. 2. Hæc præferri meretur diviſioni entis in ſubſtantiam & accidens, ex eo, quod Deum non conjungit in eandem claſſem cum ulla creatura, quod omnino divina Majeſtate dignum eſt. Talis verò conjunctio deprehenditur aliàs in alterâ diviſione entis in ſubſtantiam & accidens, ſub ſubſtantia enim Deus & quædam creaturæ. *a*)

a.) Proficiſcuntur hæc ex hypotheſi, quod diviſio entis in ſubſtantiam & accidens ſit entis à finito & infinito abſtracti: Nam ſi ſolius entis ſit finiti: peccat ea diviſio, quæ Deum plane excludit: vel peccat potius ambiguitate vocis, dum ens accipit pro ſolo finito, quaſi infinitum non eſſet ens.

§. 3. Viciſſim tamen entis in ſubſtanti-

ſtantiam & accidens diviſio commodior videatur ex eo, quod ſit adæquata ubi contra illa, quæ fit in Deum & creaturam, inadæquationis laboret vitio; nec enim comprehendit peccatum, quod cum ſit ens, nec Deus eſt tamen, nec creatura, ſi enim creatura eſſet, à Deo eſſet.

§. 4. Huic reprehenſioni facile quidem occurrent illi, qui negant, peccatum eſſe ens: verum cum omninò exiſtat peccatum, ſitque ſimul aliquid poſitivi, nec pura puta privatio, id quod orthodoxi Theologi demonſtrant, numero entium eximi non poteſt: qua ratione ſalva eſt adhuc iſta reprehenſio. Quid ergò dicemus?

§. 5. An illud, tanti eſſe nobis peccatum non debere, ut de eo in entium diviſionibus ſalvando cogitationes ſuſcipere debeamus? Verùm hæc reſponſio plauſum à populo rudi ferat citiùs, quàm eo qui ſtudet accurationi.

§. 6. Omninò fatendum eſt, eſſe diviſionem inadæquatam. Ut adæquata verò fiat, duobus evenire modis poteſt,

ſi nempe vel diviſum reſtringamus, vel membra dividentia dilatemus.

§. 7. Diviſum reſtringes ubi dices, Entis vocabulo ſolam intelligi ſubſtantiam. *a*)

a) Aut aliud quid tale, quod peccatum ita excludat, ut locus nihilominus ſit diviſioni in Deum & creaturam: tale quid eſt, ſi dicas, ſolum ens bonum intelligi. Peccatum enim eſt malum. Sic ſi ſola intelligatur ſubſtantia, & excludes peccatum, accidens quippe: utrobique nihilominus poteris tale ens dividere in Deum & creaturam. Et huc referas, quod ait Scheiblerus *Metaph. p. 135. Dividunt iſta* (creatum & increatum) *Ens immediate. Omnis ſubſtantia, ſeu res, quæ Deus non eſt, creatura eſt. Aug. Itn. lib. 1. de Trin. c. 6.*

§. 8. Sed præſtat clarius eloqui quid velis. Dicam ergò, non diviſionem hanc eſſe entis in genere, ſed ſubdiviſionẽ alicujus entis in ſpecie. Cujus ergò? ſubſtantiæ vel entis boni. Sic enim peccatum non ſe queri poterit injuriâ excluſum, quippe, quod nec ſubſtantia ſit, nec bonum.

§. 9. Membra dividentia dilatandi

di duplex ſe pandit medium, ut aut tria facias è duobus, aut creaturæ ſubſtituas terminum aliquem communiorem, qui in creaturam & peccatum ſimul compe-tat, non competat in DEUM. Omninò cum creaturâ potiùs conjungendum fue-rit peccatum, quàm cum Deo. Peccare enim Deus non poteſt, effectus creatu-ræ peccatum eſt, non Dei.

§. 10. Juxta priorem modum di-cam: Omne ens vel Deus eſt, vel crea-tura, vel neutrum, h. e. nec Deus, nec creatura, & in hoc neutro genere eſt peccatum.

§. 11. Juxta poſteriorem dicam: Omne ens eſt vel infinitum, ſolus Deus, vel finitum. Aut omne ens vel à ſe eſt, ſolus Deus, vel ab alio: & ſi quæ ſunt de hoc genere diſtinctiones plures. *b*)

b) Vid. Scheib. lib. I. Metaph. c. XIII. tit. 4. p. 153. *ſeqq.* ubi promittit alias diviſiones entis, quæ debeant æquipollere diviſioni en-tis in infinitum & finitum. Sunt autem ſe-quentes:

(1) Ens à ſe & ab alio p. 155.
(2) Independens & dependens 154.
(3) Increatum & creatum 155.

[4] Ens

(4) Ens per eſſentiam & participationem 156.
(5) Pure actuale & potentiale ib.
(6) Pure neceſſarium & contingens p. 157.
(7) Incircumſcriptum & circumſcriptum ib.

§. 12. Ens autem ab alio, item finitum ſubdividi jam poterit in creaturam & peccatum. Ut adeò falli videatur Scheiblerus, cum *p. 155. Metaph.* diviſionem entis in increatum & creatum putat æquipollere diviſioni in infinitum & finitum. E tribus enim unum neceſſe eſt, ut aut peccatum habeat numero non entium, aut ſub ente locet increato, eidemque adeò conceptui includat cum Deo ſeparatim à creatura; aut etiam peccatum defendat eſſe ens creatum. Quorum nihil ſine abſurditate vel inconvenientia dici videtur poſſe. *c*)

c) Videtur autem Scheiblerus non ſtatuere, quod peccatum ſit ens increatum, idem enim illi ens increatum, quod infinitum p. 155. neque quod ſit ens creatum: ſed quod ſit non ens, ut colligo ex pag. 35. Metaph. & Logices p. 110. n. 16. ubi entis acceptionem adſtringit ad ens, quod veram & realem

&

&positivam essentiam habet, &privationes excludit. Tametsi autem non ibi est expressa peccati mentio; est tamen cœcitatis mentio (*Metaph. p. 35. lin. 1.*) quam & ipse, adeò sub illa entis acceptione comprehendit, quam à suo scopo vult esse alienam.

* *Duo hic sunt notanda. 1. Divisionem entis in Deum & creaturam esse meliorem divisione in substantiam & accidens: cui sententiæ in tantum accedo, ut arbitrer totam scalam prædicamentalem substantiæ & divisionem entis in substantiam & accidens esse falsam, obscuram, & unam ex principalioribus causis omnis erroris atque rixarum in Ecclesiâ & societate eruditorum. 2. Quomodo respondendū sit ad objectionem de inadæquatione divisionis in Deum & creaturam, propter peccatum? Hic equidem mihi tot cautelis non videtur esse opus. Sed ita dicerem. Ens est vel primum vel ortum. Sive: Ens est vel Ens strictè dictum vel affectio entis. Aut: Ens est vel extra mentem, vel cogitatio mentis de ente abstracta. Omnes hæ divisiones sunt divisiones analogæ, species nobilissima est ens primum, strictè dictum, res extra mentem. Ergo hæc analogata nobilissima intelliguntur voce Entis absolutè positâ. Hoc igitur ens rectè dividitur in Deum*

&

& creaturam. Peccatum vero est ens ortum *ab homine vel diabolo, est* affectio *creaturæ, est* cogitatio mentis abstracta *de creatura vel homine. Ulterius dividerem Creaturam in simplicem seu Spiritum Angelicum, & compositam ex Spiritu & Materiâ, seu Corpus, & ita porrò. Scio non sapiet hæc subdivisio Philosophis nostris, seu Cartesianis seu Aristotelicis, igitur neque subdivisiones Corporis tradere volo, ne scandalizentur nimium, sed interim hunc bolum concoquant.*



SEPTEM PARTES ANIMÆ SECUNDUM SORANUM.

(Autore eodem.)

§. I.

DIvidi animam in partes septem à Sorano, docuit nos Tertullianus lib. de anima *f.m.650.*

a) Verba ejus: *Dividitur autem* (anima) *in partes, nunc in duas à Platone, nunc in tres à Zenone, nunc in quinque & in sex à Panætio, & in septem à Sorano, etiam in octo penes Chrysippum, etiam in novem penes Apollophanem; sed & in decem*

decem apud quosdam Stoicorum, & in duas amplius apud Posidonium.

§. 2. Fatetur Lipsius *III. Physiol. Stoic. diss. 17. p. 184.* ubi hoc ipsum è Tertulliano affert, nihil ultra se hic scire aut legisse. *b*)

b) Cum aliàs ad singulas à Tertulliano memoratas quædam annotavisset.

§. 3. Ego quæro primùm, quis ille sit Soranus? Ubi vix dubium quidem esse potest, quin sit idem, quem Tertullianus eodem libro *f.* 944. methodicæ doctrinæ instructissimum autorem vocans, quatuor voluminibus plenissime super anima commentatum scripserat.

§. 4. Sed nondum satis ita constat, quis ille fuerit, cum Soranos Professione Medicos tres fuisse constet, Ephesios duos, unum Cilicem, ut Vossius è Suida docet *p. 414. de Histor. græc.* e)

c) Quanquam duos tantum Soranos è Suida profert Castellan. vit. Medic. p. 12. Suidam ipsum vide.

Præsertim cum methodicæ Sectæ utrumque Ephesium fuisse, videatur haud difficulter ostendi posse. *d*)

d) Nam

d) Nam ambos fuiſſe Theſſali Sectatores, è Cælio Aureliano prodit Caſtellan. *d. l.* Theſſalum autem methodicæ Sectæ fuiſſe innuit Reineſ. *p. 651. Variar.* his verbis: *Etſi enim Methodicorum ſectæ fuerit adſcriptus,* (Cælius) *quod inde conjicitur, quia Themiſonis, Theſſali & Sorani, quem Principem identidem appellat, & ſemper ſequitur, dogmata frequenter repetit & illuſtrat.* Ubi vides & Sorani fieri mentionem, quem quidem Reineſius idem *p. 654.* dum ait Adriani Principatu celebrem fuiſſe, tacitè innuit illum è duobus Epheſiis majorem ut è Suida intelligitur.

§. 5. Probabile tamen eſt, è duobus iſtis Epheſiis Soranum hunc Tertulliani fuiſſe majorem, quem Suidas *f. m. 664.* memorat Trajano & Hadriano Imperatoribus Romæ feciſſe medicinam. Atque de hoc etiam Tertullianum exaudit Jo. Bapt. Criſpus Gallipolitanus *f. 184. de ethn. cautè leg.* e)

e) Continet quæ lit. præced. tetigi è Reineſio.

§. 6. Pergo nunc, & quæro amplius, quænam ſint ſeptem animæ partes ad mentem Sorani. Quod ſanè difficile eſt ſtatuere. Quanquam enim Suidâ teſte

multos

multos & pulcherrimos ſcripſit libros: tamen horum nullus, quod ſciam ætatem noſtram vidit, is præcipue, quem voluminibus quatuor, ut modò ê Tertulliano audiebamus, ſcriptum ad præſentem quæſtionem maxime conducere poſſe conſentaneum eſt.

§. 7. Nec audiam, ſi quis diceret habere nos Sorani hujus Epheſii Iſagogen in artem medicam Baſileæ à Cratandro excuſam *An. 1528. in fol.* Hunc enim nullius eſſe è tribus iſtis Soranis, verum Latini Scriptoris, in Originum libris oſtendiſſe ſe ait Voſſius *d. l. p. 415.*

§. 8. Videamus tamen, nunquid afferat in rem præſentem Soranus iſte: *Trinâ*, inquit, *c. 14. f. 6. ratione continetur homo atque dividitur. Virtus namque animæ, quæ regit totum corpus, dicitur* ζωτικὴ, θρεπτικὴ & ψυχική. *Zotice eſt virtus vitalis, quæ facit vitam membris vel corpori toti, in corde conſiſtens. Treptice eſt virtus, quæ paſtum tribuit membris corporis. Pſychice ſedem in capite, i. e. in cerebro habet, quæ ſenſum facit, motumque præbet, & intellectum nutrit.*

 §. 9. Vel

§. 9. Vel hæc prodant, diversum esse Soranum hunc, quisquis est, ab illo Tertulliani, animam in partes septem dividente. Non septem, sed tres facit animæ sive partes, sive facultates, in totidem corporis membra principalia digestas, ut vitalis in corde sit, nutritiva in infimo ventre, (licet hoc obticeat) animalis in capite vel cerebro. Quæ eadem & veterum fuit multorum divisio, quanquam paulo aliter explicanda. Horum enim tres partes forsan ita commodissime concipias, ut illam quæ in infimo sit ventre, plantalem imagineris, quæ in pectore, animalem, quæ in capite, humanam. At Soranus hic plantalem secare videtur in partes duas, quarum altera, quæ nutritionem tribuat, infimo ventri, quæ vitam, pectori insideat; animalem & humanam habet pro una, capitaque imponit, hic enim non intellectum modò, verum & sensum atque motum collocat.

§. 10. Suspicetur hinc aliquis fortè, huic Sorano, cum sensum ita & intellectum eodem censu habeat, animam

homi-

hominis rationalem habitam fuisse mortalem. Cumque eandem opinionem suo quoque Sorano tribuat Tertullianus *f. 644.* cogitare incipiat, num forte Soranus iste, quem habemus, veteris istius saltem æmulator fuerit, sententiasque ipsius fecerit suas. Quâ ratione & ineunda sit ratio, ut animæ illam trimembrem divisionem conciliemus cum altera septimembri.

§. 11. Id quod ita fieri poterit, si dicamus, facultatem illam ψυχικὴν, à qua sensus esse dictum est, reverà esse pro numero sensuum, de quibus mox capite sequente Soranus iste, quintuplicem: quo pacto duabus cæteris partibus ζωτικῇ & θρεπτικῇ annumeratis habebimus septem. Enimverò similem in modum Zenoni Stoico, quod Lipsius, ubi supra, docebit, octo prodibant animæ partes, quinque scilicet sensuum, sexta τὸ ἡγεμονικὸν, septima facultas loquendi, octava facultas generandi.

§. 12. Verum obstat, quod isto pacto latinus ille Soranus non septem, sed

octo aut novem partes animæ numerare cogitur. Tribuit enim illi ψυχικῇ facultati non modo sensum, sed etiam motum & intellectum. Itaque sub hac sola facultate non modo quinque sensus erunt, sed etiam sexto loco motus, & septimo intellectus: quibus si addes facultates cæteras, ζωτικὴν & θρεπτικὴν, numerabis novem.

§. 13. Alia ergo ineunda ratio est, ut septem Sorani partes expediamus. Salmasius *p. 159. in Epictetum*, cùm attulisset Porphyrii sententiam, quæ partium animæ divisionem, quâ tres tantum ponantur (τὸ ἡγεμονικὸν puta, τὸ θυμικὸν & τὸ ἐπιθυμητικὸν) negat esse plenam, quia non complectatur omnes animæ partes, siquidem omissæ sint, τὸ φανταστικὸν, τὸ αἰσθητικὸν, τὸ νοερὸν, & τὸ φυσικὸν, quo pacta ἑπταμερὴς ψυχὴ evadet; subdit ex Tertulliano, etiam Soranum animam in septem partes divisisse, sed nescire se addit, an in easdem, puta, quæ sic est, Porphyrio sint memoratæ. Sanè verò non videtur Porphyrius certum

certum inire partium animæ numerum voluiſſe. Quicquid ſit, hæc una poterit eſſe expoſitio.

§. 14. Altera, ſi Soranum exponamus ſecundum illorum Philoſophiam, qui animam apud Macrobium *l. in Somn. Scip. c. 12. ſub fin.* ſciſcebant in deſcenſu per Sphæras ſeptem planeturam á ſingulis planetis ſingulas haurire facultates, à Saturno videlicet τὸ θεωρητικὸν, à Jove τὸ πρακτικὸν, â Marte τὸ θυμικὸν, à Sole τὸ αἰσθητικὸν καὶ φανταστικὸν, à Venere τὸ ἐπιθυμητικὸν, a Mercurio τὸ ἑρμηνευτικὸν, à Luna τὸ φυσικόν. *f)* Verum ſi Soranus animum putavit

f) Confer. Voſſ. de Idolol. f. m. 206. Mercur. Trismeg. in Pimandr. p. m. 21. Danæ. de hæreſ. p. 199. n. 4.

eſſe mortalem, vix probabile eſt eum iſti animarum per Orbes planeticos deſcenſioni aſſenſiſſe. Adde quod iſta facultatum animæ partitio non tàm ſpontanea eſt, quàm coacta ad numerum planetarum.

§. 15. Experiamur ergò tertiam

expoſitionem. Suppeditabit eam Nicetas Choniata, qui *cap. 49. Theſ. orthodox. fidei p. m. 143.* ſic dividit ac ſubdividit, ut extremæ partes prodeant hæ ſeptem. 1.) τὸ λογικὸν rationale. 2. τὸ ζωτικὸν vitale. 3. τὸ σφυγμικὸν (ſic enim legendum eſſe mox docebo) pulſativum. 4. τὸ σπερματικὸν generativum. 5. τὸ θρεπτικὸν nutritivum. 6. τὸ θυμικὸν, iraſcibile. 7. τὸ ἐπιθυμητικὸν concupiſcibile. *g*)

g) Verba ejus ex verſione P. Morelli hæc ſunt: *Facultas animæ duplex eſt, alia enim rationis capax, alia bruta. Jam brutæ facultatis duo ſunt genera. Unum earum, quæ brutæ omninò ſunt, nec rationi obediunt, alterum earum, quæ rationi quodammodo parent: Bruta omnino ea pars eſt, quæ vitalis & conſtrictiva dicitur, item generativa, denique generativa, quæ alias nutritiva vocatur, ſub qua ea quoque comprehenditur, quam vegetativam vulgus vocat, & quæ corpus efformat. Hæc enim non ratione, ſed natura reguntur. Ejus autem, quæ rationi paret, duæ ſunt ſpecies, cupiditas & animoſitas. Cæterum bruta illa pars animæ vulgo affectativa & appetitiva dicitur. Sciendum præterea eſt, ad rationi parentem brutæ facultatis animæ partem illum quoque concitum ad rem optatam motum referri ſolere.*

Schema

Schema hoc foret, quod græcè efferam, vocabulis iis, quæ partim à marginalibus Morelli suppeditantur, partim ab ingenio meo offerentur.

Μέρος ψυχῆς

λογικὸν - - 1

ἄλογον

πάντως

ζωτικὸν - - 2

σφυγμικὸν - - 3

σπερματικὸν - - 4

θρεπτικὸν - - 5

* - - Huc refer & τὸ φυτικὸν πλαστικόν.

πῶς

τὸ θυμικὸν - - 6

ἐπιθυμητικὸν - - 7

* Huc refer & τὸ κινητικόν.

§. 16. Σφυγμικὸν hîc scripsi, ac verti pulsativum, ut notetur illa facultas pulsuum in arteriis, σφυγμὸς enim pulsus est arteriarum. Interpreti in oculis fuit σφιγμικὸν quod ipse constrictivam vertit facultatem, quasi esset à σφίγγω. Verùm hâc ratione σφιγκτικὸν dicendum fuerat, non σφιγμικόν. Τὸ σφυγμικὸν vero non ignotum est plane doctrinam de animâ tractantibus. Expresse

ſe autem Nemeſius c.22. περὶ φυσ. ἀνθρ. ac plane uti Nicetas, ad vim animæ irrationalem eam refert, quæ rationi non obtemperet. *h*)


h) Verba ejus hæc ſunt græce pag. 109. Τοῦ δὲ μὴ πειθομένου λόγῳ ἐστὶ, τὸ δὲ θρεπτικὸν καὶ γεννητικὸν, καὶ σφυγμικόν. Καλεῖται δὲ φυσικὸν μὲν τὸ γεννητικὸν, καὶ θρεπτικὸν, ζωτικὸν δὲ τὸ σφυγμικόν. Vertit Ellebodius p. 82.83. *De genere eo, quod rationi non paret, eſt, in quo nutriendi, procreandi, & pulſuum vis ineſt. Quorum duo illa naturalia, hoc poſtremum vitale nominatur.* Τοῦ σφυγμικοῦ *apud eundem quoque mentio eſt poſtea* c. 24. §. 112.

§. 17. Cæterùm ne quid hic diſſimulem, talia ſunt, quæ diſſerit Nicetas, ut partes etiam plures, quam ſeptem ex eo numerare quis facili negotio poſſit, & vel ad denarium usque numerum procedere jubet. Illis enim facultatibus brùtis, quæ rationi non obtemperant, præter τὸ ζωτικὸν, σφυγμικὸν, σπερματικὸν & θρεπτικὸν, ait comprehendi quoque

que præterea vegetativam facultatem, & eam, quæ corpus efformat; sub cæteris autem quæ parent, in quibus alias τὸ θυμικὸν & ἐπιθυμητικὸν locat, etiam facultatem locomovendi.

§. 18. Ergò neque in Niceta præsidii satis est ad eruendam Sorani divisionem. Quid inde tandem? Fatendum est, de Sorani mente divinare nos tantum; accuratè vero pronunciari vix posse, nisi germana ejus Scripta teneamus, aut testes idoneos. Quare ulterius inquirendum.

* *Sive istæ Sorani sive aliorum Gentilium opiniones de divisionibus partium aut facultatum animæ, non curantur valde ab animo sapientiæ veræ incumbenti. Hic potius inquirit & meditatur in humilitate, quomodo* πνεῦμα & ψυχὴ, *spiritus divinus & anima, quam homo cum aliis creaturis communem habet, secernatur; aut scrutatur fraudes cordis sui, quot modis ipsum spiritus animalis decipere & cor à Deo ad creaturas avertere tentet. Hæc sancta, hæc sapiens meditatio est.*



SEPTEMBER.

PERSARUM PLATONICORUMQVE TRINITAS, à SACROSANCTA CHRISTIANORUM TRINITATE DISTINCTISSIMA.

(Autore eodem)

§. 1.

QVæri ſolet: Num SSanctæ Trinitatis myſterium etiam gentilibus Philoſophis innotuerit? Ad hanc quæſtionem ubi reſpondendum eſt, duas veluti vias invenio.

§. 2. Sunt enim, qui amant mirabilem conſenſum oſtendere, in eô certe laborare, ut major appareat inter noſtram gentiliumque doctrinam concordia, quàm diſcordia. Quod imprimis faciunt Auguſtinus Steuchus, *a)* Philippus Mornæus, *b)* Mutius Panſa *c)* & Livius Galantes, aliique. *e)*

a) Lib. 2. de perenni Philoſ. c. 3. &ſeqq. p. 104. ſeqq. *b)* cap. 6. verit. relig. Chriſt. p. 65. ſeqq. *c)* de oſcul. Ethn. & Chriſt. Theol. p. 36. ſeqq. p. 185. ſeqq. *d)* lib. III. comparat. Chriſt.

Christ. Theol. cum Platon. f. 86. seqq. *e*) in his porro Claud. Mamert. è vetustiorib. cujus locus proferetur infrà.

§. 3. *S*unt alii, qui ut maxime vestigia quædam in scriptis gentil. deprehendant, quæ ad *SS*tæ Trinitatis confessionem alludere videantur, ipsos tamen gentiles ajunt ignorasse, quæ scriberent, *f*) aut ostendant etiam, quàm manca sit gentilium doctrina *g*) fatenturque similem esse quidem, sed minimè eandem. *h*)

f) Joh. Lud. Viv. de vel. fid. p. m. 193. *Illuxit quoque & gentilitati veritatis hujus radiolus.* Et p. 195. *Etenim Plato & alii omnes, si quid de filio dicebant, loquebantur magis, qvam quid loquerentur, sciebant vel intelligebant.* Id. ad X. Aug. de C.D. 23. p. 578. *Philosophi prisci, si quid dixerunt, quod ad hanc rem faceret, tàm obscurum id fuit, ut locutos potius eos, quàm intellexisse existimare par sit.* *g*) Theoph. Raymaudus distinct. S. Theol. naturalis, ita procedit (1) n. *190.* p. 548. ostendit: *Cognitionē de Deo ex puro naturæ lumine parabilem esse tantum de Deo prout uno.* (2.) n. 191. p. 549. *Philosophos tamen Trinitatem agnovisse.* (3) n. 193. p. 550. *unde ea Trinitatis notitia in Philosophis & quibusvis Ehnicis, nominatimq; in Sybillis?* (4) n. 195. p. 552. *Ea Trinitatis notitia apud*

Ethni-

Ethnicos quam manca? h) Gerh. Tom. I. Loc. Theolog. Tit. de S. Trinitatis mysterio c. 13. n. 74. p. 376. *Quicquid in Philosophorum Scriptis de hoc mysterio legitur, vel simile tantum quippiam, & neutique idem est, vel ex scriptis Prophetarum præsertim Mosis id suffurati sunt. Similia leges ap. eund. in Exeges. Loc. III. de Sanctiss. Trin. myst. n. 30. p. 942.*

§. 4. Hic omninò magis approbare se nobis debet posteriorum ratio, nam priores illi circa quæstionem de notitia *S.* Trinitatis peccant in excessu, quibus omnino contradicendum est.

§. 5. Quod de excessu dixi, sic intelligatur. Certum est, notitiam hanc salutarem de tribus in una indivisa essentia personis Divinitatis semper fuisse Ecclesiæ veræ, illæque toti, h. e. membris ejus, tum sub V. tum sub N. Testamento. Hæc media quasi via est inter extremas duas, quarum una excedens, hanc notitiam gentilibus vult quoque communem nobiscum fuisse; deficiens altera negat eam Patribus Vet. Testamenti, qui tamen, licet hoc mysterium non ita clare sibi, ut in novo postea Testamento factum

ctum eſt, revelatum habuerunt, non tamen ejus notitiâ penitus debent excludi.

§. 6. Exceſſum, quem dixi, optime fugiemus, ſi ſtudebimus oſtendendo Religionis Chriſtianæ ac Gentilis diſſenſui potiùs quàm conſenſui. Atque hac in re juvabit opinor imprimis meminiſſe, tùm quis gentilium loqvatur, tùm qvid loqvatur.

§. 7. Primò, inqvam, vide, qvis loqvatur? Huc autem refero primum discrimen inter Scriptorem γνήσιον & νόθον. Multa ſolent è Syibllarum, ex Hermetis Trimegiſti, ex aliorum proferri libris, qvos, qvibus cor ſapit, hodie, ſciunt ſuppoſititios eſſe & confictos. Itaqve horum, ſi maxime dicant cum noſtra fide multum concinentia, parum aut nihil potius ponderis habebit auctoritas, ut ſatius ſit, eos à dicendo ſuffragio plane excludere.

§. 8. Secundò etiam huc refero diſcrimen ipſorum γνησίων gentilium, qvorum alii ante, alii poſt natum vixere Chriſtum.

§. 9.

§. 9. Qvi ante natum Christum vixerunt, horum sententiæ maxime discrepantes à nostra deprehenduntur, ac vix patientur se ad nostræ similitudinem, nisi maximam vim inferas, flecti.

§. 10. Cujus qvidem rei ratio hinc maxime deprehendetur. Nam si vetusti gentiles illi mysterii hujus notitiam habuerunt, necesse est, eam aut naturalibus debuerint principiis, aut revelationi ad se sparsæ. Neutrum dici potest.

§. 11. De naturalibus principiis res certa. Manet enim hoc mysterium rationi imperscrutabile. Nam licet reperti sint, qvi demonstrationes hic audeant nobis è naturæ lumine polliceri, tamen à cordatioribus Theologis horum semper, idqve suo merito, reprobata est sententia.

§. 12. Nec ad revelationem hic possumus confugere, qvandoqvidem illo tempore gentibus nondum Evangelium, cum qvo illa de S. Trinitate doctrina cohæret, per Apostolos fuerat annunciatum.

§. 13. Sufficit, inqvies, famam

ad

ad eos ab Ecclesia Testamenti veteris sparsam fuisse. Si de fama loqveris rerum in veteri Testamento gestarum, nihil ea ad rem præsentem. Si de fama mysterii, probanda hæc est idoneis testimoniis, non apocryphis & suspectis, nihilve ad rem pertinentibus narrationibus. (* At poterit hoc etiam probari argumento verosimili, qvia Pythagoras Plato &c. Philosophiam suam debent etiam conversationi cũ Judæis.) Porrò cum mysterium hoc maxime à ratione abhorreat nostra, si maxime transiisset aliqva fama, qvis credat gentilibus rem persvaderi potuisse? Adde, qvod ipsis etiam Patribus mysterium non ita clarè, ut sub Novo Testamento, patuit.

§. 16. Altera generalis cautio erat, videndum esse, qvid qvisqve scripserit. Atqve hic imprimis comprehendenda est animo tum orthodoxa confessio de Sacra Trinitate, tum heterodoxa gentilium omnium de duobus æternis principiis persvasio.

§. 17. Fidei orthodoxæ confessio hæc est, (1) DEUM ab omni æternitate

extitis-

extitiſſe, neqve illi coextitiſſe ullum coæternum aliud, qvod ſit materia prima. (2) Hunc DEUM eſſentia unum eſſe. (3) Perſonis trinum. (4) Et ita qvidem ut Pater æternus ab æterno genuerit Filium & Spiritus S. ab utroqve ab æterno procedat. (5) Has tres perſonas coæternas & maxime ſibi æqvales eſſe. (6) Nec tamen eſſe tres DEOS, ſed unum DEUM.

§. 18. Ex adverſo gentilium hæc fere communis *l)* erat perſvaſio. 1. DEO ab æterno coëxtitiſſe materiam primam. 2. Horum duorum principiorum conjunctione ortum eſſe mundum. 3. Ex eſſentia DEI alios progeneratos eſſe *DEOS*. 4. Ut boni *DEUS* ſit principium, ita mali originem eſſe materiam. 5. Non omnes inter ſe *DEOS* æqvales eſſe; fortè nec omnes coæternos. 6. Multiplicatis individuis, multiplicari ipſam qvoqve Deitatis ſive principiorum primorum eſſentiam.

l) Fere inqvam communis. Cum enim illa doctrina gentilium falſa fuerit, non eſt, cur in ea conſenſum omnium reqviramus. Alii ergo aliter ſtatuebant. Id intelligendum ex ſingularum Sectarum nationumque dogmatibus ſpecialibus.

§. 19. Secundum hæc, ſi qua proferantur è gentilib9 Trinitatis teſtimonia, diligenter inſpiciendum eſt, an forte plura aut pauciora numerent principia, quam tria; ſi tria, an illa ſic diſtingvant ut nos, ut ſcil. à primo ſit ſecundum, ab utroqve tertium, an ſic etiam uniant, ut nos, ut ſcil. faciant eas ejusdem 1. bonitatis. 2. æternitatis. 3. eſſentiæ, puta, ut non multiplicetur eſſentia. Valde autem vereor, ut ullum proferri qveat veterum ante Chriſtum natum certum teſtimonium ex gentilitate, qvod hoc examen accurate ſuſtineat.

§. 20. Igitur commodum erit fortaſſe, diſcrepantiam doctrinæ gentilis & Chriſtianæ oſtendere in his tribus, puta, 1. in numero, ſi forte illi pro Triade nobis dyadem dent aut tetradem, & ita porro. 2. In differentiis perſonarũ, ne forte perſonam ſecundam non deducant â prima, ſed æq; ut primam à ſe ipſa, aut tertiam non ex utraq;, ſed ex ſola ſecunda, & ſi qua plura obſervari hic debent. 3. In convenientia perſonarum, ne forte pro æqualiter bonis ſubſtituant aliam bonam, aliam

malam, aut aliam ſumme bonam, aliam bonam inferiore gradu, ſic aliam æternam, aliam minus æternam; deniqve tres deos nobis aut tria principia, adeoqve tres eſſentias numerent pro una.

§. 21. Atqve in hoc ultimo ſine dubio deficit omnis Ethnicorum ſive ante, ſive poſt Chriſtum natum doctrina, multiplicatis enim individuis ſemper multiplicant eſſentias, nempe, qvod illa unius eſſentiæ indiviſibile myſterium ſit rationi humanæ impervium, & ſolis Chriſtianis pro nota qvaſi characteriſtica inſerviens.

§. 22. Qvæ in genere hactenus monui, ad ſingula gentilium teſtimonia applicare operoſum valde eſt. Hic ergò tribus tantùm teſtimoniorum generibus ſub examen revocandis, ero contentus. Qvorum primum repetetur è Perſarum, alterum è Platonis, tertium è Platonicorum qvorundam poſt Chriſtum natum Theologia. *m)*

m) Qvod è Germanorum Theologia repetiit Cluverius, diſcusſi in Programate anni ſuperioris 1670. in orationem Godofr. Barthii

thii Lipsiens. qvanquam ibi non exegi rem eâ methodo, qvam hic delineavi.

§. 23. Persarum nota sunt tria numina, Oromasdes, Mithras, Arimanius. Hæc ad SSanctam Trinitatem utcunqve trahit Mornæus, *n*) qvi cum ex Magorum doctrina Patrem, Filium & Amorem, h. e. Spiritum S. exsculpsisset, idem videlicet mysterium in ista Persarum triade latere existimat; inqvit enim: *Esto hæc Magicæ Theologiæ tanquam Epitome, quam tria principia posuisse alibi legimus, Oromasem, Mitrim & Ariminim: i. e. Deum, mentem, animam, qvod ex libris Magorum, si extarent, liqvidius esset.*

n) c. 6. de Verit. relig. Christ. Conf. Rhodig. VII. Antiq. Lect. 14. f. 346. unde repetit. Phil. Nic. II. Op. f. 279.

§. 24. Mihi contra persvasum est, nec illam Magorum Trinitatem esse cum Christiano dogmate comparandam, nec idem dixisse Magos illos, qvod in Oromasdâ, Mithrâ, Arimanio Persas: sed neutrum hic ostendere propositũ est. Id agam primum, ut intelligatur, Persarum illa tria Numina esse à nostro My-

ſterio magis ſeparata, qvam terram â cœlo.

§. 25. Antiqviſſimum apud Perſas, diuqve ante natum Chriſtum in illa Satanæ ſchola celebre dogma fuit, duo eſſe rerum principia, Oromasden atqve Arimanium, qvorum ex illo bona fluant omnia, ex hoc mala qvævis. *o*) Hoc itaqve primum diſcrepat, qvod illi dyadem hic habent, nos triadem.

o) Vid. Plut. de Iſid. & Oſir. f. 369. qvem Locum explicat Voſſ. l. de orig. Idol. f. 27. Briſſon. Pers. p. 162. Heurn. Phil. Barb. p. 254.

§. 26. Imò verò inqvies, etiam illi habent triadem, Mithram enim his duobus qvaſi medium qvoddam extremis interjiciunt. Eſto, trias tamen illa δὶς διὰ πασῶν diſſidet à noſtra, ſed hic videndum ante omnia, qvis ille ſit Mithras?

§. 27. Præ cæteris, qvibus cultum impendebant Perſæ, numinibus ſolem eos veneratos eſſe ait Briſſonius. *p*) Solem autem Mithræ nomine coluiſſe. *q*) Paſſim qvoqve vulgatum, Mithram Per-

ſarum

ſarum eſſe Solem: (Mithram ſupremum Numen Perſis fuiſſe, docebit & Voſſius de Idol. ll. 9. f. 179.)

p) ll. de Reg. Perſ. Princip. 158. *q*) ibi p. 160.

§. 28. Sed qvomodo Sol potuit à Perſis ipſo Orimasda Principe bonorum Deorum haberi ſuperior? Conſentaneum enim, qvi Principem aliqvem bonorum Deorum agnoverint, huic Principi neminem antetuliſſe: niſi forte data ſit aliqva gens in ſenſum adeò reprobum, ut ipſum malorum Principem anteferret Principi bonorum. Qvod ipſum ſi maxime de Perſis ſuſpiceris, redit tamen dubitatio, qvomodo Mithram facere ſummum Deorum potuerint?

§. 29. Res ſalva, ſi Mithran eundem Perſis & ſolem & materiam primam repræſentare dicamus. Nempe putaverunt Perſæ, materiam primam eſſe ignem, qvem cùm ſtabulari maxime in Sole crederent, factum inde, ut idem illis Sol, ignis, materia prima.

§. 30. Nondum inqvies, ita ſublata dubitatio. Qvomodo enim materia

prima Deorum bonorum Principe potior? Respondebo: Jure qvodam prærogativæ sive patriæ sive maternæ: Fingebant enim, materiam primam, qvam & Zaruam appellavit Zoroostres ut è Photio r) constat, utroqve DEO gravidam à

r) Phot. f. 199.

se ipsa videlicet, cum solum Orimasdam parere vellet, præ festinatione simul & alterum DEUM malignum, qvi Satanas ibi vocatur, visceribus effudisse. Superior ergo utroqve DEO Mithras, qvia utriusqve parens, sicuti superior Minerva Jupiter, qvam ajunt è cerebro suo peperisse.

§. 31. Jam qvis non videt, hæc qvam maxime discrepare à religione nostra?

§. 32. *Primum* enim tres illi Persarum Dii non boni sunt omnes, sed Mithra qvidem indifferens, Orimasda bonus, Arimanius malus.

§. 33. *Secundo* nec ejusdem ævi omnes: Utraqve enim prole sua antiqvior Mithra.

§. 34.

§. 34. *Tertiò* deerunt & perſonarum juſtæ differentiæ. Ubi illud præmonendum, videri qvidem, qvi Trinitatem Perſicam ad noſtram religionem pertrahunt, Oromasdam de Patre, Mithram de Filio, Arimanium de Spiritu *S.* interpretati, ſed magis conſentaneum iis, qvæ docuimus, ut ex Mithra faciant Patrem. Hic enim illud diſſonat, qvod tertium ſuum DEUM non ex utroqve priore, ſed è ſolo primo deducebant. *s*)

s) Quæ porro blaſphemia, Spiritum S. comparare Arimanio, i. e. Satanæ? At, inquies, Arimanius mihi non Satanas eſt, ſed Anima mundi. Hoc enim dicas voluiſſe Rhodiginum & Mornæum. Reſpondebo, videant nihilominus, an non illa mundi anima talis ſit, qualem Plutarchus è Platone deſcribit nobis, ipſam quoque omnis mali originem atque radicem. Illud addo, qui Mithram facit filium, ſuccurri quidem ipſi aliquo modo poſſe ex eo, quod admodum ſimile hoc vocabulum Metatron, quem niſi fallor, genium ſolio, & principem angelorum volunt eſſe Rabbini. Sed videndum, (1) an ſit hoc ſatis accommodum Perſarum inventis? (2) Si maxime ſit, obſecro, quot hic iterum diſcrepantiæ à religione ſana? Ergone

gone filius Dei ſit Angelorum aliquis, utut Princeps reliquorum? Ario placeat hoc fortaſſe, non Chriſtianis.

§. 35. *Quarto:* Hos tres DEOS ſuos certe Perſæ non dicebant unum eſſe Deum, ſed cum iis multiplicari ipſam qvoqve entis principalis naturam atqve eſſentiam.

§. 36. Tantum de Perſis. Venio ad Platonem. Qvem qvidem ſanctisſimi myſterii eximia cognitione præditum vult fuiſſe Claudianus Mamertus, ſed nos magis hic rationem qværimus qvam autoritatem. Dignus tamen ejus locus, qvem hic exponamus.

§. 37. Probare vult ille, animam hominis ſpiritum eſſe, non corpus, in eaqve re utitur & gentilium Philoſophorum teſtimoniis lib. II. de ſtatu animæ c. 1. in qvibus, ubi ad Platonem perventum eſt, incredibili eum ornat elogio, maxime illud vocans in admirationem, qvòd licet ante natum Chriſtum ſcripſerit, clariſſimam tamen S. Trinitatis notitiam habuerit.

§. 38. Verba Claudiani sunt hæc: *t) Igitur Plato procedat in medium, à quo vere claret, quàm magnum in semet bonum genus humanum negligat: nostro præsertim seculo, quo dictis factisq; cœlitus editis, eatenus religio* [mysterium S. Trinitatis imprimis hic intellige] *conclamata* (i. e. ut bene hic interpretatur Barthius p. 415. celebrata, nota facta, palam omnibus tradita) *est, ut penè jam credendi labore submoto, tempore fidei scientiæ fructum capessat, laborisque mercedem opere non patrato suscipiat.*

t) p. 126. edit. Barth.

§. 39. Obscura hæc Barthius in notis pronunciat p. 415. itaqve pro *tempore fidei*, scribere jubet, *tepore fidei*, ut sensus sit, nullo labore, tepente etiam fide, fructum capessi. Monet idem etiam tempus fidei opponi posse fructui. Sed frustra est vir doctissimus. Dictio satis clara, nec mutandum qvicqvã. Opponit autem Mamertus non tempus fructui, sed fidem scientiæ, & conseqventer tempus fidei tempori scientiæ. Fides rerum est, qvæ non clare cernuntur *u*); scientia vero rerum est accurate demonstratarum,

u) πίςις

u) πίςις Apoſtolo Ebr. 11. 1, πραγμάτων ἔλεγχος ὀ βλεπομένων.

aut qvas, ut loqvuntur in ſcholis, intuitive cognoſcimus. Itaqve ſecundum hæc interpretandum, & qvod poſtea ſeqvetur, ubi ait: Platonem non modo docuiſſe, *oportere ita credi* (per fidem) *ſed & ita eſſe conviciſſe* (per demonſtrationem ſcientificam.)

§. 40. Vult ergò Claudianus diſtingvere duo Eccleſiæ tempora, fidei unum, ſcientiæ alterum. Si per ſcientiæ hoc tempus intellexit ſtatum beatitudinis in regno æternæ gloriæ, benè; ſin temporalem Eccleſiæ beatitudinem ante conſummationem Seculi, Chiliasmum ea res ſaperet, cui opinioni num Claudianus adſtipulatus fuerit, nec ne, in neutram partem habeo qvicqvam dicere. Senſus autem: Seculo ſuo myſterium Trinitatis aliosqve articulos fidei poſitos eſſe in luce tam clara, ut credendi labore (laborem vocat, qvia qvorum oculatæ manus ſunt, his difficile eſt credere, qvæ non

non vident) ſubmoto tempore fidei, jam ſcientiæ fructum Eccleſia capeſſat, laboriſqve mercedem (qvi credunt ea, qvæ non vident, hoc ornabuntur præmio, ut etiam intuitive aliqvando rem creditam cognoſcant,) opere non patrato percipiat. Nimirum putavit Claudianus, demonſtrare ſe talia poſſe, qvem & Barthius p. 269. affectare regnum qvodammodo in Philoſophicis demonſtrationibus ſcribit.

§. 41. Nunc pergamus in loco Claudiani. Sic ille porrò: *Quo fit, ut admirari admodum digne nequeam, hujus Platonis animam, qui tantis equidem Seculis* (recte verba hæc, ut hiatus expleatur, addidit è Codice veteri Schottus ad l. 1. p. 579. qvem & vide lib. III. Nodor. Cic. c. 12. p. 355. & Barth. ad h. l. p. 416.) *ante* x) *puerperium virginis, ante incarnationem DEI, ante hominis reſurrectionem, ante prædicatam Summæ Trinitatis in gentibus unitatem ineffabilem, unâ tres in Divinitate perſonas laudabili uſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæſivit, invenit, prodidit. Patrem, DEUM paternamq́; mentem, artem ſive con-*

ſilium

filium y) *& utriusque horum amorem mutuum, unam summam æquiternam* z) *indivisam æternitatem, non solum ita credi* (per fidem) *oportere docuit, sed* a) *& ita esse* (per demonstrationem scientificam) *b) convicit.*

x) Citat hæc Mamerti verba & Raynaud. Th. nat. dist. 5. n. 191. p. 549. *y)* ita malo ex lectione, quam habet Schottus tum hic in marg. tum in Cod. Cic. p. 356. quàm ut alias editur, *arte sive consilio.* Synonyma videlicet vult esse Platoni, paternam mentem, paternam artem, paternum consilium. Sphalma puto, quod est in notis Schotti ad Mamertum p. 579. ubi pro *consilium* impressum est *consultum.* Consilium enim est, ut monuit tum in margine textus, tum in notis Ciceronianis. *z)* Retinet Barthius in notis p. 416. licet maluerat Schottus *æviternam.* Æquiternus est æquè æternus huic scriptori. *a)* Schottus in notis Cic. citat, *sed ita* nec aliter Raynaud. p. 649. Th. nat. Barthius p. 417. scribere jubet, *sed & ita.* Sed hoc non puto necesse. Memini enim alias observasse, ut præcedente *non tantum*, sequeretur *sed* pro *sed &* b) respice ad §. 39.

§. 42. Secundum hæc, si Mamertum seqvimur, Sacræ Trinitatis Mysterium non docuit Plato solùm, sed etiam

iam demonſtravit, nominans Patrem, mentem, & amorem. Vellem ipſum Platonis locum addidiſſet aut deſignaſſet ſaltem. Sed hic ipſe tacuit. Tacent qvoqve Commentatores Schottus & Barthius. Viderint alii, ego ſuſpicor, Claudianum hic eſſe poſterioris ævi Platonicos ſecutum, qvi Platonem ſuum ad confeſſionem Trinitatis trahere ſolent. Ac neſcio ſane, annon apud hos citius Trinitatem illam, Patris mentis, amoris, nominibus diſtantem reperias, quam apud Platonem. Eritqve de hac expoſitione agendi locus infrà.

§. 43. Ac ſolent qvidem ex Platone pro myſterio præſente proferri alia qvædam c) ſed jam qvidem ea ſub cenſuram vocare propoſitum non eſt.

c) Illud imprimis ex Epiſtola ad Dionyſium: *Omnia ſunt circa Regem univerſi, circa ſecundum ſecunda ſunt & circa tertium tertia.* Qua de re vid. Steuch. *II. de perenn. philoſ.* 4. *p. 109.* Mornæ *c. 6. de ver. Relig. p. 71.* Qui addit Origenem (*adverſus Celſum lib. VI.* ſic enim in marg.) alios ex Platone locos proferre, qui in eandem ſententiam adduci poſſint, ſed eos ſe brevitatis cauſa omittere. Ego vero

vero illo lib. VI. non paucos ex Platone proferri locos video, ſed neſcio, an ad hanc illi ſententiam magnopere pertineant. Sane non id agit Origenes (quod obiter luſtranti apparuerit) ut, quod Mornæo propoſitum fuit, SS. Trinitatem è Platone demonſtret, ſed ut reſpondeat Celſo objicienti, Scriptores noſtros ſua ex Platone & ſimilibus hauſiſſe. Neque tamen ibi magnopere de S. Trinitate, ſed aliis potius de rebus agitur.

§. 44. Libet tamen conſiderare locum ex Epinomide Platonis, qvem hic urgeri à nonnullis video. Sic enim Joh. Ludovicus Vives d) *ad Auguſt. de Civ. Dei, lib. X. c. 23. f. 578. Plato apertius videtur locutus: Nam in ſexto de Republ. --- Socrates ait, bonum eſſe Solem quendam, filium ejus eſſe velut vim videndi, quam à ſole habemus. -- Et in Epinomi de* λόγȣ τῶν πάντων θειοτάτȣ *meminit, i. e. Sermonis omnium diviniſſimi, à quo dicit mundum eſſe conſtitutum. -- Plato igitur Patrem, apertis poſuit verbis, filium quoque:* at tertium illud nullâ ratione vocis putavit poſſe enunciari. In pauciora hæc idem Vives contrahit *lib. II. de veritate fidei p. m. 194.* d)

d) Verba

d) Verba hæc sunt: *Plato in sexto de Republica quendam esse ait boni ipsius filium, & simillimum per omnia, bonum vero esse tanquam solem, filium autem ejus ceu videndi vim, quam per solem habemus. Et in Epinomide meminit* λογȣ̃ τῶν πάντων θειοτάτȣ *h. e. rationis omnium divinissimæ. Tertium quoque dicit ineffabile.* Eadem prope leges ap. B. Gerh. *Tom.* I. *Loc. Theol. p. 374.* ubi in præcedentibus citatur Vives de verit. fidei.

Locum ex Epinom. affert, quoq; Galant. *f. 92.* de Filio.

§. 45. Ad Epinomidem Platonis provocat qvoqve Antonius Probus præfatione in Theologiam Christianam Mich. Neandri, sic inqviens: *e)*

e.) l. i.

De tribus personis sic loquitur (Plato) *in Epinomide: Quod primo loco sit Pater quasi dux & Præses, in quô mentis efficacia magis vigeat, deinde* ἥλιος καὶ ἑωσφόρος *Filius Sol & Lucifer: cui similiter appellationem* τȣ̃ λόγȣ *tribuit, inquiens:* ξυναποτελῶν κόσμον ὃν ἔταξε λόγος ὁ παντῶν θειότατος ὁρατὸν: *tertia vero persona* (*Spiritus*

ritus S.) ὥς μὲν ὀνόματι φράζειν οὐκ ἐστὶ, διὰ τὸ μὴ γιγνώσκεσθαι, *cum ignoretur, certo quoque nomine designari non possit. Rectè quidem Plato Deum Patrem vocat* τὸν νοῦν ἱκανὸν ἔχοντα ἡγεῖσθαι, *quia est fons & principium & prima persona Divinitatis, communicans suam essentiã filio ex se ab æterno genito, & Spiritui S. ex se procedenti ab æterno. Deinde insigne nomen filio* λόγῳ *tribuit, quod sit Sol justitiæ, ros regenerationis ex utero auroræ. ---- Quod denique Plato fatetur, tertium (Spiritum scil. S.) ignorare se, eò ostenduntur vires liberi arbitrii in rebus spiritualibus, quòd nimirum homo animalis non percipiat, quæ sunt Spiritus DEI, & quod hoc mysterium caro & sanguis nemini patefaciat.*

§. 46. In eo Vives cum probo consentit, qvòd ex Epinomide λόγον θειότατον de filio, *f*) tertium illum, qui

f) facit hoc & Mornæus *p. 71. de relig. Christ.*

nominari non possit, de Spiritu S. interpretantur. Discrepant in eo, qvod Vives qvidem Patris manifestam designationem

tionem non ex Epinomide Platonis, ſed ex Sexto de Republica, it. ex Epiſtola ad Hermiam (è qvâ tamen excerpere §. 44. ſuperſedimus) venatus eſt; Probus verò ex ipsâ etiam Epinomide trahit verba qvædam ad Patrem; ſicut ibidem per Solem qvoqve & Luciferum putat Filium intelligi, qva qvidem de re apud Vivem altum eſt ſilentium.

§. 47. Hic ego jam non diſputabo, an Plato fortaſſe, cum alibi bonum nominat & Filium ejus, ad duas S. Trinitatis perſonas utcunqve alludere videri qveat, nec illud, an λόγος ille θειότατος in Epinomide interpretando transire utcunqve poſſit in λόγον myſterii noſtri ὑποστατικόν. Nego tertium illud ullo modo ad Spiritum S. poſſe referri.

§. 48. Ut res clara ſit, audiendus ipſe eſt Plato ejusqve mens exponenda. Svadere vult eo loco, non modo Solem, Lunamqve aut horum præſides intelligentias divino cultu eſſe proſeqvendas, ſed reliqvorum etiam planetarum qvinqve præſides, nec non octavæ illius

Sphæræ, qvæ fixarum eſt ſtellarum: eſſe enim octo in univerſum potentias ſive virtutes, fraterno qvaſi ſororiove nexas vinculo, ſic, ut qvi uni cultum fateatur deberi, is denegare cæteris non poſſit g)

g) Verba Platonis ex verſ. lat. f. m. 1011. *Scitote, octo in cœlo eſſe virtutes ſibi invicē ſorores* (δυνάμεις ἀδελφὰς ἀλλήλων) *Has omnes nullus ita ſe habere putet, ut alii eorum Dii ſint, alii minime, ſed omnes fratres & in fraternis ſortibus viventes* (ἀδελφὰς καὶ ἐκ ἀδελφαῖς μοίραις) *dicamus, iisq; honores reddamus.*

nam & ſingulas perficere curſum & ornare mundum hunc viſibilem, qvem illa diviniſſima ratio (λόγος ὁ πάντων θειότατος,) hunc jam filium Dei interpretantur h) conſtituerit. Porrò ex octo illis

h) Ib. tota ῥῆσις hæc eſt: ξυναποτελῶν κόσμον ὃν ἔταξε λόγος, ὁ πάντων θειότατος ὁρατόν. Seqvitur ſtatim f. 1012. ὃν ὁ μὲν εὐδαίμων πρῶτον μὲν ἐθαύμασεν. Ubi res ambigua eſt, illud ὃν ad κόσμον, an ad λόγον referri debeat. Joh. Ludov.

Ludov. Vives ad Aug. C. D. f. 579. ad λόγον refert, atqve sic multos ait facere. Ego caussam non video, cur non potius ad visibilem hunc mundum debeat referri. Agit enim ibi de eo Plato, quod primum miremur, miramur autem primum sensibilia. A sensibus enim via patet ad intellectum.

potentiis unam esse Solis, alteram Lunæ, tertiam stellarum fixarum, reliqvas planetarum qvinqve cæterorum. *i*)

i) Verba ex vers. latinâ f. 1012. *Iterum octo esse dicimus. Quarum tres dictæ sunt* (puta f. præced. ubi sic: Harum tres hæ sunt: Solis una, Lunæ una, stellarum omnium, de quibus antea diximus, una.) *quinque restant.*

§. 49. Hic jam seqvuntur illa Platonis verba, in qvibus mysterium Spiritûs S. qværunt Vives & Probus, Patris etiam & Filii Probus. Sic autem Plato loqvitur: *Quarta verò & quinta latio & anfractus* (Veneris & Mercurii cursum intellige) *æquali fere velocitate cum Sole feruntur, itaque neque tardiores sunt neque velociores: Atque harum trium* (Solis puta, Veneris & Mercurii) *semper sufficiens ductor est intellectus,* (græca hæc sunt:

τὸν ἐπὶ παν ἀεὶ ἴετων τελῶν ὄντων τὸν νȣ̃ν ἱκανὸν ἔχοντα ἡγεῖσθαι, atqve hic patrem in divinis latere putat Probus.) *Solis dico & Luciferi* (λέγω μὲν ἡ τάυτας ἡλίȣ τ᾽ εἶναι καὶ ἑωσφόρȣ, hic Filiū putat ſe reperiſſe Probus) & *tertii illius*, *quod, cum ignoretur, nominari non poteſt*, (καὶ τρίτον ὡς μὲν ὀνόματι φράζειν ȣ̓κ ἐςὶ διὰ τὸ μὴ γιγνώσκεσθαι) Atqve hoc ad Spiritum S. uterqve accommodat, Vives & Probus.

§. 50. Jam ut hic omnia rectius intelligantur, ſciendum, qvod alibi demonſtravi, antiqviſſimum Idololatriæ genus fuiſſe Solis cultum atqve Lunæ: poſt hæc duo eminentia ſidera, cæteris etiam Planetis cultum ſuum eſſe exhibitum, nempè cùm & illorum vires peculiares gentibus innotuiſſent. Gentes enim minus cultæ, cum initiò non niſi Solis Lunæqve notitiam habuiſſent qvalemcunqve diſtinctam, ſolos etiam hos planetas divino ſunt cultu proſecutæ.

§. 51. Unde factum etiam illud eſſe videtur, ut Solem Lunamqve cæterorum planeta-

planetarum numero eximerent, vocarentqve cæteros qvidem qvinqve planetas, Solem autem Lunamqve φῶτα potius & Lumina, qvàm planetas. *k*)

k) *vid. Voss. II. de orig. idol. f.* 233.

§. 52. E cæteris autem qvinqve planetis primo divinos honores obtinuisse Venerem, Vossio assentior *l*), priorem certè Græcis innotuisse publicè dixerim, qvam reliqvos 4. *m*) præ cæteris enim

l) d. l.

qvatuor observabilis hæc fuisse videtur stella, cujus & eximia pulchritudo locum proverbio fecit. Atqve huc referam, qvod hic Plato etiam innuit, solum ex illis qvinqve nomen apud Græcos u-

m) οὔθ᾽ ἕσπερος οὔθ᾽ ἑῷος οὕτω θαυμαστὸς ap. Arist. *V. Nicom. I. p.* 191. *ubi vid. Muret. p.* 384. *& Gifan. p.* 342. Huc refero & versus Senecæ, quos & Lexicon Buchneri exhibet in Hesper. f. 457. Sic à Seneca *Hippol. v.* 746. *seqq.*

Qualis est primas referens tenebras
Nuncius noctis modo lotus undis
Hesperus pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

 Quem

Quem ad locum vid. & Comm. Delr. p. 192. Tacent proverbium hoc adagiographi, dignum, quod reliquis addatur. Conf. & locum sacrum Esaiæ 14. 12. Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, ubi Lutherus: Du schöner Morgenstern.

niversos sortitam esse, cum cæteri nomina qvidem apud vulgum haberent planè nulla, qvæ autem haberent, ea tantum apud qvosdam valerent. Nec enim de solo tertio planeta, (qvi qvidem illic est Mercurius) hoc ait Plato, sed de cæteris qvoqve, cùm paulò pòst numero utatur plurali, eos carere nomine, vulgari scil. ac plebejo: nomina interim recitat, qvæ singulis data sint à qvibusdam, puta eruditioribus *n*.) Qvo qvidem loco textum ipsius Græcum inspiciendum esse moneo potius, qvàm latinam consulendam versionem.

n) In hunc sensum omninò videtur exponendus Plato: Cujus etiam verba appono & obiter illustro. *Harum trium*, inqvit, *semper sufficiens ductor est intellectus: Solis dico & Luciferi & tertii illius, quod, cùm ignoretur* (à vulgo) *nominari* [ab eodem vulgo] *non potest*. Reddit deinde causam, cur ignoretur à vulgo Græcorum, non item à Barbaris, Ægyptiis &

& Syris, nempe quia hi stellas semper omnes clare cernant, cœli aspectu à nubibus non impedito, (cum contra Græci, quoniam ab æstiva serenitate distent, horum duorum ordinem tardiùs intellexerint.) *Quod autem nominibus caruerunt, causa dicta est, nomina tamen acceperunt apud quosdam:* (ita verto, non, ut est in meo Codice: *agnomina tamen Deorum tenent: Græca sunt:* ἀλλὰ καὶ ὀνόματα εἰλήφασι πρὸς ἐνίων. An pro duobus ultimis etiam legit τῶν Θεῶν? Porrò ipse qvidem videtur sic censuisse, distingui à Platone inter *nomina* & *agnomina* (sed ubi sunt agnomina in textu?) cùm rectiùs distinguere inter ἐνίους quosdam, quorum hic aperte mentio, & πάντας, quorum tacita est in superioribus mentio. Id eum fortasse induxit, quod videret, exprimi nomina potius appellativa in græco στίλβοντος & similium, qvam propria, Mercurii &c. sed cur ipse tamen propria substituit in suâ versione, quæ debebat relinqvere, ut factum à Cicerone, cujus verba vide apud Rittershusium *Sac. lect. p. 345. 346.*

§. 53. Sicut & in ipsis planetarum istorum nominibus. Nam in græco qvi-

dem Platonis textu nec Venerem legas, nec Mercurium, nec Saturnum, nec Jovem, nec Martem, qvæ latinus ille interpres omnia inculcat, ſed horum loco ἕσπερος adeſt & ςίλβων & φαίνων & φαέθων & πυρόεις. Qvæ nomina, cum Græcorum doctrinam exeqveretur, retinuit & Cicero 2. de Nat. Deorum, cujus verba recitat Rittershuſius in lectionibus Sacris. *p*)

p) lib. IV. c. 23. p. 345.

§. 54. Neqve verò fruſtrà eſſe dixerim, qvod hic apud Platonem appellativa Planetarum nomina audimus potius, qvàm illa Deaſtrorum propria: nimirum ut intelligamus, licet initiò eruditis iſti Planetæ innotuerint, nondum tamen divinos eorum cultus introductos fuiſſe publicè.

§. 55. Cauſam verò, cur etiam nomina eorum nulla vulgus tenuerit Græcorum, ſatis probabilem reddit Plato, qvia Græcia multum ab æſtiva ſerenitate diſtans, horum Deorum ordinem tardius qvàm Ægyptii Syrive, apud qvos

hæ

hæ ſtellæ ſemper clarè cernantur, intellexerit.

§. 56. Cæterum inſecutis temporibus etiam apud Græcos fuiſſe planetis Deaſtrorum impoſita nomina, clarè oſtendit Locus Celſi apud Origenem. q)

q) lib. VI. contra Celſum p. 290.

§. 57. Patet è dictis, qvicunqve primus fuit, qvi locum Epinomidis Platonicæ de illo tertio, cujus nomen vulgò ignoretur, ad Spiritum S. accommodavit, aut in verbis immediate præcedentibus, Patris qvoqve ac Filii myſterium qvæſivit, (credo enim Mornæum & Probum alium qvendam ante ſe ducem fuiſſe ſecutos:) admodum ſuperficialiter eum locum conſideraſſe, qvæ autem præcedunt ac ſeqvuntur, plane inſuper habuiſſe. Satis enim clarum eſt, non de triade, ſed ogdoade loqvi Platonem: & in ipſius ogdoadis diviſione præcipua membra conflantur, unum qvidem ex monade, (una enim eſt Sphæra aplanes) alterum ex dyade, (duo enim ſunt Luminaria magna, Sol & Luna) tertium ex pentade, (qvinqve enim ſunt illi κατ' ἐξοχὴν

planetæ, aut qvinqve diu ignotæ vulgo errantes ſtellæ.) Tametſi verò trium qvoqve ſtellarum aperta eſt apud *Plato*nem mentio, (qvæ ſunt Sol, Venus, Mercurius, qvos putaverunt eodem motu cieri) tamen illam triadem in hac diſputatione locaverim in tertiis potiùs, qvàm in ſecundis aut primis.

§. 58. Ergò qvod ad opinionem *Probo* cum Vive communem attinet, nego primò in genere, *Platonem* ibi qvicqvam vel ἀινίττεσθαι de ſacra Triade noſtra: nec enim triada, ſed ogdoada in animo habet & calamo.

§. 59. Nego ſecundo in ſpecie, per tertium illum, cujus ignoretur (vulgo puta iſtius temporis) nomen, intellexiſſe eum Spiritum S. manifeſtè enim intelligit Mercurium.

§. 60. De Probi autem opinione propria ſic habendum, primum τὸν νοῦν ἱκανὸν ἔχοντα ἡγεῖσθαι, nihil minus eſſe apud Platonem, qvam Deum Patrem.

§. 61. Secundò nec DEUM Filium latere in Sole & Lucifero, qva qvidem in re etiam illud peccat Probus, qvod

putat

putat Solem ac Luciferum Synonyma esse ejusdem rei apud Platonem, cum manifeste duo notentur distinctissimi Planetæ.

§. 62. A Platone veniamus ad Platonicos, eos puto, qvi post Christum natum vixere. Nam qvi ante hos, non magis de Trinitate in divinis laborasse crediderim, qvam Platonem ipsum, h. e. aut nihil, aut non adeo multum. Qvi postea, hi plus operæ hac in re videntur posuisse. Sed qvæ, obsecro, fuit causa?

§. 63. Ludovicus Vives hac de re sic disserit r) ut intelligas rationem ex eo

r) *Lib. II. de ver. fid. p. m. 194. Philosophi certè, qui post Christum fuerunt, divinæ Trinitatis mentionem non omninò, cum animadverterent maximis rationibus fulciri, & rerum naturæ consentaneam, conati sunt à nobis ad Platonica tormenta detorquere. Sed veritas sub furto non diu latet, ea semper præ se fert Domini sui signa, & cujus sit testificatur.*

reddere voluisse, qvia gentiles animadverterint, admodum esse naturali rationi consentaneam de S. Trinitate doctrinam.

nam. Ipſe enim ſic exiſtimat s) antea qvidem, qvam veritatem eam Chriſtus

s) Ibid. p. 187. 188.

retegeret, neqve veritatis, neqve rationum veniſſe ulli unqvam hominum in mentem: Sed poſtqvam veritatem à Magiſtro DEO acceperimus, rationes ſe nobis cœpiſſe oſtendere: qvarum ipſe qvoqve aliqvas profert.

§. 64. Non planè contemno hanc rationem, modò cautiones alias adhibeas, primò, ne putes, ipſam trium perſonarum unitatem eſſe rem rationi humanæ, qvalem in hâc mortalitate circumferimus, comprehenſibilem, deinde ne putes, rationes, qvibus unitatis illius Trinitas ſvadetur, eſſe, qvod Claudianus Mamertus ſentire videbatur, demonſtrativas.

§. 65. Fortaſſe tamen ex Auguſtino probabilior ſe propoſiti qvæſiti oſtendet ratio. Is in Epiſtola qvadam ad Dioſcorum t) commemorat, autoritatem

t) Tom. II. oper. Epiſt. 56. f. 268.

Chriſti ſic emicuiſſe, (illis videlicet, qvibus

bus Auguſtinus ſcribebat, temporibus) ut nullus error ſe auderet extollere ad congregandas ſibi turbas imperitorum, qvi non Chriſtiani nominis velamenta conqvireret. Putes ergò, Platonicos *u*) etiam qvaſi illorum temporum fortunæ

u) Facit ipſe Auguſtinus paulo poſt mentionem Platonicorum *fol. ſeq.* etiam Plotini, qui aliàs maxime laboraſſe videtur in Trinitate Platonica.

obtemperantes, dogmata ſua ad qvandam Chriſtianæ religionis ſimilitudinem inflexiſſe. Sed hæc inqvirenda ſunt porrò.

§. 66. Duæ ſunt autem imprimis horum, de qvibus jam loqvor, Platonicorum de Trinitate expoſitiones, qvæ in cæteris utcunqve conſentientes, in hoc diſcrepant præcipuè, qvòd tertium DEUM (loqvor enim hîc ipſorum ſtylo) altera qvidem conſtituit animam mundi, altera verò mutuum qvendam primi ſecundiqve Dei amorem, ſeu, ut Poëtas hic imiter, cupidinem.

§. 67. Eædem ſic etiam diſtingvi videntur poſſe: Prior Platonicæ Philoſophiæ,

phiæ, poſterior Chriſtianæ religioni ſe magis attemperat. Prior perſonas magis ex ipſarum ad Creaturas, poſterior ex mutuo ipſorum inter ſe reſpectu diſtingvit. w)

w) Id intellige ex comparatione cum dogmate Chriſtiano. Sacræ enim Divinitatis perſonas inter ſe bifariam poſſumus diſtinguere 1) differentiis velut internis & characteriſticis; quibus ſcil. Pater gignit, Filius gignitur, Spiritus S. procedit ab utroque. 2) externis, quibus Patri opus creationis, Filio redemptionis, Spirit. S. ſanctificationis tribuitur κάτ' ἐξοχὴν.

§. 68. Incipiam à priori, de qvâ jam dedi Programma An. 1663. in orationem Pentecoſtalem Michaëlis Sipſii, ubi qvod dixi, hic non repeto. Id autem hic ago præcipuè, ut oſtendam Trinitatis hujus Platonicæ à Chriſtiana diſcrepantiam.

§. 69. Diſcrepat *primò*, ſi ea, qvæ iſti Platonici fraudulenter vel addiderunt, vel omiſerunt, obſerves, numero. Qvod ut intelligas, obſerva, poſſe Platonicos Deos dividi in æternos & temporales.

les. Jam in ipſa Platonicorum triade non ſunt niſi duo æterni, Pater & Mens: Pater enim ſummus ille Deorum eſt, Mens verò Filius ejus eſt, ille ab æterno proſiliens à Patre mundus antetypus ſeu idealis. Tertius verò, anima nempe mundi, non multum ipſis antiqvior fuit ipſo mundo, mundum autem in tempore utiqve conditum ſciſcebant.

§. 70. Neqve tamen ſola mundi anima temporalis Deus eſt in Schola Platonis, ſed etiam præter hanc qvartum reperies Numen, Naturam. Sunt enim apud Platonicos τῶν νοητῶν hi qvatuor gradus, 1. Deus. 2. Mens. 3. Anima. 4. Natura, ac ne qvis putet hunc ultimum gradum Divinitatis expertem ab iis habitum fuiſſe, Probus hic nobis audiendus eſt, qvi apertè qvoqve Naturæ ſuum inter Deos locum, licet infimi ſubſellii, asſignat. *x)*

x) De Platone hæc incidebat ſuſpicari. Cauſa cur gentiles quidam mundum ſtatuerent eſſe ab æterno, inter alias hæc fuit, quia crederent, non convenire Deo, ut eſſet otioſus ab æterno. (vid. Oſor. de Sap. p. 155. 161.) Jam Plato, cum probabilius ipſi videretur,

non

non esse ab æterno mundum, ne tamen otiosum tanto tempore faceret, Patrem fecit Dei secundi seu mundi intelligibilis; hoc illi ad retundendam Objectionem sufficit. Ita duo illi æterna, bonum & mens. De tertio cum cogitaret, non habuit causam. At Platonici posteriores, cum certis quibusdam rationibus inducti, & mundi sensibilis æternitatem contra Platonem astruerunt, (forte quia Aristotelis rationibus diffiderent responderi à se posse) (conf. Osor. de sap. p. 154.) Animam quoque mundi fecerunt æternam, quæ aliàs Platoni nata in tempore videbatur (Osor. ib. p. 160.) Ita tria illis æterna emerserunt, quæ certis rationibus inducti, comparaverunt cum SS. triade Christianorum. At scire oportebat, ad hanc triadem non pertinere aliquam Corporis extra Deum formam informantem. Inde ergo progressi sunt eò, ut animæ mundanæ substituerent amorem. *Adde omninò quæ dixi Dissert. 14. de Stoica mundi exustione §. 23. seqq.*

§. 71. Ergò si Deorum tantum æternorum inire numerum voluerunt Platonici, duos tantum primos nominare debuere, atqve hos opinor solos interrogatus Plato dignos habuisset isto culmine, si æternorum pariter & temporalium,

lium, qvatuor. *a*) Diſcrepat ergò numerus ſubſtantiarum.

a)Objicies: iſti Platonici mundum ipſum, conſequenter & animam mundi putaverunt ab æterno, (licet contrarium placuerit ipſi Platoni, ut alibi doceo.) ℞. nihilominus etiam ſic quatuor habebunt, nam in æternitatem iſtam veniret & Natura.

§. 72. Diſcrepat *ſecundò* differentia perſonarum. Nos Filium à ſolo Patre, Spiritum S. ab utroqve eſſe profitemur. Platonici ergò, ſi ſentirent nobiscum, debebant & ipſi animam illam mundi à DEO & Mente ſimul derivare: At verò è ſolâ illam mente deducunt, ſicubi porrò è ſola mundi anima naturam. Ac Steucho *b*) qvidem exiguum diſcrimen hoc eſſe videtur, nobis ſatis magnum eſt. *c*)

b) p. 114. de perenn. Phil. lin. 1. lib. II. c. 5.
c) Si dixiſſent Platonici, animam non à ſolâ mente, ſed à ſolo bono procedere, ſuſpicari quis poſſet, vel Græcos ſuum dogma (Spiritum S. à Patre procedere,) hauſiſſe à Platonicis, vel Platonicos ſuum ad illorum alterum conformare voluiſſe. Quod autem Mornæus tradit p. 83. de vera relig. animam mundi

juxta Platonicos â prima hypostasi procedere per secundam: in eo vellem ipse autoritatem addidisset. Forte putavit, si non ita locuti sunt, ita sensisse per consequentiam? Videndus ergo sensus: Id vult opinor, animam mundi esse immediatè à mente, mediatè à Bono, ut si diceres, Jacobum esse ab Abrahamo per Isaacum. Credo hoc non negant Platonici. Res autem abit ad processionem velut inæqualem. Et sic omninò aliqua est hujus Platonismi cognatio cum opinione Græcorum, Spiritus S. à Patre per Filium processionem inæqualem propugnantium.

§. 73. Discrepat *tertiò* convenientia hypostaseos ratione æternitatis. Qvod enim paulo antè monebamus, licet bonum & mentem in æternitate copulaverint Platonici, tamen animam mundi (si qvidem γνησίως se vellent Magistri sui discipulos profiteri,) natam in tempore unà cum mundo asserebant.

§. 74. Discrepat *quartò* convenientia hypostaseos ratione perfectionis seu æqvalitatis. Nam & ipse Plato, ut maxime mentem fecerit coævam boni, tamen minus ipsi perfectionis reliqvit, cùm ex ea maxime causa credatur Ideas

in

in ſecundo potiùs, qvàm primo DEO repoſuiſſe, qvod primum utpote omnium ſimpliciſſimum crederet tantam idearum multitudinem ſalvâ ſibi ſuâ ſimplicitate recipere non poſſe. *d)*

d) Quod ergò ſcribit Raynaud. *p. 552. Th. Nat.* non omnibus Platonicis attribui poſſe errorem, quod Verbum divinum non ſit æquale Patri. Illi oppono Herſentium, qui p. 192. 193. Th. Myſt. negat eos æqualitatem ſeu conſubſtantialitatem agnoviſſe. Videndum autem, annon autor Theologiæ Ægyptiacæ, ad quem provocat Raynaudus, æqualitatem illam de ſola duratione intellexerit, non ſimul de perfectione. Nec enim probabile eſt, eum ſolum cæteris contradixiſſe.

§. 75. De tertia hypoſtaſi res adhuc eſt dilucidior. Qvæ omninò non poteſt aſſurgere ad perfectionem primæ ſecundæq;, ſi cogites, Animam mundi juxta Platonicos, per ipſam ſui naturam mixtum aliqvod à DEO & Materia fuiſſe, qvam ob cauſam Proclus eam eſſe dixit τὸ αὐτοῦ (DEI) καὶ ὕλης (materiæ.) Itaqve divinæ eſſentiæ dimidiam ſui tantum debet partem, reliqvam dimidiam materiæ.

§. 76. Atqve hoc ex eo etiam intelliges, qvod animam illam mundi habuerunt non pro eſſentiâ qvâdam ſeparatâ ſeu formâ abſtractâ non niſi aſſiſtente, ſed pro formâ mundi informante. Qvemadmodum ergò anima humana ex eo, qvia eſt corporis informans forma, per naturam imperfectior eſt angelo: ſic & neceſſe eſt, Platonici mundanam animam poſuerint primo ſecundoqve DEO, qvi formæ eſſent abſtractæ, inferiorem.

§. 77. Qvò jam & verba referam Pſeudo-Cypriani in opere de cardinalibus Chriſti operibus, ſerm. de S. Spiritu, e)

e) f. 329.

negantis, *Spiritus S. virtutem & Divinitatem ab inquiſitoribus mundi*, (gentilibus Philoſophis) *potuiſſe inveſtigari in propria natura*, (h. e. in illa abſtracta eſſentia.) Reſtat nimirum dicamus, qvæſiviſſe ipſos eam in natura aliena, in corpore videlicet mundi, cujus ipſa pars eſſentialis eſſet. In ſeqventibus etiam paulò poſt verbis innuit, eos non crediſiſſe *Spiritum eſſe Dominum & Creatorem, & vivificatorem, & nutritorem.* Qvid hoc eſt? Non crediderunt,

derunt, esse efficientem causam propriè sic dictam. Qvid ergò? formalem. Loqvitur autem satis apertè ibi de animâ illâ mundi.

§. 78. Secundum hæc ergò explicandum est, qvod postea seqvitur porrò, cum ait iste Scriptor: *f) Licet de Patre & Filio aliqua sensissent Platonici* (i. e. licet posuerint Mentem & Bonum ab æterno, & statuerint, esse causam mundi efficientem, & ab isto suo opere essentialiter distinctam.) *Spiritus tamen tumidus & humani appetitor favoris, sanctificationem intellectus Divini mereri non potuit, & ubi ad profunditatem Sacramentorum ventum est, omnis eorum caligavit subtilitas, nec potuit infidelitas sanctitudini propinquare;* (i. e. tamen enormiter hallucinati sunt circa Spiritum S. qvem sub animâ mundi sibi imaginantes, nec ab æterno esse statuerunt, & mundani operis essentialem partem potius, qvam conditorem crediderunt.) Ne qvis fortè hæc verba cum Raynaudo

f) f. 330.

naudo *g*) sic interpretetur, *eos de Spiritus S. personâ nihil novisse.*

g) Th. nat. p. 550.

§. 79. Desinamus verò etiam cum Joh. Lud. Vive *h*) illum animæ munda-

h) ad Aug. de Civ. D. X. 23. f. 579.

næ cum Spiritu S. qvi ferebatur super aqvas, comparationem plus qvam decet, evehere. *Animam* inqvit, *mundi, si quis impensius Platoni faveret, posset facile defendere, illum esse Spiritum, qui ferebatur super aquas: quem videntur illi facere fusum, per molem universitatis omnib9 vitam essentiamq́; impertientem.* Qværo enim, qvomodo? Aliud sane hic responderet Christianus, aliud Plato. Ille facere hoc diceret Spiritum ut formam assistentem, hic ut informantem. Agnovit hoc Pseudo-Cyprianus & maluit hîc accusare gentiles, qvam iis commodare præsidium.

§. 80. Superest videamus, propiusne à veritate afuerit altera pars Platonicorum, qvi Spiritum S. sistunt nobis sub schemate non animæ mundanæ, sed amoris cujusdam, primum secundumq́;

DEUM

DEUM copulantis, aut poteſtatis, qvæ ſit habitus utriusqve *i.*) Videntur au-

i) Amoris vocabulo hic utitur Mornæ. de verit. Relig. p. 67. poteſtatis potius ſeu potentiæ Steuch. Eug. p. 131. qvamqve & alicubi amoris vocem uſurpat: Videndum enim, an amoris vocabulum in ipſo extet Platonicorum textu?

tem omninò qvicunqve in hanc ſententiam diſſeruerunt, emendare voluiſſe defectus illos utcunqve, qvos hactenus indicavimus. Non evagati ſic ſunt usq; ad animam mundi, ſed manſerunt in circulo formarum (ſic horum mentem capio,) abſtractarum. Neqve hoc in genere qvod ſciam, qvartum aliqvid ipſorum Philoſophia novit: præterea ejusdem illas ὑποστάσεις, faciebant æternitatis: tandem tertiam illam non à ſola ſecunda derivabant, ſed qvaſi mediam ponentes inter utramqve, qvaſi procedentem faciebant æqvaliter ex ambabus. Et ſunt omninò hæc, ſi amoris vocabulum retinemus, maxime conſentanea illis, qvæ ad principia Chriſtianæ religionis reſpi-

 ciens

ciens differit Jo. Lud. Vives ex propria mente. *k*)

k) de verit. fid. p. 193.

§. 81. Sufpicari autem licet, hâc in fententiâ fuiffe Porphyrium, qvem teftatur Auguftinus, *l*) cum in tribus illis

l) X. de C. D. 23. f. 577.

principiis fuis id fignificare vellet, qvod nobis eft Spiritus S. medium dixiffe inter Deum Patrem & Deum Filium, qvem græce apppellat paternum intellectum. Nam ut Auguftini verba ad noftrum fenfum accommodemus, *m*) *fi tertiam, ficut*

m) Alius fateor Auguftini fcopus eft. Vult enim his verbis non id, qvod hic ego, Porphyrium tertii principii nomine non intellexiffe animam mundi: fed pofito, qvod voluerit animam notare mundi, vel dum animam mundi illo modo, (qvòd fit medium principium) περιφράζει, in eo non fatis apertè loqvi: nempe qvia nec claro nomine, ut Plotinus, animam mundi, neqve ut nos Spiritum S. vocat.

Plotinus, animæ (mundanæ) *naturam etiam ifte vellet intelligi, non utique diceret horum medium, i. e. Patris & Filii medium, poftponit*

ponit quippe Plotinus animæ naturam paterno intellectui: iste autem cum dicit, medium non postponit, sed interponit n.) Et omni-

n) Pro eo tamen, qvod Porphyrius ipse qvoqve animam mundi intellexerit, illud faciat, qvod ex Cyrillo refert Rayn. Th. nat. p. 549. Platonem, referente Porphyrio, dixisse, post DEUM summe bonum esse alterum conditorem & tertium mundi animam. Putes enim ideò à Porphyrio inculcari Platonica, qvia eadem & ipse probet. Sed inqvirendum tamen porrò.

nò putat Augustinus ipse, sic loqvi Porphyrium voluisse propterea, qvod nos Spiritum S. nec Patris tantùm, sed utriusqve Spiritum dicimus.

§. 82. Saltem ergò ex Augustino videmur hoc affirmare posse, qvod Porphyrius de industria qvæsiverit ita loqvi, substantiam certam esse mediam primæ secundæqve, ut phrasis sua magis videretur Christianum dogma sapere. Citiùs enim feremus eum, qvi tertiam personam aliqvo modo faciat vinculum primæ secundæq;, qvam qvi eam aperte profiteatur esse animam mundi. Neqve tamen eadem Phrasi utetur, si sapiat,

Christianus. *Nobis* enim, inqvit Augustinus paulò pòst, *ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significantur, impiam gignat opinionem.*

§. 83. Qvicqvid autem sit de Porphyrio, *o*) illa certe gentilium opinio, qvæ pro tertia persona non animam mundi, sed qvodcunq; tandem duorum vinculum nominat, sive jam hoc nomine animam intelligat mundi, sive aliud qvippiam ab anima ista distinctum, in eo certe à sensibus Christiani dogmatis refugit, qvod ipsa principia multiplicat, negatqve adeò indivisam illam in tribus personis essentiæ unitatem, hoc enim omnibus gentilibus commune fuit.

o) Sane nondum audeo pronunciare, tertiamne hypostasin *P*orphyrius fecerit animam mundi, an amorem. Pro amore qvidem facit, qvod Phrasis ejus, dum tertiam hypostasin mediam vocat, melius qvadrat ad amorem, qvàm ad animam mundi. Sed huic rationi occurri potest ex Augustino, qvod ea Phrasi non ideò sit usus, qvia non intelligat animam, sed qvia voluerit acommodare stilum sensibus Christianorum. Vicissim

cissim, qvod animam mundi intellexerit, pro eo facit suspicio Augustini, qvi huc profecto inclinat: Notior autem Augustino Porphyrii mens ob ætatem esse potuit, qvàm nobis, & mirum sit, si amorem Porphyrius intelligit, non id odoratum esse Augustinum: aut si maxime Porphyrius nullum aliud indicium animi sui dedit, qvàm illam τῆς μεσότητος phrasin, non suspicatum esse id Augustinum, qvod nos suspicabamur, qvi ex aliis intellexeramus fuisse, qvibus tertia ὑπόστασις esset amor. Hæc me profectò eò ducunt, ut suspicer, ævo Augustini neminem fuisse (saltem è Platonicis,) qvi amorem supponeret pro tertia ὑποστάσει, idqve totum esse commentum recentiorum. Omninò hic ulterius inqvirendum.

§. 84. Utamur hic iterum verbis Augustini, contrà Porphyrium *d.l.* disputantis. *Nos ita non dicimus duo vel tria principia, cum de Deo loquimur, sicut nec duos Deos vel tres nobis licitum est dicere, quamvis de uno quoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu sancto etiam singulum quemque Deum fateamur.*

* *Credo*

* 1. *Credo non ingratum fore Lectori historiæ Ecclesiasticæ & Philosophicæ studioso caput hoc, quia multum conducit ad illustrandam Historiam utramque. Prodiit equidem Lipsiæ mense Martio hujus anni 93. disputatio* de trinitate Platonica ê scriptis Platonis & Platonicorum eruta, & cum Trinitate Scripturæ sacræ collata, ad eruendos tùm aliorum, tùm recentium Böhmistarum de Deo horrendos errores. *Sed facilè deprehendet Lector, multa distinctius à Patre fuisse proposita, quoad sententiam Platonicorũ, quæ autores disputationis confundunt, præprimis cũ illi magis de colligendis terminis aut sententiis aliorum de Platonis aut platonicorum opinione, quàm de sententia genuina ipsius Platonis fuerint solliciti.*

2. *Illud vero commiseratione dignum, quod* cap. 3. th. 8. *probare satagunt, Weigelii & Böhmii Trinitatem ex Platonismo deductam fuisse. Colbergii equidem autoritas Lectori, præjudiciis non occupato, nullius est momenti, cum ipsius tractatus de Christianismo Platonico sit libellus, si quisquam, confusissimus, ut alibi ostensum. Quod vero de Böhmio affertur, scopæ sunt nimis dissolutæ, præterquam quod perpetuò verba Böhmii glossâ*

sâ impertinente interlineari depraventur Nullo modo versatus sit oportet aut in doctrinâ Platonis, aut in scriptis Böhmii, qui eorum doctrinas de Trinitate coincidere arbitretur.

3. Est hoc inter potissima criteria Trinitatis Platonicæ & cujuscunque Philosophiæ Gentilis, quod pro mysterio speculativo habeat tria illa sanctissima, in una Divinitate, cum tamen sit mysterium amoris ac pro tali in totâ scripturâ S. agnitum. Pro tali etiam habet Böhmius. At pro tali non habent, sed æque miserè illud exponunt ac Platonici, dictæ disputationis autores.

4. Quæ enim major impudentia poterat esse, quam Rubricam sectionis secundæ facere: De Trinitate scripturæ sacræ, & Th. 2. ac 3. loco sacrarum literarum crepare regulas Scholasticorum, etsi à Chemnitio in quatuor alias contractas; imò lectori trinitatem Sacrarum Literarum expectanti illudere exhibitione plurium NB. variis distinctionibus ex impia Scholasticorum Metaphysica desumtis, refertorum. Increpet te Deus Satanas! Hoccine est tradere Trinitatem scripturæ? Prophanæ hæ sunt vocum inanitates, quas fugere jubet Apostolus II. Tim. 2. 16. cum ad impieta-

pietatem ducant, & à temporibus Constantini hucusque nil nisi turbas & rixas in Ecclesia pepererint. Vide quomodo se torqueat ipse Chemnitius in loco de Deo, ut ex rixis antiquorum Græcorum & Latinorum ex Platonismo descendentibus, de persona, hypostasi &c. claram atque perspicuam definitionem personæ exhibeat. Sed quo se vertant, dum puros scripturæ fontes colluvie Gentilismi conspurcarunt, nesciunt. Imo verè nesciunt quid dicant.

5. Equidem quamdiu doctrinas suas igne, gladio, & pœnis civilibus, item confiscationibus librorum defenderunt, egregii semper fuerunt disputatores. At cum per divinam clementiam tyrannis illa viribus suis incipiat destitui, ubique hæret aqua. Age, si Viri sunt, si Christiani sunt, respondeant placidè & categorice quæstionibus paucis sequentibus. Essentia, *secundum quam Deum unus est; estne essentia* Generica, *an* specifica, *an* individuifica? *Si generica aut specifica, nonne evaderet illud absurdum; Deum prædicari de pluribus numero differentibus, adeoque esse* tres Deos? *Si individuifica, annon evadet absurdum, Deum* eodem respectu *esse unum, eodem trinum?*


id

id est, unum esse individuum Dei, & tria esse individua Dei, quia tres sunt personæ? Ergo maneret contradictio, unum & tria dici uno respectu. Expecto, quomodo ad hæc sint responsuri, sed directè & categoricè.

6. Clamabunt equidem me esse Socinianum, aut Arianum, aut quid pejus. Sed hoc non est respondere dubiis, quæ non poterunt non ex ipsorum ineptiis oriri in ingeniis veritatis cupidis. Ipsi contra Pontificios ad Ecclesiasticas traditiones provocantes, ad Scripturam provocant; Provoco & ego ad Scripturā contra ipsos, in hoc capite omnibus armis denudatos, si ad Ecclesiam, h.e. ad ignem, gladium, confiscationes &c. ipsis non liceat provocare. Hoc autem sciant, me & Trinitatem Socinianam & Trinitatem Arianam serio detestari, detestari vero simul etiam Trinitatem omnem Paganicam sive Platonicam, sive Scholastico-Aristotelicam. Veneror æternum Lumen de æterno Lumine; veneror Spiritum ab utroque Lumine ab æterno procedentem. Veneror æternam unitatem Patris, Verbi & Spiritus. Non poterunt sanctum hoc mysterium capere, quamdiu nesciunt, quid sit spiritus creatus, quamdiu lumen, ventum, virtutem,

amorem

amorem &c. pro corporibus, aut corporeis accidentibus habent, quamdiu in materia suffocati, essentias rerum, ut omnes Ethnici, ibi quærunt. Est Deus lumen, est amor, est aura cœlestis. Hæc sunt essentialia prædicata Spiritus. Divinæ virtutes essentiæ sunt, substantiæ sunt, non accidentia. Virtus essentia spiritus est. Ita scriptura docet, at ipsi infatuati stulta doctrina scholastica, sapientiam Scripturæ rident & pro stultitia habent. Misereatur eorum Deus & corda ipsorum ex tenebris eruat. Quod uni & duobus dico, omnibus dico scholasticâ stultitiâ infatuatis, cujuscunque dignitatis aut sectæ.



OCTOBER.

CHRISTIANORUM AD METALLA DAMNATORUM HISTORIA.

(Autore M. G. A. A. M.)

* *Commendavimus studia pii & eruditi Autoris jam in Collectionibus Germanicis, ubi Synopsin eruditi libri de Fraternitate Christianorum exhibuimus. Placuit ipsi & hoc specimen nobiscum communicare, quod in singulis paginis singularem ejus eruditionem in historia Ecclesiastica loquitur. Transtulit etiam in idioma patrium Epistolas Barnabæ & Clementis, quæ & ipsæ mererentur editorem, cum sint spiritu proximè ad scripta Apostolica accedente conscriptæ.*

I.

ET aliis cruciatibus antiqvi Christiani confecti sunt, & omnia ferè mala in metallis sustinuerunt. Etenim non omnes causam religionis præsenti morte

 affere-

asserere poterant, sed plures miseriis ærumnisq; longinqvo tempore premebantur. Qvam palmam inde à nato Christo in metallis non pauci tulerunt, prout monimenta veterum servata comprobant. Qvanqvam ex his antiqviora vix reperire licuit, qvàm qvæ apud *Tertullianum* leguntur, qvippe cui istud martyrii genus cognitum fuisse ex Apologetico maximè intelligi potest. In eo scripsit ad paganos cap. 12. *Cervices ponimus, ad bestias impellimur, certè quas Libero & Cybeli applicatis ignibus urimur, hoc & illi à prima quidem massa: in metalla damnamur, inde censentur Dii vestri.* Tum cap. 27. *vice rebellantium ergastulorum seu carcerum vel ergastulorum vel metallorum vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversum nos.* Deniqve cap. 43. *De vestris semper æstuat carcer, de vestris semper metalla suspirant, de vestris semper bestiæ saginantur, de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi planè tantùm Christianus, aut si & aliud, jam non Christianus.* Imo eundem hoc Christianorum supplicium recordatum fuisse puto,

qvum

qvum & crudelitatem & luxuriam hostium perstringeret: cap. 5. de hab. mul. *Terra planè gloriosior*, (aurum & argentum) *quoniam in metallorum maledictorum feralibus officinis pœnali opere deplorata nomen terræ in igne reliquit, atque exinde de tormentis in ornamenta, de suppliciis in delicias, de deliciis in honores metalli refuga mutatur.*

II. Eqvidem in promtu esset exemplum multò antiqvissimum, si fides habenda esset iis, qvi Joannem Apostolum à Domitiano in metalla damnatum tradiderunt. Sic enim *Victorinus Pictaviensis* in Explan. Apoc. IX. *Erat in insula Pathmos in metallum damnatus à Domitiano Cæs. Ibi ergo vidit Apocalypsin, & qvum senior jam putaret, se per passionem accepturum martyrium, interfectó Domitiano omnia ejus judicia soluta sunt, & Joannes de metallo dimissus.* Post hunc *Primasius* in Myst. Expos. Apoc. ad Castorium lib. I. eadem tradit, productus à *Baronio* A. XCII. n. 4. qvi & è *Metaphraste* subjungit, plures ab illo in pietate ibi institutos fuisse. Ex utroqve fortè *Haymo Halberstadiensis* opinio-

nionem hausit, dum præf. in Com. ad Apoc. ait, *se in Historia Ecclesiastica legisse, Joannem à Domitiano impiissimo Cæsare in Pathmos relegatum, exsiliô deportatum, metallo damnatum ob insuperabilem Evangelii prædicationem, ut ibi forsitan secreta marmorum, vel terram foderet, aut his similibus præceptis deserviret Imperialibus, sicut legatur, factum in passionibus SS. Martyrum.* At enim horum narrationibus minùs auctoritatis adjungendum est, qvum & *Haymo* admodum longe à primis illis sæculis remotus fuerit, & *Victorino* commentarius iste perperam adscribatur, prout ipse fassus est *Bellarminus.* Vid. lib. de Scr. Eccl. & *Rivetus* lib. II. Crit. S. c. 20. Ut taceam apud ceteros eosq́ve antiqviores multò & Apostolicæ ætati proximos nulla ejus rei documenta exstare: Istos vero sententiam ex eo finxisse, qvod Joannes à Domitiano in Pathmum relegatus fuit, qvod & ipse Apoc. I, 9. subindicat, & ceteri constanter ingeminant: nominatim *Tertullianus* de præscr. c. 36. *Sulpicius Severus* lib. II. Hist. S. *Hieronymus* c. 9. de Scr. Eccl. Comm. in Matt. xx. 20. seqq. lib.

lib. I. in Jovin. Comm. in Apoc. I. c. *Orosius* lib. VII. Hist. adv. gent. c. 10. *Origenes* Tract. 12. in Matt. *Epiphan.* hær. 51. *Gregorius Turon.* lib. I. Hist. Franc. c. 26. & inprimis *Eusebius* in Chronico & lib. III. Hist. Eccl. c. 20. qvi τὴν κατ᾽ νῆσον φυγὴν simpliciter memorat, perinde ac ὑπερόριον φυγὴν nominat *Auctor historiæ de martyrio Timothei* apud *Photium* Biblioth. Cod. 354. Qvare nec relegatio illa simul damnationem ad opus includit, nisi speciatim & disertè ejus mentio fiat: qvandoqvidem tunc multi Christianorum in exsilium pulsi fuerunt, qvos nemo dixerit ad metalla omnes fuisse damnatos.

III. Itaqve ante sæculum III. hujus supplicii ratio parum cognita fuit, qvatenus illud Christianis irrogatum est. Ipso verò jam finiente *Dionysius Alexandrinus fratrum* meminit, *qui in metalla relegati fuerant*, in literis ad Romanos scriptis & ab *Eusebio* servatis lib. III. Hist. c. 23. Extat qvoqve fragmentum Apologiæ apud *Photium* à Pamphilo martyre pro

Origene ſcriptæ περὶ τοὺς ἐν μετάλλοις διὰ χειςοῦ ταλαιπωρουμένους. Vid. Cod. 118. Qvæ monimenta ad ultima ferre tempora gentilium Imperatorum referenda ſunt, qvum inprimis Maximianus, tyrannus ad fraudem callidus, pluribus Chriſtianis in Ponto interfectis, internecioni deinde modum paravit, &, ne ſolitudinem Imperii faceret, eosdem in æris ferriqve metallis pœnas dependere juſſit; qvàm ſanè veteres *crudelem clementiam* appellare ſoliti ſunt. Vid. *Euſeb.* locô allegandô, & *Rufinus* lib. IIX. Hiſt. S. c. 13. Sed ut ad ſæculum III. revertar, evidentior memoria eorum exſtat martyrum, ad qvos *Cyprianus* gravem pietateqve plenam epiſtolam ſcripſit, ubi meminit *martyrum Dei & Chriſti in carcerum clauſtris, in metallis & vinculis demorantium, ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficientium:* epiſt. 76. cui & ipſi è metallis reſponderunt, ep. 78. Ponit eas *Baronius* in annum CCLX. Chriſti, metallumqve Siguenſe, ubi commoratos fuiſſe dicitur, in Mauritania Tingitana, qværit, de qvo ac ſpeciatim de montibus

bus Chalcorchiis *Strabo* ſcripſit, lib. XVII. ἔςι δ' ἐπ' αὐτόθι καὶ ἀσφάλτου πηγὴ καὶ χαλκορυχία. *Stephanus* vero de Urbibus ex eodem *Strabone* lib. III. & *Hæcateo* πόλιν τρωάδος Σίγειον memorat, tum & aliam Ægyptiam Σίγυνον è *Cteſia*: ceteri fere omnes in Africa hunc locum collocant, qvorum conſenſus heic non negligi debet, ubi de Præſule Carthaginenſi ſermo eſt. Sic *Itinerarium* Antonino Imp. adſcriptum *sigam municipium inter Mauritaniam Cæſarienſem & Tingi littora Carthaginemque* deſcripſit, p. m. 82. qvod *Pomponius Mela parvam urbem* nominat. *Plinius oppidum ex adverſo Malachæ in Hiſpania ſitæ Syphacis regiam, alterius jam Mauritaniæ* lib. V. Hiſt. Nat. c. 2. Sigoton vero oppidis Oceani Orientalis annumerat *Æthicus*, vetuſtus Cosmographiæ Scriptor p. 5. Unde *Lucas Holſtenius* Epiſcopalem ſedem Signitam heic commemoravit, à qva Creſconius in Carthag. Coll. *Signitenſis* & Victor *Signitanus* in *Notitia Africæ* reperiuntur. Conf. *Joannes Oxonienſis* ad Cyprian. l. c. p. 236.

IV. Tum alius locus celebris eſt, *metallum Fannenſe*, quò Chriſtianos fuiſſe miſſos quamplurimi teſtantur. *Euſebius* quidem lib. de Martyr. Palæſt. c. 7. commemorat de Præſide Urbano, quod Confeſſores Cæſareæ omnes tradiderit τοῖς κατὰ φαινὼ τῆς παλαιςίνης χαλκȢ̃ μετάλλοις, idemque Silvanum Epiſcopum eodem miſerit. De quo ſigillatim *Martyrologium Romanum* d. x. Febr. *In metallo* Phennenſi *Palæſtinæ natalis S. Silvani, Gazzæ Epiſcopi, qui in Diocletiani perſequutione Galerii Maximiani Cæſaris mandato cum plurimis ſuis Clericis martyriô coronatus eſt:* ac de aliis ibidem: *Item SS. triginta novem martyrum, qui ibidem ad metalla damnati poſt ferri candentis & alia tormenta ſimul capite cæſi ſunt.* Atque horum φαινησίων μετάλλων & in iis afflictorum Chriſtianorum meminerunt inſuper *Epiphanius* hær. 48. *Euſeb.* IIX. c. 17. 22. 25. *Theodoretus* lib. IV. H. E. c. 22. *Rufinus* lib. IIX. c. 14. *Martyrologia Bedæ*, *Adonis*, *Uſuardi* ad hunc diem, *Nicephorus* lib. VII. H. E. c. 16, 27. atque ex his *Baronius* ad A.

C. CCCVI.

C. cccvi. n. 1. seqq. An. III. Constantii & Galerii. Is vero locus ab Arcadiæ urbe Φενεῷ diversus fuit, qui apud *Stephanum Byzantinum* legitur; tum & ab insulis Fanesiorum aut, ut habet Turnetianus, P*anotiorum*, quas in Ponto recensuit *Plinius* lib. IV. H. N. c. 13. Vid. *Isidorus* lib. IX. Orig. c. 3. & conf. *Turnebus* lib. VI. Advers. c. 19. *Cæl. Rhodigin.* lib. XXIX. Antiqv. Lect. c. 3. *Rudbeck* P. I. Atlantic. c. 9. ac omnino *Typographia in Martyrol. Rom.* Ast quicquid etiam de locis sit, facilis tamen conjectura est, plures in aliis locis eandem acerbitatem tempore Maximiani pertulisse. Quam etsi ipse postremò mitigare conatus est; vid. *Eusebius* lib. IX. c. 1. Maximinus tamen in Oriente difficulter & invitus hæc talia permisit, ut *relaxarentur* nempe, *qui in metallis aut quibuslibet vinculis asservabantur: Rufin.* IX. c. 1. *Eus.* l. c. Quæ res non diu durare potuit, postquam Licinius tyrannus eandem pœnam & insuper ξένην τινὰ κόλασιν, ut *Eusebius* nominat, induxit, ac *conserta agmina virorum & mulierum ac puerorum dextris oculis & juncturis pedum partim fer-*

rô, partim cauterio debilitatis tradidit μεταλλοις ταλαιπωρεῖσθαι. *Euseb.* lib. I. de Vita Const. M. c. 58. Ubi quidem *Baronius* omnes occubuisse putat; A. CCLX. p. 546: sed conjecturas solùm capit: quandoquidem Deus his calamitatibus suos per Constantinum M. eripuit, postquam ab hoc Licinius occisus est: quorsum legendi sunt *Eusebius* lib. II. V. C. c. 20. & 32. *Sozomenus* lib. I. H. E. c. 8. *Socrates* lib. I. c. 11. *Theodoretus* lib. I. c. 7. Ceterum è Fañensibus metallis etiamnum superstes fuit Paphnutius, à Constantino M. propterea magni habitus, ut testantur auctores nominati cum *Rufino* lib. X. c. 4. & de Helena *Eus.* III. V. C. c. 44. Ejus honorifica quoque mentio fit in *Martyrologio Rom. & Menologio Græcorum* IIX. Kal. Oct. conf. *Blastares* in Syntag. Can. Gr. lit. r. c. 2. Præter hunc nominantur Maximus Episc. Confessor, Spirido & Paullus in Martyrol. Rom. XIV. Dec. apud *Theodoretum* l. c. & *anonymum lib. de Synodis Gr.* n. 48.

V. Post illa tempora, tranquillo quidem ab externis hostibus Ecclesiæ statu,

ſtatu, orthodoxi eadem ab hæreticis perpeſſi ſunt, qvum Ariani ſub Imperatoribus ſibi faventibus illos indignè haberent. De Conſtantino A. tot veterum querelæ teſtantur, cujusmodi eſt epiſtola Julii Epiſc. Rom. ad Euſebianos, qua memorat *Epiſcopos ab his conſciſſos flagris, in carceribus habitos, Præſulesq; longiſſimi in ſuo Epiſcopatu temporis publicis miniſteriis mancipatos, apud Athanaſium* Apol. II. adv. Arian. Qvi & ipſe ibidem refert, *Pet. Nannio* interprete, *Eutychium Subdiaconum ab Arianis primùm ſcuticis usque ad mortem verberatum, dein ita moribundum ad metalla miſſum, neque in quodvis metallum, ſed in id, quod Phæno appellatur, in quod homicidia condemnari ſoleant, & non niſi ad paucisſimos dies ſupereſſe poſſint. Illum autem non longè avectum ex doloribus in itinere deceſſiſſe.* Proinde *Hilarius Pictavienſis* Conſtantio ut probrum objecit in lib. cont. eum: *juſſos ab eo Epiſcopos fuiſſe, quos condemnare nullus fuerit auſus, in Eccleſiaſticis frontibus ſcriptos metallicæ damnationis titulò recenſeri.* Præter hunc Moſes Eremita Lucio Epiſc. Ariano: *Bene mihi no-*

tæ

ta eſt fides tua, quam profitentur ſervi Dei per metalla damnati, Epiſcopi in exilium truſi, Presbyteri, Diaconi extra Chriſtiani nominis habitacula relegati apud *Rufinum* lib. XI. c. 6. Qvam calamitatem prolixè *Vincentius Lirinenſis* narrat, ac præſertim c. 6. lib. adv. hær. *Tunc diſturbati Clerici, verberati Levitæ, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergaſtula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis urbibus protruſi atque extorres inter deſerta, ſpeluncas, feras, ſaxa, nuditate, fame, ſiti affecti, contriti & labefacti ſunt.* Neque diſpari ſævitiâ Theodoricus Vandalorum R. uſus eſt in Armogaſtem, de quo *Victor Uticenſis* narrat, *capite truncari jubens à Jucundo Presbytero ſuo prohibitus eſt, dicente ſibi: Poteris eum diverſis afflictionibus interficere. Nam ſi gladiò peremeris, incipient Romani martyrem prædicare. Tunc Theodoricus in Byzacenam provinciam ad fodiendas eum condemnat ſcrobes*: lib. I. de Perſeqvut. Vandal. Conf. *Baronius* ad A. C. DLVI. Sub Valente Imp. quidam orthodoxi, qui fratrum ſuorum calamitatibus illacrymati fuerant, in Phenneſia Proconneſia-

que

que metalla missi sunt: constantibus insuper Satrapa minatus est, cogendos eos εἰς χαλεπὰς οἰκῆσαι τόπους. *Theodoretus* lib. IV. c. 20. & 22. Eosdem tamen non multò pòst ob bellum Gothicum ab Imp. solutos fuisse auctor est *Rufinus* lib. XI. c. 13. Ceterùm in Proconneso hac, quam unam è Sporadibus esse in Propontide *Stephanus Byzantinus* testatur, sine dubio marmora eruebantur: prout monstrat marmor Smyrnense à *Carolo Patino* descriptum & editum, ubi inter alia memoratur emtum esse καινὸν ἀγγεῖον προκοννήσιον. Vid. ejus Comm. in hoc monimentum. Cæterùm in Proconneso eadem Auxentiani monachi cœnobium exstruxisse dicuntur apud *Baronium* A. DCCLXIII. p. 271. To. IX.

VI. Qvi hanc pœnam ad patiendum haut difficilem fuisse existimat, is considerare poterit, quæ jam afferam, præter ea, quæ ex similibus suppliciis intelligi possunt. Fuit equidem solatii locô in metallis auxilium fratrum mutuusque dolor, cujus & exempla & præcepta

sæpius

ſæpius occurrunt. In illis fuit Thraſo, de quo *Martyrologium Adonis* III. Id. Dec. *Qvum eſſet potens & locuples ac Chriſtianiſſimus, de facultatibus ſuis SS. Martyribus in carceribus, & metallis damnatis victum miniſtrabat per B. Siſynnium & Cyriacum.* De aliis *Martyrologium Rom.* XVI. Febr. *Cæſareæ in Palæſtina SS. Martyrum Ægyptiorum, Eliæ, Hieremiæ, Eſaiæ, Samuelis & Danielis:* (natalis) *qui qvum ſpontaneè miniſtraſſent Confeſſoribus in Cilicia ad metalla damnatis, inde revertentes comprehenſi.* De Praxede fidem faciunt antiqui, eam ſub Antonino *iis, qui in carcere incluſi aut in ergaſtulis exerciti eſſent, nullâ re defuiſſe.* Vid. *Martyrologia Bedæ, Uſuardi & Adonis* XXI. Jul. & conf. *Pet. Ribadeneira* P. I. Vit. Sanct. h. die. *Vinc. Beluacenſis* lib. X. Spec. Hiſt. c. 106. Atque hujusmodi communio non ſolùm in Palæſtinis martyribus eluxit, qui *in metallis æris in unum congregati magna libertate fruebantur & Eccleſias exſtruebant* mutuâ operâ, teſte *Euſeb.* c. 13. de Martyr. Palæſt. Verùm & apud eundem IV. H. E. c. 23. Dionyſius Epiſc. ſcripſit ad Soterem: *Hæc vobis conſvetudo eſt*, πάντας

μὲν

μὲν ἀδελφὲς ποικίλως ἐυεργετεῖν, & *hac ratione egentium inopiam sublevatis*, ἐν μετάλλοις δὲ ἀδελφοῖς ὑπάρχεσιν ἐπιχορηγἕντ☉. E præceptis vid. *Pseudo Clemens* lib. V. Constit. c. 1. ubi *damnatis ad metalla necessaria mitti* jubet. Hæc, inquam, martyres in metallis solatia à fratribus perceperunt: sed manserunt interim ingentibus obnoxii calamitatibus. Quæ causa est, quamobrem *Chrysostomus* miserias ab impiis in inferno sustinendas per metallorum molestias delineârit Hom. 47. ad Antioch. ac *Tertullianus* scripserit, *metalla de damnatis suspirare*, c. 44. Apolog. itemque c. 3. de pallio de Adamo: *pellitus orbi ut metallo datur*: h. e. damnatus laboribus molestissimis, velut fodinæ metallicæ, ut explicat *Fr. Junius* not. p. 10. *Eusebius* expressit: ταλαπορεῖσθαι μετάλλοις *diuturnô labore vexari*, prout *H. Valesius* reddit lib. I. V. C. c. 58. μετάλλων κακοπαθείᾳ ταλαιπορεῖσθαι lib. III. c. 44. & II. c. 20. Qui & de Maxentio narrat, ab eo Christianos metal-

metallis æris deſtinatos non operis faciendi cauſsâ, ſed κακώσεως καὶ ταλαιπορίας lib. IIX. H. E. C. 12. Ejusmodi calamitates in metallis Ægyptiis deſcripſit *Diodorus Siculus* lib. III. Αρχαιολ. (vid. infra n. XI.) & in Hiſpanis *Jo. Gerundenſis* lib. I. Paralip. Hiſp. *multos ex nimio labore mori, qvum vix ulla eis ab opere detur requies.* Quæ ut de Chriſtianis eò manifeſtiùs perſpiciantur, ego heic enarrabo & perſonas, quæ ad hanc pœnam legibus adactæ fuerunt, & laborum genera, & diverſas ærumnas recenſebo.

VII. Primùm itaque ab eo ſupplicio viri clari & nobiles atque in dignitate conſtituti eximebantur. Nam eâ quidem ratione diſcrimen diſertè fecit *Paulus JCtus* lib. V. Sent. tit. 19. de Sacrilegis: *Si per diem leve aliquid de templo abſtulerint, vel deportantur honeſtiores, vel humiliores in metallum damnantur.* Itemque de ſepulcr. & lugend. *Si honeſtior eſt, in inſulam, ſi humilior, in metallum dari ſolet.* Cum hoc σύγχρονος *Ulpianus* D. ad L. Juliam peculiari l. 6. §. 2. de furto pronunciavit: *ex edicto D. Pii exſiliô vel metallô, vel*

prout

prout dignitas personæ punitur. Tum & ipse Constantinus Aug. constituit *tit. 8. lib. 2. Cod. Theod.* de pœna appellant injustè ad Præf. Præt. à Rect. provinc. *Si patrimoniô circumfluat, bienniô in insulam relegatione plectatur. Quòd si agrestis vitæ sit, aut etiam egenus, ad biennii tempus in metallum retrudendus est.* Vid. ibi *Jac. Gothofredus* To. I. p. 36. Qvamqvam vero & liberis hæc pœna irrogata fuit; maximè tamen indicta humilibus & abjectis: qvando *Ulpianus* iterum asseverat, *nullam dubitationem esse, servos in metallum vel in opus metalli, item in ludum ornatorium dari solere: & si fuerint dati,* inqvit, *servi pœnæ efficiuntur, nec ad eum pertinebunt, cujus fuerint, antequam damnarentur.* Vid. *D. de pœnis l. 8. §. 12.* Censebatur enim hæc abjecta servilisqve conditio maximè digna, si qva in re mancipia deliquissent. Unde idem scribit, *è damnata in metallum conceptum & natum venundari quasi servum posse, l. 24. §. 6. D. de fidei commiss. libert.* Conf. *D. de manumiss. testam. l. 46. Pomponius de manumiss. damn. ad met.* Tametsi diversi omninò fuerint *adscripti metallis à damna-*

tis ad opus metalli: hi libertate amissâ pro definito tempore vincti laborabant; illi perpetuò ibi unà cum uxoribus liberisq; serviebant. Generatim itaque JCti docent, *existimationem minui, quoties manente libertate circa statum dignitatis pœnæ quis plectitur: sicut quum plebejus in opus publicum detur.* Vid. *l. 28. D. de pœnis.*

IIX. Etenim illud extra controversiam est positum, libertatem in metallis amissam fuisse, si qvis in perpetuum eò damnatus esset. Qvod non tantùm de fœminis apparet è *l. 8. §. 8. D. de Pœnis;* quæ talis est: *Si quidem in perpetuum damnatæ fuerint, quasi servæ pœnæ constituuntur, si vero ad tempus damnantur, retinent civitatem:* sed generatim quoque Imperator sancit: *§. 3. J. quibus modis Jus pat. potest. solvitur: Servi pœnæ efficiuntur, qui in metallis damnantur.* Unde Ulpianus l. 8. § 4. *Est pœna, quæ adimit libertatem hujusmodi; utpote si quis in metallum vel in opus metalli damnetur;* ac Hermogenianus *l. 36. D. de Pœnis. In metallum sed & in ministerium metallicorum damnati servi efficiuntur.* Denique *l. 5. §. 3. D. de extraord. cognit.*

Con-

Consumitur vero (existimatio) *quoties magna capitis minutio intervenit, i. e. qvum libertas adimitur, velut, qvum -- plebejus in opus metalli vel in metallum datur: nihil enim refert, nec pœna diversa est operis & metalli: nisi quod refugæ operis non morti sed poenæ metalli subjiciuntur.* Quorsum & spectare videtur *Plinii Jun.* narratio lib. X. ep. 40. *In plerisque civitatibus, maximè Nicomediæ & Nicææ, quidam vel in opus damnati vel in ludum similiaq; his genera poenarum, publicorum servorum officiô ministerioque funguntur.* Etsi aliter de iis statuendum sit, qui ad certum tempus ibi commorari coacti fuerunt: de quibus *Glossæ Basilicæ* statuunt: ἡ εἰς ἔργον μετάλλου πρόσκαιρος ἐξορία οὐ ποιεῖ δοῦλον, οὐδὲ μὴν ἡ εἰς ἔργον δημόσιον διηνεκὴς ἐξορία. Conf. *Cujacius* lib. XV. Observ. c. 22.

IX. Discrimen autem illud de perpetua pœna leges indicant: è qvibus *Cujacius* definivit, *damnatum simpliciter ad metallum pro damnato ad tempus accipi, rursus damnatum ad tempus pro capite diminuto non haberi,* lib. VI. Obs. c. 25. ubi & *damna-*

tionem in metallum vel in opus metalli, quæ sit maxima, non fieri ad tempus ait. Quod quidem ſanctiones Impp. oſtendunt; qvum Conſtantinus ad Domitium Celſum perſcripſit, de plagiariis; *eos qui pro hoc crimine jam in metallum dati ſunt, nunquam revocari præcipimus, l. unic. D ad L. Fabiam.* Tum & Arcadius & Honorius AA. juſſerunt, *hæreticorum conventus celantem perpetuo metallo deputari.* l. 40. *Cod. Theod.* de hæret. Alii verò cautè de iſto ſupplicio pro criminis levitate finiendo loqvuntur, quod è *Cujacio* vidimus l. c. Speciatim dimiſſi ſunt è metallis, qui inutiles eſſent propter valetudinem aut ætatem, dummodo à Principe impetrarent. Vid. *l. in metall. damn. D. de Pœnis.* Quod & martyribus conceſſum fuiſſe memorat *Euſebius* de Mart. Pal. c. 13. Qvod ſi vero annorum numerus in ſententia definitus haut eſſet, decem annorum ſpatium ſufficere pronunciat *Harmenopulus* lib. I. Promt. Jur. Civ. tit. 4. §. 87. Proinde ad ſummam pœnæ ſeveritatem tempus etiam diuturnum adjunctum fuit: quod & ille apud *Plautum* indicat Captiv. act. III. ſc. 1.

Inter-

Interdiu ſub terra lapides eximet:
Diu ego hunc cruciabo, non unô abſolvam die.

X. Qvis putet autem in Chriſtianos molliùs conſtitutum fuiſſe? Hos profectò etiam extra metalla hoſtibus ſervorum locô numerôqve fuiſſe toties legimus. Sic enim è multis *Lactantius* c. 13. de Mort. Perſeqvut. *Propoſitum eſt edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate, -- libertatem denique ac vocem non haberent.* Conf. *Euſeb* lib. IIX. H. E. c. II. Sic ſpeciatim hæc aliaqve ſupplicia lento gradu tracta ſunt, ne qvod in miſerabili fortunâ ſolatium illuceret. Certè in metallis martyres *tormentorum tarditate profeciſſe*, ſcribit *Cyprianus* ep. 78. ac *Victor* l. c. conſilium Jucundi refert, quo orthodoxos *diverſis afflictionibus in fodiendis ſcrobibus interficiendos* ſvaſit. Perinde atque *Ambroſius* memorat, *condi ſolitos Dei ſervos in tenebras, traditos metallis, ne pœna citò tranſiret.* lib. V. ep. 29. Qvamobrem ne martyres quidem tempore perſeqvutionis extremæ liberandi è metallis fuiſſent, niſi judiciô J. Chriſti factum eſſet, ut, poſtqvam

Maximinus & Diocletianus inducias eis dederant, ſed infidas, Conſtantinus illas apertè confirmaret. Qva de Chriſtianorum ſorte præter n. IV. nominatos *Caſſiodorus* ſcribit lib. I. Hiſt. Trip. c. 10. *Infirma eſſe ſancivit, quæ cogitata vel geſta contra religionem fuerant ſub perſeqvutoribus Eccleſiarum, remiſſionemque cunctos habere decrevit, qui propter confeſſionem Chriſti, -- in metallis affligi aut publicis operibus aut mulieribus aut lanificiis miniſtrare juſſi fuerant.* Poſt quæ tempora Juſtinianus id pœnæ genus prorſus abolevit, *Novella XXII.* cujus in locum damnationem ad triremes ſucceſſiſſe *Pancirollus* auctor eſt lib. I. Deperditorum.

XI. Antiqviſſimis temporibus captivitas bellica iſtam calamitatem attulit, uti de Ægyptiis habet *Diodorus Siculus* l. III. Αρχαιολ. Οἱ βασιλεῖς τὴν Αἰγύπτου τοὺς κατὰ πόλεμον αἰχμαλωτισθέντες παραδιδόασι πρὸς τὴν τοῦ χρυσοῦ μεταλλείαν. Qvod & diu poſt apud Romanos obtinuit, ab eodem commemoratum, poſtquam illi Iberiam ſuperaverant

rant lib. V. c. 9. tum & in bello Judaico: vid. *Josephus* lib. VI. Bell. Jud. c. 44. & ex eo *Eusebius* III. H. E. c. 7. nam ἔργα quidem ibi metalla designare è num. XX. patebit, prout & *Valesius* ibi probè convertit. Ceterùm inter personas mulieres qvoqve referendæ sunt, quas *inministerium metallicorum etiam in perpetuum damnari* solitas indicatur *l. 8 §. 8. D. de Pœnis.* Qvam fortunam Christianis mulieribus non defuisse ex *Eusebio* patet num. IV allegato: Generatim quoque *Gregorius Nyssenus* de temporum istorum calamitatibus narrat in Or. de Gregorio Thaumat: εἰς ἣν καὶ πάντων ὁ τῆς ὠμότητος νόμος, ἴσῳ τῷ μέτρῳ τῆς τιμωρίας τῶν γινομένων ὑπάγων τὸν τῶν εἰδόλων ἀλλοτριούμενον, μὴ διακρίνων τὴν φύσιν. Conf. *Lactant.* lib. V. Inst. Div. c. 13. *Chrysostom.* hom. 13. in Matth. Speciatim huc spectat *Eusebii* testimonium de Maxentio lib. IIX. c. 14. *Viri famem, metalla & vincula passi, mulieres aliæ eadem quæ viri certamina subierunt, & æqualia virtutis adeptæ sunt præmia.*

XII. Illud vero probis dolorem movit, quòd non aliter in metallis quàm nefariorum ſcelerum rei haberentur. Ut verè *Auguſtinus* conqveſtus fuerit Com. in Pſ. XXXVI. *Quid quisq; maleficus, latro, adulter, ſceleratus, ſacrilegus, pertulit legibus, quod non pertulit martyr in confeſſione Chriſti?* Qvi rectè quoque famam eorum vindicavit lib. 1. cont. epiſt. Parmen. c. 7. *Si, quisquis ab Imp. vel à Judicibus ab eo miſſis pœnas luit, continuò martyr eſt, omnes carceres martyribus pleni ſunt, omnes catenæ judiciariæ martyres trahunt: in omnibus metallis martyres ærumnoſi ſunt.* Inprimis vero adverſus paganorũ inſultûs *Tertullianus* & *Minutius Felix* pugnarunt; hic in Octavio ſcribens: *De veſtro numero carcer exæſtuat, Chriſtianus ibi nullus, niſi aut reus ſuæ religionis aut profugus:* hic cap. 43. Apolog. num. I. allegatô. Videantur univerſa de hac pœna adverſus ſceleratos excogitata *Diod. Siculus* l. c. & Conſtantini M. ſanctio l. 2. tit. de Pænis. *Cod. Theod.* itemque *Alexander ab Alexandro* lib. III. Gen. Dier. c. 5. Nominatim vero ſacrilegi ſic plectebantur, *qui per diem leve ali-*

quod

quod de templo abstulissent, uti definit *Paullus JCtus* lib. V. Sent. tit. 19. de Sacr. Tum &, *qui corpus perpetuæ sepulturæ traditum vel ad tempus alicui loco commendatum nudavissent:* ib. *tit. de sepult. & lugend.* Conf. *J. Gothofred.* ad Cod. Th. To. III. p. 137. Deinde fures in balneis vel ipsis metallis deprehensi: de his *Ulpianus* ad L. Juliam peculatus l. 6. §. 2- *Si quis ex metallis Cæsarianis aurum argentumve furatus fuerit, ex edicto D. Pii exsilió; vel metallo punitur.* De illis *Paullus* V. t. 3. de iis quæ per turbam fiunt: *Fures vel raptores balneorum plerumque in metallum aut in opus publicum damnantur.* Præter hos plagiarii *l. unic. D. ad L. Fabiam: Plagiarii metalli pœnâ cum ceteris antè cognitis suppliciis tenebuntur: -- eos autem qui hoc crimine jam in metallum dati sunt, nunquam revocari præcipimus.* Denique lenones per Theodosii & Valentiniani legem 2. de lenon. *C. Th. Lenones filias vel pauperes personas prostituentes proscripti pœnâ mancipentur exsilio, metallis addicendi publicis.*

XIII. Non erant ab eo supplicio exemti, qui vel ipsi adversus Remp. con-

spirassent, vel ejusmodi occultassent homines. Alterum patet è lib. VI. *Basilicôn* tit. 4. c. 2. Οἱ δὲ καταμηνύσωσιν αὐτοῖς (rebelles) ἢ τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν συμπνεύσωσιν, μεταλλίζονται. Alterum è lege de occultantibus desertorem: *Siquidem potuerit corporali injuriæ subjacere, servatâ ex jure substantiâ & fustibus coërceatur vel metalli operi publico deputetur;* Quibus adduntur ii, qui hæreticos occultâssent l. 40. *C. Th.* de hæret. Inter paganos ita puniti sunt, qui *crimine falsi* se obstrinxerant, prout *Plinius Jun.* de Archippo ad Trajanum scripsit: lib. X. ep. 66. *Crimine falsi damnatum recitatâ sententiâ in metallum fuisse.* Simili ratione è Christianis Justinianus *§. 7. J. de publ. judic. Lex Cornelia de falsis poenâ irrogat ei, qui testamentum vel aliud instrumentum falsum scripserit, signaverit.* Clarius l. 4. *C. Th.* de L. Julia de Vi. *Servos quos furoribus talium (professionibus testium violentiam facientium) paruisse constiterit, metallis per sententiam dedi* (censuimus.)

XIV. Fuit igitur omninò supplicium

cium grave, & si non summum aut ultimum, nec tamen adeò leve, quin inter mediocria retulerint JCti veteres, nec desunt exempla martyrum, qui post hoc demum mortis suppliciô affecti fuerunt. Sic enim de Moseo & Ammonio militibus testantur *Martyrologia, Romanum, Bedæ, Usuardi & Adonis* XIIX. Janu. eos *ad metalla damnatos novissimè igne crematos.* Quo sensu accipienda sunt *Lactantii* verba, qvum c. 22. de Mort. Perseqv. de Maximiano scripsit: *Nulla poena penes eum levis fuit, non insulæ, non carceres, non metalla; sed ignis, crux, feræ in illo fuerunt quotidiana & facilia.* E legibus civilibus nota est illa Imperatoris J. de publ. judic. §. 2. *Capitalia supplicia dicimus, quæ ultimô suppliciô afficiunt homines, vel etiam aquæ & ignis interdictione vel deportatione vel metallo.* Legat aliquis hujus rei indicia apud *Diodorum Siculum*, quantis ærumnis tales homines multati fuerint. Delineat enim lib. V. Ἀρχαιολ. & affirmat, *multos ibi mortuos* διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς κακοπαθείας, *nullam enim requiem ibi laborum esse*,

sed

sed infelicissimè vitam produci. Quosdam viribus corporis animique robore quàm diutissimè calamitatem sufferre: mortem interimùs vita jucundiorem esse, magno numero sine quiete die ac nocte laborantibus, sublata omni fugiendi facultate. Barbaros enim milites, diversos invicem linguis, custodiæ præesse, quorum nullus, sermonis commercio sublato, aut precibus aut amore corrumpi possit. Præterea minas illius heri videamus, qui servum ad lapidicinas, non alienos à metallis labores, missurus fingitur apud *Plautum* Capt. act. III. sc. 5.

Ast cum cruciatu maximo id factum est tuo;
-- hunc ita velle dicite curarier,
Ne quî deterius huic sit, quàm cui pessumè est.

Ipsius dein servi narrationem act. V. sc. 4.

Vidi ego multa sæpe picta, quæ Acherunti fierent
Cruciamenta: verùm enim verò nulla adæquè est Acheruns,
Atque ubi ego fui in lapicidinis illis: ibi demum est locus,
Ubi labore lassitudo omni est exigunda è corpore.

Unde est, quod in *Basilicis* τὸ μεταλλίζειν cum τῷ ξίφῳ conjunctum legamus, lib. VI. tit. 1. c. 25. atque apud *Tertullianum* c. 5. de

de hab. mul. *maledictorum metallorum ferales officinas*, *pœnale opus.* Qvemadmodum & *Prudentius* depinxit hym. II. de Coronis:

Aurum, quod aridenter sitis,
Effossa gignunt rudera,
Et de metallis squallidis
Pœnalis excudit labor.

Conf. suprà num. VI.

XV. Qvi huic supplicio addicti erant, in vincula conjiciebantur, *καταζευγνομένοι τὰ σώματα*, ut describit *Diodorus* lib. V. Qvibus fractis Archippus ille *pœnam metalli evasit* apud Plinium X. ep. 66. qvibusqve ut servus oneretur, herus apud *Plautum* procurat Capt. act. III. sc. 5.

Injicite huic manicas mastigiæ;
Ubi ponderosas crassas capiat compedes:
Inde ibis porro in latomias lapidarias;
curabitur:
Nam noctu nervô vinctus custodibitur,
Interdiu sub terra lapides eximet.
Adducite istum actutum ad Hippolytum fabrum,
Jubete huic crassas compedes impingier.

Id vero neqve hostes Christianorum negle-

neglexisse novimus, quando vincula veteres cum metallica pœna conjungere solent. Sic *Hieronymus* Comm. ad Zachar. IIX. *In tantam rabiem persequutorum feritas excitata est, -- ut omnes insulæ, metalla, carceres Confessorum & martyrum catenatis gregibus implerentur.* Tum *Lactantius* c. 22. de Mort. Perf. *carceres & metalla* conjunctim memorat: cum *Eusebio* IIX. H. E. c. 14. Maximè vero in martyribus id apparet, quos *Martyrologium Rom.* nominat IIX. Sept. *qui sub Valeriano & Gallieno exsurgente persequutionis rabie ad primam confessionis Christi constantiam graviter fustibus cæsi, deinde compedibus vincti & ad fodienda metalla deputati, gloriosæ confessionis agonem consummarunt.* Atque hi ipsi sunt, qvos præter alia *Cyprianus* de vinculis injectis consolatus est in epist. 76. *Pars ex vobis adhuc in carcerum claustris, sive in metallis & vinculis demoratur. -- Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris & membra felicia ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt: quasi cum corpore ligaretur & spiritus aut aurum vestrum contagione ferri maculetur. Dicatur Deo hominibus & fidem suam religiosa virtute testantibus ornamenta sunt ista, non vincula, nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O*

pedes

pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad Paradisum diriguntur! O pedes in sæculo ad præsens ligati, ut sint semper apud Dominum liberi! O pedes, compedibus & transversariis interim cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri!

XVI. Atque hæc levia fuerunt præ illis verberibus, quibus homines in metallis afflicti sunt. Ea enim inprimis fustibus ingerebantur, prout in martyribus Africanis num. præced. vidimus. Ad quos ista quoque *Cypriani* verba spectant: *Quod fustibus cæsi prius graviter & afflicti per ejusmodi pœnas initiastis confessionis vestræ religiosa primordia, exsecranda nobis ista res non est. Neque enim ad corpus Christianorum corpus expavit, cujus est spes omnis in ligno.* Qvi & inter alia sic respondent: *Litteris tuis laborantia pectora recreasti, fustibus vulnerata membra curasti.* De hac fustuaria pœna conf. *Cælius Rhodiginus* lib. X. Ant. Lect. c. 5. *Lipsius* lib. V. de Milit. Rom. c. 18. *Pithorus* ad Collat. Leg. Mos. tit. II. Insuper ad servorum instar flagellati sunt, de quo universè *Diodorus* l. c. scribit: ταῖς τῶν ἐπιστατῶν πληγαῖς ἀναγκαζόντων ὑπομένειν τὴν δεινότητα τῶν κακῶν ἀτυχῶς προΐενται

τὸ

τὸ ζῆν. Poſt hunc *Plautus* Capt. act. III. ſc. 1.

Inde ibis porro in latomias lapidarias,
Ibi quem octonos alii lapidem effodiant,
Niſi quotidianus ſeſqui opus confeceris,
Sexcento plago nomen indetur tibi.

Hujus crudelitatis exempla Ariani adversùs Chriſtianos ediderunt; ſigillatim id de Conſtantio Imp. *Hilarius* ſcripſit in lib. adv. eum: *Clerici fuſtibus cæſi, Diaconi plumbis eliſi: & in ipſum, ut ſanctiſſimi mecum intelligunt, in ipſum Chriſtum manus miſſæ.* De Hunerico Vandalorum R. *Victor Uticenſis* lib. 1. *Duodecies per annum i. e. per ſingulos menſes flagellis crudelibus diſſipabatur, vix modico aquæ cibarioque pane conceſſo.* Qvod vero Hilarius de *plumbo* in metallarios adhibito memorat, eô in ſervos animadverſum eſſe apparet è *Cod. Theod.* l. 2. de Qvæſt. & l. 8. de Decur. fuitqve flagellum in loris plumbeos globos annexos habens, cujus mentionem faciunt *Zoſimus* lib. V. Hiſt. c. 2. *Prudentius* hym. X. in Rom. v. 116. maximeqve *Martyrologia*: vid. *Romanum* XIIX. & XVII. Kal. Maj. VI. Id. Maj. XIII. Kal. & IV.

& IV. Non. VI. Id. Jul. Id. Aug. XIIX. & XVII. Kal. Oct. *Adonis* III. Non. Jun. III. Id. Nov. IV. Non. Dec. &c. Conf. omnino *Glossaria*, *Meursianum* voce πλουμβάτον, *Suidas* h. v. *Dufresnius*, *Gothofredus* ad C. Th. l. c. alii.

XVII. Non prætermitti debet, faciem metallariorum notis stigmatibusq; fœdatam fuisse: quod quidem de servis omnibus *Plinius* commemorat lib. XIIX. H. N. c. 3. quò conf. *Pancirollus* lib. II. Var. Lect. c. 241. & lib. I. Deperd. *Cujacius* lib. VII. Obs. c. 13. *Lipsius* lib. II. Elect. c. 16. *Cælius Rhodig.* lib. XI. c. 11. *Laur. Pignorius* de Servis. De metallis speciatim *Svetonii* narratio docet, de Caligula consignata, qui *multos honesti ordinis, deformatos priùs stigmatum notis, ad metalla aut ad viarum munitiones aut ad bestias damnavit*, c. 27. Idqve de martyribus *Hilarii* oratio confirmat jam n. V. producta. Alia monimenta offerunt *Georgius Cedrenus* in Comp. Hist. in Theoph. ubi Methodius ad Theophanem & Theodorũ fratres sic perscripsit ex interpretatione *Xylandri*:

Quorum libris scripta sunt in cœlestibus
Nomina, piæq; frontes compunctæ notis:

Pontius Diaconus in vita Cypriani: *Quis tot confessores frontium notatarum secundâ inscriptione signatos & ad exemplum martyrum superstites reservatos incentivô tubæ cœlestis animaret?* Idem truculentiæ genus ab Arianis in usum revocatum est, & si anteà Constantinus M. piè sapienterqve sanxisset l. 2. *C. Th.* de Pœnis. *Si quis in ludum fuerit vel metallum pro criminum deprehensorum qualitate damnatus, minimè in ejus facie scribatur; dum & in manibus & in suris possit pœna damnationis una scriptione comprehendi: quò facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata, minimè maculetur.*

XVIII. Neqve in eo adqvievit martyrum miseria, sed in metallo constituti mutilati sunt, tristemqve tyrannidis memoriam in corporibus retinuerunt. Qvod quidem etiam extra metalla sub Avidio Cassio contigisse *Vulcatius Gallicanus* in ejus Vita scribit, *quòd desertoribus crura & poplites inciderit, in eo dicens majus exemplum viventis esse miserabilis criminosi, quàm occisi.* Sed è Christianis Paullus Episc.-Neo-Cæsar. idem in metallis passus

fuit,

fuït, de quo *Theodoretus* I. H. E. c. 7. ἄμφω δὲ ἦν χεῖρε πεπεδημένος, σιδήρου πεπυρακτωμένου προσβαλόντος αὐταῖς, καὶ τὰ κινητικὰ τῶν ἄνθρων νεῦρα συστήλαντος καὶ νεκρώσαντος. Ejusdem doloris monimentum in Maximo Ep. Hierosol. exſtitit, de quo idem l l. c. 26. oculô dextrô privatus & dextrô poplite articulô. *Rufinus* hunc unà cum Paphnutio ſuperſtitem memorat *effoſſô oculô & poplite ſucciſô* lib. X. c. 17. quocum conf. *Sozomenus* lib. I. c. 10. *Martyrol. Rom.* III. Non. Maj. De Paphnutio idem *Rufinus* ſcribit c. 4. *Fuit præterea in illo Concilio* (Niceno) *Paphnutius, homo Dei, Epiſcopus ex Ægypti partibus, Confeſſor ex illis, quos Maximianus dexteris oculis effoſſis & ſiniſtro poplite ſucciso per metalla damnaverat.* Conf. *Socrates* lib. I. c. 8. *Sozom.* l. c. *Theodor.* I. c. 7. *Nicephorus* IIX. c. 14. *Martyrol. Rom.* III. Id. Sept. De Silvano aliisqve 39. martyribus jam è num. IV. conſtitit, collatô *Euſebiô* c. 7. & 12. de Mart. Palæſt. qvi & de martyribus apud Pontum idem refert IIX. H. E. c. 12. & de temporibus

K 2 Maxen-

Maxentii c. 14. ubi præter *confixiones & effoſſiones oculorum, membrorum etiam abſcisſiones & peruſtiones ac totius corporis mutilationes* memorat. Add. de Licinii tyrannide lib. I. V. C. c. 58. Ita *Metrani martyris vultum & oculos præacutis calamis terebraverunt* hoſtes, ut eſt in *Martyrologio* Rom. & *Adonis* XXX. Janu. Evnuchos quoque nonnullos factos *Euſebius* ait & ex eo *Baronius* A. CCCVI. n. 2.

XIX. Acceſſit victus amictusqve in metallis aut nullus aut certè exiguus & ſordidus, quem *Cyprianus* l. c. ſic deſcribit: *Panis illic exiguus. At non in ſolo pane vivit homo, ſed in ſermone Dei. Veſtis algentibus deeſt. Sed qui Chriſtum induit, & veſtitus eſt abundanter & cultus.* Eqvidem *Baronius* inde colligit A. CCLX. p. 542. To. II. has literas hieme datas fuiſſe; qvum tamen in ſubterraneis ſpecubus etiam media æſtate algere potuerint. Ceterùm famis metalliqve cruciatus conjunxit *Euſebius*, ubi Maxentii ſævitiam deſcripſit, lib. IIX. H. E. c. 14. Hac enim ratione pagani noſtros ſæpius aggreſſi ſunt & ſuperare conati: quod Lucianus martyr

martyr apud *Cyprianum* ep. 22. conqveritur & ſocios enumerat, qui *Deo volente in carcere necati fuerint. Nam &, inquit, ante dies octo per dies quinque modicum panis accepimus & aquam ad menſuram.* Ita Valerius & Vincentius *in ergaſtulum conjecti fame ſitiq; torti*: *vid. Sim. Metaphraſtes* apud *Laur. Surium* To. I. XXII. Janu. itemqve Nabor. & Felix: *Ado* XVII. Julii, Agapitus id. XIIX. Aug. Vitus & Modeſtus cum Creſcentio *in cuſtodia inediâ torti. vid. Surius* To. III. XXII. Janu. Georgius, de quo *Venantius Fortunatus*:

Carcere, cæde, fame, vinclis, ſite, frigore, flammis
Confeſſum Chriſtum duxit ad aſtra caput.

De Licinio tyranno *Haimo Halberſtadienſis* lib. IIX. H. E. c. 4. *novâ & inauditâ crudelitate misſis in carcerem cibum & potum interdicit*: ubi quòd novam crudelitatem nominat, illuſtratur antiqvâ lege. Vid. *l. 1. C. de cuſtod. reor.* & conf. *Conr. Rittershuſius* Expoſ. Novell. XII. 14. 5.

XX. Confecti igitur martyres fame, vulnerati membris, ſtigmatis deformati, lacerati flagellis, in ſubterraneos

ſpecus detruſi ne libero quidem aere frui poterant. Tum ſquallore obſiti ac pedore cavernarum conſumti in tenebris miſerabiliter peribant. Etenim, ut rectè *Caſſiodorus* metallorum fodinas deſcribit, *intrabant homines caligines profundas, vivebant ſine ſuperis, exſulabant à Sole.* Unde *Auguſtinus* ait, *aurum per tenebras quæri à metallariis*, ſerm. 26. de Verb. Apoſt. ac metallarius ejuſmodi *ſquallidus foſſor* audit ap. *Juvenalem* Sat. XI. Sic *Statius* lib. IV. Silv. 7. - - *ubi Dite viſo*

Pallidus foſſor redit, erutoq;
Concolor auro.

& *Silius Italicus*: *Et redit infelix effoſſo concolor auro.*

Tum *Joſephus Divonius* lib. Troic. ap. *Barthium* ad Stat. l. c. de opibus:

Quas prædo pallens Stygiis extorquet ab undis.

In martyriis itaqve metallariis non minùs miſerum funeſtumqve ſordium ſpectaculum videmus, quod nemo melius *Cypriano* in epiſt. cit. exhibuit: *Non fovetur in metallis lectis & culcitris corpus, ſed refrigeriô & ſolatiô Chriſti fovetur. Humi jacent feſſa labori-*

laboribus viscera, sed pœna non est cum Christo jacere. Squallent sine balneis membra, situ & sordibus deformia, sed spiritualiter intus abluitur, quod foris carnaliter sordidatur. -- Semitonsi capitis capillus horrescit, sed quum sit caput viri Christus, qualecunque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas, detestabilis & tetra gentilibus, quali splendore pensabitur! Immò ipsi martyres ibi designant pariter ac contemnunt: *Tenebras carceris illuminasti, montes metalli in planum deduxisti, naribus etiam fragrantes flores imposuisti, & tetrum odorem fumi exclusisti.* Itemqve ille apud *Baronium* ad A. CCLXII n. 5. *Non expavimus fœdam illam caliginem, moxq; carcer tenebrosus spiritu prælucente resplenduit, & contra obscuritatis deformia & cœcâ nocte contecta instar diei fidei devotio candida luce vestivit:* & n. 43. *Quid nunc, gentiles, creditis sentire Christianos carceris pœnas & seculares horrere tenebras, quos manet gaudium lucis æternæ? Secretam licèt quæratis & abditam sedem, gravesq; antri caligantis horrores, domumq; tenebrarum, fidentibus in Deum nullus squallidus lucus, nullum tempus triste sentitur. Fovet illos Deo Patri dicatos fraternitas Christi diebus ac noctibus.* Sanè de sordibus tenebrisqve carcerum passim legere est, quibus martyres ac confessores affligebantur. *Prudentius* hym. XIII. de Cor.

Antra latent Tyriæ Carthaginis altiùs reposta,
Conscia tartareæ caliginis, abdicata Soli:
Clausus in his specubus S. Cyprianus.

& de Vincentio hym. 5.

Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet,
Expers diurni sideris &c.

Generatim *Tertullianus* c. 8. de Resurr. *In carceribus maceratur teterrimo lucis exsilio, penuriâ mundi, squallore, pedore, contumelia victus, ne somno quidem libera* (caro.) Et exhort. ad mart. c. 2. *Majores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excoecant. -- Pejores immunditias exspirat mundus, libidines hominum. -- Habet tenebras, sed lumen estis ipsi. Habet vincula, sed vos soluti Deo estis: Triste illic exspirat, sed vos odor estis suavitatis.*

XXI. Ad hunc modum calamitates cum pœna ista conjunctæ fuerunt: cujus tamen genera non confundenda sunt apud antiquos inter distincta. Etenim *damnari in metalla & in opus metalli* ita

ita differebat, ut *refugæ ex opere metalli in metallum darentur*, ut liqvet è §. 3. D. de extr. cogn. Præterea, *qui in metallum damnabantur, gravioribus premebantur vinculis, qui in metalli opus, levioribus*. Secundum Ulpianum *l. aut damn. 8. §. inter eos D. de Poenis.* Conf. *H. Salmuth.* ad Panciroll. lib. I. p. 708. *Baronius* ad Martyrol. Rom. XVI. Febr. *Rhodigini* lib. X. c. 5. Quod porro è Græcæ Latinæque antiquitatis consensu constat, quando illi *metall. Operi publico deputari* disertè & ad indicandam differentiam dicuntur in *Cod. Theod.* tit. de occult. desert. & *in opus metalli dari §. 3. D. de extr. cogn.* tum & *damnari in opus* ap. *Plinium* lib. X. ep. 40. ubi *Buchnerus* metalli vocabulum interpretandi caussâ rectè adjecit. Præterea dicebantur homines illi *in opere aurifodinarum haberi* à *Plinio* lib. XXXIII. H. N. c. 4. εἰς ἔργον καταδικάζεσθαι & εἰς ἔργον μετάλλου ἐξορεία κωλυεσθαι in *Basilicis* l. LX. tit. 22. Contra vero *metallū* inter supplicia refertur capitalia à *Paullo JCto* lib. V. Recept. Sent. & ab ipso Imp. §. 2. *J. de*

 publ.

publ. judic. Ubi quidem *metallum* pro *locis ipsis* in eo negotio ponitur; quod vel è *Glossario Nomico* Cod. Theod. patet, ne dicam, rem hanc in Scriptorum usu versari. Qvem ad modum *Statius* lib. I. Silv. scribit:

Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura.

& alibi - - *his Grajis penitus deserta metallis Saxa.*

Plinius Jun. lib. X. ep. 16. *glebulam misi, quam se ex Parthico metallo attulisse dicebat. Ovidius* XV. Metam. *Hippotadæque domos Regis Temesesq; metalla. Justinus* lib. IIX. Hist. c. 2. de Philippo: *auraria in Thessalia, argenti metalla in Thracia occupat. Corn. Nepos* in Cim. c. 1. *magnas pecunias ex metallis fecerat* & in Themist. c. 2. *pecunia publica, quæ ex metallis redibat. Lucanus* lib. IV. Pharf. - - - *juventus*

Extrahitur duris silicum lassata metallis.

Itaque rectè *Isidorus Hispalensis* lib. V. Orig. c. 27. *Metallum est, ubi exsules deputantur ad eruendam venam, marmoraq; secanda in crustis.* Similiter Græci loqvuntur. *Lucianus* in Gallo: μέταλλα ὅλα χρυσίȣ

χρυσίε κεκομίσθαι μοι δοκεῖς. *Dioſcorides* lib. V. de re Medicâ. c. 84. ἐν μετάλλοις φασὶ λιθίνοις εὑρίσκεσθαι. *Suidas*: μέταλλον ἐφεῦρε χρυσε. *Harmenopulus* lib. I. Promt. Jur. tit. 4. §. 87. εἰς μέταλλον ἀποδιδόμενοι. Conf. *Caſtalio* c. 20. Variar. *Barthius* lib. XXIX. Adverſ. c. 11.

XXII. Diverſum atque levius pœnæ genus fuit *opus publicum* junctumque minimis cum relegatione, exſilio & vinculis. Exprimitur autem in *Baſilicis* per καταδικάζεσθαι εἰς ἔργον διηνεκὲς ἤτοι ἐργον καὶ οὐχὶ μετάλλε, itemqve per τὴν εἰς ἔργον δημόσιον ἐξορίαν: lib. LX. tit. 22. Apud *Artemidorum* lib. I. de Somn. c. 22. ſimiliter legimus τὴν εἰς ἔργον δημόσιον καταδίκην, ut Eccleſiaſticos ſcriptores taceam jam producendos. In illud autem ſervos non damnatos *Cujacius* ex idoneis auctoribus aſſerit, XVI. Obſ. c. 22. Nec tamen longè à pœna abſuiſſe opus publicum indicat Trajanus, qvum ſcripſit, *tantùm ſenes ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum & vicorum dari*:

dari: ap. *Plinium* lib. X. ep. 41. Idem vero labor Christianos olim exercuit, ac sigillatim in Palæstina & Libano incolere jussi sunt διαφόροις ποιεῖσθαι τισὶν ἔργοις, ut auctor est *Eusebius* c. 13. de Mart. Palæst. Hinc Constantinus M. deinde liberare præcepit δημοσίοις ἔργοις δουλεύειν κατηναγκασμένους, teste eodem lib. II. de V. C. c. 20. & *Sozomeno* lib. I. c. 8. Cujus rei antiqvissimum esse monimentum Diocletianas thermas volunt, quæ per Christianos exstructæ dicuntur in Actis S. Marcelli ap. *Surium* To. I. XVII. Janu. vid. infrà num. XXIV. & conf. *Pet. Ribadeneira* P. I. Vit. Sanct. d. IIX. Aug. & XXIX. Nov. *Baronius* ad Mart. Rom. XVI. Febr. Arianos idem ærumnarum genus orthodoxis injunxisse Julius Episc. queritur ap. *Athanasium* apol II. adv. eos. *Præsules longissimi in suo Episcopatu temporis publicis ministeriis mancipatos.* Quo spectarunt *ergastula*, in quibus Christianos afflictos tum Acta Praxedis testantur, quæ sub Antonio talibus ministravit: tum Priscæ ac Simeonis Episc. Seleuc. qui

qui *carcerali ergastulô cum aliis centum longo tempore maceratus est.* Vid. *Martyrol. Rom.* & *Menolog. Græc.* XV. Maj. & conf. *Baronius* ad A. CCCXLIII. n. II. Agatha *ergastulis intrusa* dicitur ap. *Surium* To. I. d. V. Febr. è *Sim. Metaphraste*: itemqve Basilides, Cyrinus, Nabor & Nazarius à Diocletiano *capitis minuti & ergastulo mancipati* in *Martyrologiis Bedæ, Usuardi & Adonis* d. XII. Jun. Valerius & Vincentius *in ergastulum conjecti* ap. *Surium* To. I. d. XXII. Janu. *Moduinus* Episc. Augustodun. in epist. ad Theodulfum:

Hilarius sensisti ergastula tu quoq; dura,
Missis in ignitum Rege jubente locum:

quod ab Arianis factum ex *Hilarii* lib. adv. Constant. notum est; de quibus & *Vincentius Lerinensis* narrat, tunc temporis *actos fuisse in exsilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla* c. 6. adv. hæret. De paganis vero generatim testis locuples est *Tertullianus* Apol. c. 27. *Qvum vice rebellantium ergastulorum seu carcerum vel metallorum vel hoc genus pœnalis servitutis erumpunt adversum nos.* Ea vero

vero inter Christianos quoque olim re- cepta fuisse patet è decreto *Synodi Tribu- riensis* c. 6. & epist. 1. Siricii Ep. Rom. ubi *monachi & moniales fornicantes retrudi in ergastula* jubentur. Vid. Gratianus *27. qu. 1. Impudicas.* Ceterùm verosimile est, non ubique operum publicorum labo- res per *ergastula* indicari, sed quandoque solùm carcerem ademtamque per vin- cula libertatem: hinc *carcerale ergastulum* legimus in martyrio Simeonis Episc. l. c. *imum ergastulum* ap. *Prudentium* l. c. Ita Sidonius in conc. ap. *Baronium* A. CDLXXV. p. 321. To. VI. de Simplicio. *Iste est ille, cui in tenebris ergastularibus constituto, mul- tipliciter obserato barbarici carceris divinitus claustra patuerunt*, ubi vid. Baronius, a- pud quem & in epistola de Martino Ep. Ro. scribitur A. DCLI. p. 434. To. IIX. *Fe- cit in eodem Diomedis ergastulo 85. dies, -- iis, qui erant in ergastulo, diversis carceribus mancipati, consumtis in carcere frigore.* In Vita Ignatii Patr. CPtani *Nicetas: pedes strinxerunt, angustoq; inclusum* ἐργαστηρίῳ *duobus duntaxat pueris administris concessis reliquerunt. Photius* ep. 174. ad Episcopos:

famulis

famulis & ministris me privant, postquam in ergastulum concluserunt appositis custodibus. Similiter habetur apud *Hepidanum* in Vita S. Wiboradi lib. II. c. 16. *L. Marineum Siculum* lib. V. Rer. Hisp. p 799. Plura tamen non addo, suffragante mihi disertè *Glossariô Stephani*: *Ergastulorum*, Ἐλευθέρων φυλακῶν, *Ergastulum*, Δεσμοτήριον, Δεσμός. De Romanorum ergastulis vid. *Nonius Marcellus* c. 5. *Isidorus Hispalensis* lib. xv. Orig. c. 6. è recentioribus *Laur. Pignorius* de Servis p. 257. *Lipsius* lib. II. Elect. c. 15.

XXIII. Eò pertinebant quoque *lapidicinæ*, qvas *Festus* de V. S. descripsit, & *Asconius* similiter *loca lapidibus cæsis exsecta, in quæ noxii damnari solent. Isidorus* V. Orig. c. 27. & xv. c. 6. *Est lautumna supplicii genus ad verberandum aptum, inventum à Tarquinio Superbo ad pœnas sceleratorum. Iste enim prior lautumnas, fustes, exsilia, metallaque adinvenit.* Clarius & verius *Glossæ* exponunt: λατομὸν *lapidicina*, λατομία, *hæc lapidicina*, λατόμος, *lapidicisor:* & alibi:

libi : λιθοξοεῖον, *lapidicina*, λιθυτομεῖον *lapidicina*. Aliæ à *Stephano* editæ: *Lapidicina*, λατομία, *lapidarius*, λάτομος. Lapidarii ceteroqui meminit & *Petronius* in fragm. Traguriano, & *Hermas*, apocryphus Scriptor lib. III. Paſtor. Perinde ac *metallarius* dictus eſt *ſequendarum venarum peritus* ab *Amm. Marcellino* lib. XXXI. c. 18. atque ἀδελφοὶ μεταλλεῖς κιλικίας in nummis colon. & municip. antiq. apud *Jo. Harduinum* lib. de his p. 475. E martyribus *Lapidarium* nominat *vetuſtum Martyrologium* II. Kal. Sept. Heroden quendam, itemque Paſſio Seraphiæ & Sabinæ ap. *Dufresnium* in Gloſſ. Lat. append. p. 38. qui ſub Veſpaſiano *in Urbe Roma candidam confeſſionem Romanis dedit*. Sic tempore Trajani *duo Chriſtianorum millia in ſolitudinem urbis Cherſonæ relegata ad eruenda & ſecanda marmora* dicuntur, eoque & Clemens Romanus relegatus in Vita hujus. Confirmat id de exſilio quidem *Ado* in Martyrol. IX. Kal. Dec. *Metaphraſtes*, *Lipomannus* & *Surius* in Actis, conf. *Gregorius Turonenſis* lib. I. de Glor. Mart. c. 35.

c. 35. *Baronius* A. C. n.10. seqq. De. S. Felice idem *Ado* scribit XIX. Kal. Febr. *captus in exsilium deportatur B. Martyr in monte, qui vocatur Circris, ubi lapides excidebantur, ut ipse cum damnatis pari modô lapidum cæsor esset.* De Arianis orthodoxos eódem mittentibus vid. *Athanas.* l.c. Plura documenta in iis Scriptorum locis habentur, quæ metallicæ pœnæ mentionem faciunt, quippe qua & lapidicinas comprehendi certum est, testaturqve *l. 3. D. de reb. eor. qui sub tut.* Vid. *Isidorus* Orig. lib. V. c. 27. *Baronius* ad Mart. Rom. XVI. Febr. *H. Valesius* ad *Euseb.* II. V. C. c. 13. *Salmuth.* l.c. p. 706. *Castalio* c. 20. Variar. E veteribus latomiis celebriores fuerunt Syracusanæ, in quas, si qvi publicè custodiendi essent, deductos fuisse *Cicero* innuit lib. V. in Verrem; plenius describunt *Ælianus* lib. XII. Var. c. 44. *Thucydides* lib. VI. *Lucianus* in merc. servient. *Plutarchus* lib. III. de fortuna Alex. *Athenæus* lib. III. Dipnos. c. 3. *Erasmus* Chil. adag. *In Lapidicinas*, & de hodiernis *Pet. de la Valle* P. IV. Itiner. p. 214.

XXIV. Vidimus antea è *Victore*, Armogasten ad faciendas scrobes à Theoderico tyranno damnatum: qvo labo-

ris genere alii qvoque Christianos vexârunt; speciarim Hunericus Gamuthũ pium hominem & Confessorem *cum caprario & rustico ad faciendas scrobes vineis profuturas condemnavit*, teste eodem *Victore* lib. 1. Tum Claudius jussit 262 martyres *extra portam Salariam arenam fodere pro nomine Christi*, ut est in Actis Qvirini & martyrum Rom. ap. *Baronium* A. CCLXX. n. 3. & in *Martyrol. Rom.* Kal. Mart. Conf. *Breda, Usuardus, Ado* h. d. Aurelianus Maronem Eutychen & Victorinum *in prædiis quasi servos jussit terram fodere per totum diem* ap. *Adonem* XVII. Kal. Maj. Maximianus, *ut in nomine Diocletiani Thermas ædificaret, cœpit ob invidiam Christianorum omnes milites s. Romanos s. alterius gentis ad afflictionem laboris compellere, & per varia loca alios ad lapides, alios ad arenam fodiendam damnare. - Jussit, ut Cyriacus, Largus, Smaragdus & Sisinnius sub custodia foderent arenam, & humeris suis portarent usqve ad locum, ubi Thermæ ædificabantur.* Sic narrant *Acta Marcelli* Papæ ap. *Surium* To. I. d. XVII. Janu. Deniqve apud *Gregorium Nyssenum* legitur in principio Orat. de Gregor. Tavmat. *hostes nostris ostendisse ad terrorem enses, ignem, bestias* καὶ βόθρα, *scrobes*, ut recte interpretatus est *Sifanus*, & *foveas*.

as. Ejusmodi pœnam *Plautus* exemplô verbisque illuſtrat in Aulul. act. 1.

Ego effodiebam in die denos ſcrobes:

atq; alibi: *Ibi Scrobes effodito ſexagenos in dies.* Rem autem pariter & vocabulum exponit e Cicerone & Plauto *Servius* ad II. Georg. in hoc verſu: *Scrobibus mandet mutata ſubactis* per *foſſis immittere*. Aliæ enim ſunt ſcrobes in metallorum puteis, qvibus aurum effodi *Plinius* inqvit lib. XXXIII. H. N. c. 4. aliæ in vineis & agris, qvas apud rei ruſticæ Scriptores reperimus. Vid. *Maro* II. Georg. paſſim & *Columella* lib. IV. de Re ruſt. c. 4. & lib. III. c. 13. ac de arbor. c. 17. lib. XI. c. 2. *Varro* d. R. R. & ex eo *Nonius Marcellus* c. 3. Ad eas vero etiam rei damnari ſolebant: prout *Gregorius Turonenſis* de Francis ſuis ſcribit lib. IX. Hiſt. Franc. c. 38. & de Drochetto qvodam, *eum inciſis capillis & auribus, ad vineam exercendam delegatum.* Cui contumelioſæ animadverſioni ſimilis fere illa eſt, quando honorati viri & Chriſtiani qvoqve alendis jumentis curandisq; deſtinabantur: Ita & de Epiſcopis qvibusdam Palæſtinæ notat *Euſebius*, camelis alendis præfectos fuiſſe, tanqvã ho-

horum Φροντιστὰς c. 12. de Mart. Palæst. Speciatim de Hormisda narrat *Theodoretus* lib. V. H. E. c. 39. qvòd ab Isdigerde Persarum R. *camelorum exercitus trahere jussus sit.* De Armogasto *Victor.* I. Pers. Vand. refert: *Postea qvasi ad majus opprobrium haut procul Carthagine, ubi ab omnibus videretur, pastorem eum præcepit* (Theodericus R.) *esse vaccarum. In Actis Marcelli refertur, Maxentium illum misisse in catabulum, ut bestiarum, qvæ publicè alebantur, curam sustineret, qui, quum à suis inde eriperetur, istum in eam Ecclesiam catabuli bestias transferri jussisse, & à Marcellino custodiri: ubi loci fœditate multisq; ærumnis afflictus obdormiverit in Domino.* Vid. *Martyrologia Bedæ, Usuardi, Adonis* XVI. Janu. De *Catabulo isto* conf. *Glossaria*, *Cassiodorus, Codex Theodosianus,* & *Jac. Canisius* not. ad *Ribadeneiræ* Vit. Sanct. P. I. p. 24. De aliis martyribus *Simeon Metaphrastes* in Actis Indes & Domnæ: *Ministerium camelorum, qui erant in regione Claudipolitana, ei tradi imperavit, ei detrahens præfecturæ dignitatem.* Conf. omnino *Gallonius* de martyrum cruciat p. 198. *Valesius* not. ad Eus. l. c. p. 182.

XXV. Fuerunt hæc laboribus miserorum ac dominorum commodis destinata: non secus ac gynæcea ad lanificia per captivos exercenda spectabant. A qvibus nec Christianos immunes fuisse

nonnulla docent monimenta. In his eſt *Pasſio S. Romani*, de qvo narratur: *Et induit eum colobiò, & tradidit eum in gynæceum ad injuriam:* itemque *Pasſio S. Iſicii*, ad quem iſte Præfecti ſermo refertur: *Infelix, qvid tibi melius eſt, in palatio an in genecio eſſe?* Cui ille reſpondit: *Melius eſt in genecio propter Chriſtum, qvàm in palatio propter dæmones*, apud *Dufreſnium* Gl. Lat. v. Gynæc. De Heſychio milite *Ado* in Martyrol. XIV. Kal. Dec. *Imperator* (Diocletianus) *colobiò indutum primò in gynæceum eum dedit, deinde ligato in dextra ſaxo ingenti in fluvium præcipitari jusſit.* Eam verò pœnam cum inſigni ignominia conjunctam fuiſſe è *Lactantio* intelligitur, qvi de Maximiani tyrannide ſcribit, *matres familias ingenuas ac nobiles ad gynæceum raptas fuiſſe*, c. 9. de Mort. Perſeqv. Quò & *Proſperum* in Chron. reſpexiſſe puto, qvum de Genſerici perſeqvutione tradidit; *Paulillum diu fuſtibus cæſum ad infamem ſervitutem damnatum.* Inſuper de Confeſſoribus à Conſtantino M. è gynæceo liberatis hiſtoriam conſignarunt *Euſebius, Sozomenus, Casſiodorus* aliiqve. Ille lib. II. V. C. c. 20. τὰς γυναι-
 κεί-

κείοις ἔργοις ἐφ' ὕβρει καὶ ἀτιμίᾳ δȣ-λεύειν κελευθένλας memorat: iſte lib. 1. c. 8 διὰ τὴν εἰς χειςὸν ὁμολογίαν καταδι-καθένλας γυναικείοις καὶ λινοφίοις ὑ-πηρετεῖν: hic lib. 1. Hiſt. Trip. c. 10. *propter Chriſti confeſſionem mulieribus* (rectiùs gynæceis) *autem lanificiis miniſtrare juſſos.* Qvid verò hæc fuerint, deſignat *Iſidorus Hiſpal.* XV. Orig. c. 6. *Gynecium Gr. dictum eſt, eò quòd ibi conventus foeminarum ad opus lanificii exercendum convenit.* Conf. *H. Salmuth* de Deperd. è *Cl. Coteræo*, lib. 1. de Jure Milit. c. 33. De pœna verò exſtant monimenta in *l. ult. C. de milit. veſte* & *l. 2. C. Th. de veſt. Olober.* Deſcripſit qvoqve *Briſſonius* lib. de V. S. *textrinum ad veſtes Principis conficiendas conſtitutum.* Nobis heic ſufficere poteſt, eam ignominiâ non caruiſſe, qvod tum è dictis elucet, tum è ſevera in Narſetem Virum inclitum animadverſione, de quo Sophia Auguſta mandaſſe fertur, *ut cum puellis in gynæceo lanarum faceret penſa dividere:* quæ res Imperio malè ceſſit: vid. *Paulus Diaconus* lib. XVI. Hiſt. Miſcell. in Juſtino & lib. II. ac III. de geſt. Langob.

Aimo-

Aimoinus Floriacensis lib. III. de gest. Franc. c. 10. *Fredegarius* Epit. Hist. c. 65. Eò autem fœminæ inprimis damnabantur, & apud Langobardos, qvorum inter leges ista quoque reperitur lib. II. tit. 37. *Statuimus, ut, si fœmina, quæ vestem habet mutatam, moecha deprehensa fuerit, non tradatur gynæceo, sicut hucusque modò.* Nequè obscurè de Francis innuit *Gregorius Turonensis* lib. IX. Hist. c. 38. *In Marilegiam villam deducitur, ut scilicet trahens molam his, quæ in gynæceum erant positæ, per dies singulos farinas ad victum necessarias præpararet.* Conf. omnino *Alex. ab Alexandro* lib. VI. Gen. Dier. c. 7. *Valesius* ad Eus. l. c. *Jac. Gothofred.* ad C. Th. To. V. p. 504. Ceterum quæ à *Gregorio* heic de mola tracta commemorantur, pœnæ locô martyribus imponebantur; sic enim idem c. 77. de Glor. Confess. & Martyrologium *Adonis* XII. Kal. Aug. *ad ultimum in confessione persistens missus est in molam pistoriam, in qua sparsum granum vertigine animalis macerari solet, atque ita contritus martyrium consummavit.* Tum & *Martyrol. Rom.* eod. die. *variis cruciatibus punitus, novissimè contritus in mola pistoria*

martyrium consummavit. In profana Historia *Palladius* lib. de Bragmanibus p. 7. de Scholastico Thebæo quodam refert, apud Indos captivo, qui 6. annos in servitutem datus ἀρτοποιῷ παραδοθεὶς εἰς ἐργασίαν, qvod *Ambrosius* de Brachm. Mor. p. 61. reddidit: *in pistrinum opus facere jusserunt.* De pistrinis autem veterum plures sunt commentati.

XXVI. Ad metallicam pœnam pertinere calcariam & sulphurariam intelligitur è disertis *Ulpiani* verbis *l. 8. §. 10. D. de Pœnis: In calcariam qvoqve vel sulphurariam damnari solent (fœminæ) sed hæc pœna metalli magis est:* atqve ex his aliô locô: *Si lapidicinas vel qua alia metalla pupillo habuerit, stypteria vel cujusvis materiæ, vel si cretifodinas vel argentifodinas &c.* Hinc & è legibus Græcorum *Blastares* ita definivit: ποινὴ μετάλλου ἐστὶ, τὸ καταδικασθεῖναί τινα ἄστροσον ποιεῖν εἰ θεῖον ὀρύττειν. Syntag. lit. π. c. 14. Etenim metallum pro qvavis effossa materia veteribus sumitur: pro miniario quidem *Plinius* lib. XXXIII. H. N. c. 7. pro gemma Sarda lib. XXXVII. c. 7. pro mar-

mo.

more *Silius Italicus* lib. IIX. usurparunt:

Tunc quos à niveis exegit Luna metallis.

& *Fortunatus* lib. III. carm. 25.

Cedant Chrysolithis Salomonia templa metallis.

pro frugibus, qvòd eadem cum metallis terra proveniant. *Tibullus* apud *Barthium* lib. V. Advers. c. 23. cujus conf. lib. XXXIV. c. 3. & è *Dioscoride* ac *Plinio* aliisqúe *Salmasius* de Homonym. Hyles Iatricæ c. 119. In sulphurariis autē & calcariis martyres Christianos commoratos haut liquet; nisi qvis è verbis Siguensium colligere velit & conjecturâ duci; qvum qvesti sunt, *se odoris tetri fumum vaporemque pati*, ep. 77. ap. *Cyprianum*: qvi odor quidem à calce aut sulphure liqvefacto exhalare potuit, sed & ex aliis metallis ad usum præparatis. Ad extremum meminerim hominum pœnæ caussâ auro in fluminibus legendo addictorum, qvorum memoriam servavit *Pacatus* auctor Panegyrici in Theodosium: *Parum ille (Maximus tyrannus) pretiosum jactabat aurum, qvod de montium venis aut fluminum glareis quæsitor Bessus scrutator Callaicus eruisset. Illud purius splendidiusqve credebat, qvod dedissent dolentes, qvod*

hominum lacrymæ non amnium aqvæ abluissent. De Besso aurilegulo *Claudianus* quoque in Paneg. Mallii:

Abdita pallentis fodit sollertia Bessi,
Possessi quidquid fluviis evolvitur auri,
Quidquid luce procul venas rimata sequentes.

De aliis *Paullinus Nolanus* carm. 30.

Callidos auri legulos in aurum
Vertis.

Conf. de ista aurum legendi ratione *Plinius* lib. XXXIII. c. 4. ac de κορατίοις inde solvendis per Pontium & Asianum dioecesin *Basilica* lib. LVI. tit. 12. p. 735. To. VI.

XXVII. De ceteris, si qvis scire velit, qui Judices de metallorum pœnis constituti fuerint, qvos *Eusebius* τοῖς μετάλλοις ἐπιτεταγμένους appellat c. 13. de Mart. Palæst. is audiat *Ulpianum* l. 8 §. 5. D. de Pœnis: *Præfecto planè Urbi competere specialiter jus in metallum damnandi ex epistola ad Fabium Cilonem exprimitur.* Ab his tamen diversi fuerunt *Procuratores metallorum,* qvippe ad tempus tantùm his rebus præfecti: vid. *l. 4. C. de metallar.* In Dacia quoqve *ProConsules aurariarum* noti fuerunt ex inscriptionibus vetustis,

tuſtis, tum *Comites metallorum* ſub Impp. Chriſtianis, quibus Procuratores ſubjecti erant. Vid. *l.2. C. de metallar.* & conf. *Pancirollus* Notit. Imp. Or. c.34. & Occid. c. 35. *Wolffg. Lazius* lib. II. de Rep. Rom. c. 11. Nam de eo qvidem dubium non eſt, Comites etiam dictos ordinarios Judices, qui in pace jus dicere poterant: vid. *Hotomannus* Comm. Verb. Feud. h. v. *Pet. Gregorius* lib. VI. Synt. J. c. 8. Illam autem poteſtatem, qvæ ad μεταλλικὰς δίκας ſpectavit, reſpiciunt verba *Baſilic.* è lib. VI. tit. 1. c. 25. οἱ πάσας τὰς ἐπαρχίας διοικοῦντες δίκαιον ἔχουσι ξίφους καὶ τοῦ μεταλλίζειν: qvarum rationem apud Græcos expoſuit *Suidas* in ἀγράφου μετάλλου δίκη & ex eo aliisq; *Sam. Petitus* lib. VII. Leg. Attic. tit. 12.

XXIIX. Extremò ad auctorem inventoremque metallicæ pœnæ reſpicio, quem *Iſidorus Hiſpalenſis* Tarqvinium Superbum prodidit lib. V. Orig. c. 27. & XV. c. 6. cui ex antiquioribus ſuffragantur *Eutropius* lib. 1. Hiſt. c. 10. & *Suidas* in Σουπέρβος. *Diodorus Siculus* lib. III. ἀρχ. Ægyptum & metallorum venis & pœnâ

iſtâ

iſtâ per Semiramidem inventâ celebratam voluit, quò conſ. *Suidas* in Σεμίραμις. Metallorum vero inventionem *Plinius* Cinyrainæ inſula Cypro tribuit lib. VII. c. 56. Ad magos eam laudem Græci qvidam referunt, inqve iis *Scholiastes Apollonii* ad lib. I. Argonaut. Γοήτες δὲ ἦσαν καὶ φαρμακοῖς καὶ δημιουργοὶ σιδήρου λέγονται πρῶτοι εἶναι καὶ μεταλλεῖς γενέσθαι. Qvi & ferrum per Chalybes inventum tradit ad lib. II. quò *Virgilius* reſpexit I. Georg. & x. Æn. Fabularum auctores ad Promethea omnia referunt: qui de ſeipſo apud *Æſchylum* prædicat:

χαλκὸν, σίδηρον, ἄργυρον χρύσον τε τίς
φήσειεν ἂν παροίθεν ἐξωροῖν ἐμοῦ;

Alii Cadmo tribuunt auri lapidicinæque inventionem apud *Clementem Alexandrinum* lib. I. Strom. p. 307. *Tertullianus* ſingulari opinione de Angelis ad filias hominum delapſis è Gen. VI, 2. comminiſcitur, *artes occultas prodidiſſe, metallorum opera nudaviſſe & herbarum ingenia detexiſſe*, c. 2. de hab. mul. Cæteri nihil definiunt, ſed caſu qvodam venas apertas fuiſſe

isse scribuntur: è qvorum numero *Lucretius* lib. V. de Rer. Nat.

- - flammeus ardor
Horribili sonitu silvas exederat altis
Ab radicibus, & terram percoxerat igni;
Manabat venis ferventibus in loca terræ
Concava conveniens argenti rivus & auri,
Æris item & plumbi: quæ cum concreta videbant
Posteriùs clarô in terras splendere colore,
Tollebant nitido capti læviq; lepore &c.

Ex hoc aliisque commemorat *Isidorus* XV. Orig. c. 17. *Pomponius Sabinus* ad ll. Georg. idque serò satis contigisse *Eustathius* conjicit Ιλ. ά μέταλλα ὡς μετὰ τὰ ἄλλα εἱρημένα. Conf. *Polyd. Virgil.* lib. II. de Inv. c. 19. *Nat. Comes.* lib. IV. Mythol. c. 6. XXIX. Ad hunc modum Græci Latiniqve Scriptores de suis regionibus metallorum & inventionem & pœnam referunt: nam hæ quidem in Germania nostra non vigebant, quippe de qua *Tacitus* suo tempore scripsit, *neminem quidem scrutatum esse venas, qvum possessione & usu incolæ haut perinde afficerentur:* monet tamen, *non se affirmare posse, nullam ibi venam aurum argentumvè gigne-*

gignere. Nihilosecius idem Curtium Rufum commemoravit, lib. XI. Annal. qui in agro Mattiaco *specûs recluserit quærendis argenti venis.* Certè ad veritatem credidit *Strabo* venas omnino adhuc latere in Germania lib. VII. Geogr. utpote quæ superioribus sæculis copiosæ apertæ fuerunt, & in Misnia præsertim maximo cum emolumento excultæ. Verùm omne illud regnum qvò majori metallorum abundantiâ & ubertate cum ceteris circumfluxit: eò veriùs de illo dici potest, qvod *Cyprianus* olim gentiles conquestos esse ait, lib. ad Demetrianum: *Minus argenti opes suggerunt exhausta jam metalla, & pauperes venæ breviantur indies & decrescunt.* Ut verendum sit, ne aliquando in patriam dici possit, qvod Alexander M. ad Bragmanes pronunciavit apud Anonymum de iis p. 100. *ferrum & metallum vobis indignatio naturæ non amplius præbuit.* Qvandoqvidem de plerisque *Tertullianus* etiamnum queri posset: *Video & centenarias cœnas & in lances argentaria metalla producta,* h. e. integras metallorum fodinas in unius hominis luxuriam insumtas, uti περιφράζει

Fr.

Fr. Zephyrus ad c. 6. Apolog. Conf. *Jodocus Willichius* Comm. in Tac. Germ. p. 92.

INDEX.

Ægyptus metallis fœcunda, num. 11. & 28
Ariani orthodoxos affligebant 5. & 25
Aurileguli 26
Auxilium martyribus præſtitum 6
Beſtias alere juſſi martyres 24
Calcaria 26
Camelis alendis Epiſcopi præfecti 24
Captivi in bello ad metalla damnati 11
Catabulum 24
Chalybes ferri inventores 28
Claudius tyrannus 24
Clemens Romanus martyr. 23
Colobium 25
Comites metallorum 27
Compedes metallariis injectæ 15
Conſtantinus M. liberat martyres 4
Conſtantius Arianus tyrannus 5
Crura metellariis inciſa 17
Cyprianus curat martyres 3 & 15
Damnati ad metalla Chriſtiani 1. ſeqq.
Damnatio in metallum & in opus metalli 20
Diocletiani Thermæ 22. & 24
Domitianus tyrannus 2
Epiſcopi camelos alere juſſi 24
- - damnati ad opus publicum 22

me-

- - - - metalla 22
Ἔργα quid? 11
Ergaſtula 22
Eutychius martyr 4
Falſarii ad metalla damnati 13
Fames martyrum 19
Faunefia metalla 4
Felix martyr 15
Ferri inventio 28
Fœminæ ad metalla damnatæ. 11
Fures ad metalla damnati 12
Fuſtibus afflicti metallarii 16
Germania metallorum ferax 29
Gravitas pœnæ metallicæ 10
Gynæcea 25
Hæreticos occultantes ad metalla damnati 12
Helena martyres liberavit 4
Joannes Apoſtolus an ad metalla damnatus 2
- - - in Pathmum relegatus ib.
Judices pœnæ metallicæ qui 27
Lanificia pœnæ locô 25
Lapidicinæ 23
Lapidarius 23
Latomiæ Syracuſanæ 23
Lautumnæ ib.
Lenones in metalla damnati 13
Libertas in metallis amiſſa 7
Licinii tyrannis 4 & 18
Malefici metallis addicti 8
Marmora ſecanda martyribus data 23
Martyres flagellati 15

mem-

- - membris mutilati 18
- - fame cruciati 19
- - ad metalla damnati 1.seqq
- - ad opus publicum 22
- - ad lapidicinas 23
Metallica pœna 1
- - gravis 10
- - infamis 12
- - Christianorum 1
- - maleficorum 12
- - captivorum 11
- - ubi usitata 3
- - qvando abrogata 9
- - à qvibus inventa 29
Metalla à qvo inventa 29
- pro locis metalliferis 21
- - lapidicinis 23
- - alia effossa materia 26
Metallarii 23
Metallica judicia 27
Metallis fœcunda Ægyptus 28. & 11
- - Germania 29
Miniarium metallum 26
Molæ pistoriæ 25
Mulieres an ad metalla damnatæ 11
Narses ad gynæceum damnatus 25
Nazarius martyr 22
Oculis privati martyres 18
Opus metalli qvid 20
Opus publicum quid 22

Orthodoxi ab Arianis afflicti 5
Palæſtinæ metalla 6
Panotiorum inſulæ 4
Paphnutius martyr 4. & 18
Phanneſia metalla 4
Piſtrina 25
Plagiarii ad metalla damnati 12
Plumbô percuſſi martyres 16
Plumbatæ 16
Poplites martyrum inciſi 17
Præfectus Urbi Judex metallicus 27
Proconneſia metalla 5
Prometheus inventor metallorum 28
Rebelles ad metalla damnati 13
Sacrilegi damnati ad metalla 12
Scrobs 24
Scrobibus fodiendis addicti martyres 24
Servi ad metalla damnati 6
Siguenſe metallum 3
Solatia in metallis 6. & 15
- - verberibus 16
- - vinculis 15
- - fame 19
Sordes in metallis 19
Sqvallor carcerum ib.
Stigmata metallariis inuſta 17
- - ſublata ib.
Sulphuraria 25
SyracuſanæLatomiæ 23

Tarqvinius Superbus metallicæ pœnæ inventor 28
Tenebræ in metallis & carceribus 20
Testes falsi metallis addicti 13
Tyrannorum in Christianos fraudes 4
Verberati metallarii 16
Victus metallariorum exiguus 19
Vincula martyrum 15
- - metallariorum ib.
Vineis addicti colendis 23
Urbi præfectus metallorum Judex. 27

FINIS.





NOVEMBER.

SURDUS LOQVENS, SEU METHODUS,

Qua,
Qvi SURDUS natus est, loqui discere possit.

Studio & industria
JOH. CONRADI AMMAN.
Med. Doct. Scaffusâ-Helvet.

VIRO SPECTATISSIMO
D. PETRO KOLARDO
HUNC SUUM
SURDUM LOQVENTEM
Qua decet
Animi submissione D. D. AUCTOR.

Ami-

Amice plurimum honorande,

HOc Tibi opuſculum, qualecunq; eſt, non uno nomine debetur; præterqvam enim, qvod rei in eo expoſitæ veritas nemini, præter me, magis conſtet, tantis me, dum FILIÆ inſtituendæ ergo in ædibus Tuis eſſem, beneficiis cumulaſti, meque adeo reddidiſti Tuum, ut grati in Te animi monumentum non niſi publicum, qvantumq; in me erit æternum, ſufficiat. Qvanta ſit hujus ævi incredulitas, vix Te melius quisquam novit; fu-

erunt, & adhuc ſunt, qui audacter ſurdis loquelam dari poſſe negent; alii, licet oculatos eſſe teſtes liceret, de rei veritate non dubitare tamen ceſſaturos aſſerebant: quare qvid in *Filia Tua*, aliisque nonnullis, præſtiterim, quoque artificio, ingenue totius mundi oculis exponam. Utinam ita hoc meo labore utantur, ut poſthac non amplius reperiantur muti!

De iſtorum dubitatorum numero & Te ante fuiſſe mihi fatebaris, quam puellam quandam, olim mu-

tam, *Amstelædami* apud me loqventem audivisses: forsan & ipse fuissem, si, rei ignarus, tale quid ab alio præstitum fando saltem accepissem; quamobrem incredulitatem hominum, quæ prudentia plerisque hodie audit, erroris potius convincere, quam ob temeritatem redarguere cõstitui.

Triennium jam est, qvũ hanc meam *methodum* publicam facere cogitavi, fecisse autem jam pœniteret, qvoniam interea temporis multum eam elimavi, longeque

geque faciliorem, & quod Praxin attinet, certiorem reddidi, in tantum etiam, ut jactare ausim, surdum non fore, modo sana ipsi mens constet, nec lingva sit impedita, nec ætas immatura, qui, me Præceptore, bimestri spatio satis expedite non sit locuturus. Forsan & olim pœnitebit, opusculum hoc justo adhuc immaturius prodiisse: malim tamen vel errorem, si alicubi commisero, fateri, vel in posteriori quadam editione illud augere, quã omnino tacere; si enim

præ-

præcocia me fata abriperent, ſicuti tenera valetudo minatur, Deo, commiſſi talenti rationem à me exacturo, quod reſpondeam non haberem.

Nil itaqve reſtat, VIR *Spectatiſſime*, quam ut veniam deprecer, qvod Te, negotiis tantum non obrutum, hiſce interpellare auſim: eo autem facilius dabis, credo, quoniam libellus hic abſentiam meam minus gravem Tibi reddere poterit, ipſe enim juxta præcepta ibi tradita efficies, ut FILIA non ſaltem,

quæ ſcit, non obliviſcatur, ſed magis magisque perficiantur. Cæterum ſummiſſe rogo, ut quem cœpiſti amare, etiam longe remotum, pergas, & Veritatis, ſicubi neceſſe eſt, in Te patrocinium ſuſpicias. Vale & Salve.

JOH. CONRADUS AMMAN.

Dabam in Muſæo d. x. Auguſti.
CIↃ IↃC XCII.



LECTORI S.

Candide Lector.

IN paucis hisce paginis aperte & ingenue tibi expono, qua ratione surdos, &, quod tales nati sint, mutos articulate loqui, aliosqve loqventes facile intelligere doceam, ita ut librum epistolamve & legere & intelligere, suamqve vel ore vel scripto mentem aperire possint.

Qvam egregium hoc beneficium? quam commode auditus arte hac sarcitur? si quid invidia & detestabilis lucrandi cupido apud me possent, mecum absconditam retinerem. At quam misera surdorum sors est? qvam manca est multilaqve, quæ signis gestibusque fit, loqvela? qvam parum capiunt, quæ æternam suam salutem concernunt? qvis hanc conditionem non misereatur? quis eam omnibus, qvibus potest, mediis sublevare recuset? Ego divina adspirante gratia, non sublevabo saltem, sed vulgari in eo præstan-


ſtantiorem reddam, & jam reddidi, qvod alios, voce etiam maxime ſubmiſſa loqventes, vel potius ſibilantes intelligant.

Nova & incredibilis pluribus videbitur hæc doctrina, non tamen plane inaudita eſt, fuerunt enim, ut accipio, qvidam, quibus eadem cura fuit, quid autem effecerint, me latere non diffiteor; ſancteqve teſtor, mihi, anteqvam ipſe excogitaram, ne veſtigium ejus apud ullum Auctorem occurriſſe. Non deerunt tamen, qvi doctrinam hanc prima fronte ceu fabuloſam rejicient, alii, & hi tandem ipſi forſan, cum modum ipſis detexero, ſe idem potuiſſe efficere dicent: ego neutros curo, probe gnarus, æquos rerum æſtimatores aliter judicaturos.

Cum huc usqve legendo perveneris B. L. parum qvæſo ſubſiſte, libertate cuivis conceſſa utere, & attentus tecum voluta, qvid ipſe ageres, ſi hæc Tibi excolenda daretur provincia. Si rectam invenies viam, gratias Deo age, mihiqve Te monuiſſe ſufficiet: ſi non, ad ſeqventia perge, ubi nullo negotio eam invenies. Hæc eſt ipſa illa via, quam ſeqvebar, cum magnæ ſpei Puellam Heſter Koolaert, Dn. Petri Kolardi filiam

liam unicam, ſurdam natam, *non legere ſaltem, ſed expedite loqui, imo ſermonem cum aliis miſcere docui, adeoque brevi profecit, ut Catecheticas quæſtiones quam plurimas memoria teneret, ſed ita ut earum ſenſum, quantum per ætatem puerilem licet, caperet: maximo gaudebat opere, cum ipſi dicerem, me methodum hanc, qua ipſa loqui didicit, omnibus communem facere velle. Bene his utere amice Lector, ſiqve quid rectius noſti, candide imperti, nec ingrato feceris. Vale.*

SUR-



SURDUS LOQVENS.

CAPUT I.

Quæ sit vocis natura indagatur, & in quo à Spiritu differat.



NEmo ad nobilem hanc artem se perventurũ præsumat, si, in quo literarum, tam in genere quam in specie, natura consistat, ignoret; id enim opusculo huic dedit occasionem: quare anteqvam de modo Surdos erudiendi verba faciam, examini subjiciam *primo* literarum materiam, *Vocem* nimirum & *Spiritum*; *secundo literas ipsas* earumque differentias; *tertio* denique *praxin* docebo.

Sæpius audivi à quibusdam, miraculo non inferius esse, quod Deus homines potius motibus, quos labiis, lingua, dentibus &c. efficiunt, quam aliis, mentis suæ cogitata alligare voluerit, idque tam uni-

universaliter, ut nulla sit barbara adeo natio, ne exceptis quidem *Hottentottis*, quæ loqvi nesciat. Verum considerent hi quæso, quid homines bene constituti velint, dum sibi invicem loqvuntur; cordis enim penetralia aperire, imo propriam in alios vitam transfundere desiderant, quod non fit commodius quam loquendo; nihil enim à nobis emanat, quod vividiorem vitæ characterem gerat quam *vox* nostra: imo in *voce* est spiritus vitæ, cujus pars in *vocem* transit: Est enim *vox* proles cordis nostri, affectuum & concupiscentiæ sedis. Hinc impetuosos affectuum motus aliquando reprimere neqvimus, sed ex cordis abundantia os loquitur. Ita quando quid nobiscum volvimus, & tamen effari veremur, cor quasi parturit & anxium est, si id autem in amici sinum effundimus, magna statim tranquillitas oritur, & evacuasse cor dicimus. Adeo *vox* vitæ, immediate è corde scaturientis, plena est, ut diu loqvi summopere fatiget, imprimis ægros, quos sæpe, cum vix tria quatuorve protulere verba, animus delinquit. Ut paucis multa complectar, *vox* est

eſt emanatio à ſpiritu illo, quem Deus Homini, dum crearet illum in animam viventem, in nares ſufflavit: hinc etiam *Verbum Dei, Filius Dei, omnipotentia Dei &c.* in S. Scriptura non raro homonyma ſunt.

Non eſt mirum itaque, ſi *vox* homini, etiam ſurdo naturalis eſt; rident enim ſurdi, exclamant, egregie vociferantur, flent, ſuſpirant, gemunt, animique præcipuos motus *voce*, attendenti diverſam, exprimunt, imo vix geſtibus quid ſignificant, quin *vocem* admiſceant. Ita omnium fere nationum exclamationes ſimiles ſunt: *a* eſt præcipue gaudentis, *i* indignantis & iraſcentis, *o* commiſerantis, exclamantis, ut plura alia taceam.

Jam in quo *vocis* natura conſiſtat, ubi formetur, & quomodo formetur, breviter dicam, ſimulque expediam, quænam *vocem* inter & *ſimplicem ſpiritum* ſit differentia, utpote quæ tanti eſt momenti, ut, ſi ignoretur, ſurdi nonnulli loqvi non diſcant, ſicuti in Cap. III. docebitur. Homines bifariam loqvuntur, nimirum ut vel à qvovis non nimis remoto exau-

diri poſſint, & id *vox* eſt; vel cum clam quid alicui in aurem dicunt, tumq; *ſimplicem & nõ ſonorum ſpiritum* proferunt. Etiam ſurdi *vocem à ſpiritu ſimplici* dignoſcunt, utroqve enim modo loqui poſſunt, & ego ab iis differentiam hanc ex parte didici.

Vox humana eſt aër, vitæ charactere imprægnatus & ſonorus, ſive qui ita ad vocis organa inter expirandum allidit, *ut inde tremant*, absqve tremulo autem hoc motu *vox* nulla generatur: imo non ſola *larynx* inde tremit, ſed totum cranium, imo aliqvando *omnia totius corporis oſſa*, qvod quilibet manu gutturi verticiqve admota in ſe facile deprehendet. Hic tremor in plerisque ſonoris corporibus admodum eſt conſpicuus, & aëris, ni fallor, *Elateri* maximam partem debetur; quod, niſi brevitati ſtuderem, fuſius explicarem. *Simplex* autem *Spiritus* eſt aër ſimpliciter & absqve alliſione per oris nariumve aperturam expiratus, qui ſibilum potius qvam ſonum excitat. Hinc animalia, quibus *trachea* infra gut-

tur præciſa eſt, *Spiritum* quidem reddunt, at *nullam vocem*; nimis amplus enim eſt & æqvalis tracheæ tubus, quam ut aër alicubi allidere, inqve ſe reflexus tremere, tremulumque vicinis corporibus motum imprimere poſſit: Id medicorum diſcipuli norunt, vivos enim canes ſecturi tracheam ipſis præſcindunt, ne offendat latratus; *Vox* enim tantum à *ſimplici ſpiritu* differt, quantum raucus ille ſonus, quem digitorum apicibus vitrum aliqvod tabulamve fortiter fricando excitamus, diverſus eſt à *leni illo ſibilo*, qui, dum idem vitrum tabulamve manu leviter abſtergimus, auditur.

Vox itaque qua *Vox* in *Laryngis cartilaginibus* generatur, deinceps demum in has illasve *literas* fingitur: ut autem pulcra ſit *vox*, cartilagines iſtas *læves*, *nulloque muco obſitas* eſſe oportet, alioquin *rauca ſit vox*, & aliqvando plane aboletur, quando nimirum vim ſuam elaſticam amiſerunt.

Tibia aliaqve organa pneumatica vocis naturam egregie explanant; ibi enim ex ſim-

ſimplici aëre, dum laceratur quaſi, inque tremulum adigitur motum, *vocem* quandam ſeu *ſonum* generari videmus: quod autem in organis his lingula eſt, ejusve vicem implet, id homini eſt *Epiglottis* & *Uvula*, at reliquæ *gutturis Cartilagines*, præterquam qvod ad *vocis* generationem non parum faciunt, ei tamen vel *graviori vel acutiori* reddendæ maxime inſerviunt; idque præcipuè ope *oſſis Hyoidis* & annexorum muſculorum: at nolim muſculos *laryngi* proprios ab officio hoc removere, omnes enim unanimiter in *gutturis rimulam* vel ampliorem vel anguſtiorem reddendam conſpirant. Summopere hic miranda eſt facultas illa *vocem* pro lubitu flectendi, quæ, ſicuti etiam *loqvela*, nobis non naturalis eſt, ſed habitus longa conſvetudine contractus; hinc imperiti non ſaltem cantare neſciunt, ſed ne alios quidem canentes imitari poſſunt; ita & linguæ alicujus ignari, alios, lingvam iſtam loquentes, non ſolum non intelligunt, ſed nec auribus acceptam *vocem* repetere ſtatim ſciunt.

De præcipuis *vocis* requisitis est, ut ejus officina *larynx solida* sit, *sicca*, deque corporum *resonantium* natura. Hypothesi hac duo egregia *vocis phænomena* solvuntur; cur *vox* tum demum *firma* sit & *matura*, quando ossa robur suum, justamque duritiem adepta sunt, qvod circa pubertatis annos accidit, ubi vitalis calor se magis exerit. Alterum est *raucedo, vocisq;* omnimoda *abolitio*; quod fit, quando gutturis cartilagines, & maxime *Epiglottis* tenaci muco obsitæ sunt, ita enim *elaterem* suum amittunt: hæc autem vocis symptomata etiam *tibiis aliisque pneumaticis instrumentis* communia sunt, quando ab aëre halituoso nimis humectantur. Eadem ratio est, cur *vox* tandem deficiat eos, qui nimis diu declamaverunt, quorumque fauces immodico torrentur æstu, utrorumque enim *larynx* tenaci pituita obducitur.

Bina adhuc *vocis* symptomata explicanda mihi sumsi, cur nimirum *vox* ab una aliquando *octava* in aliam transiliat, &, ut vulgo bene loqvuntur, *rumpatur*; Curque vel nimis *acutam*, vel nimis

mis *gravem* reddere *vocem* conantes, ea nos plane tandem deficiat. *Primum* quod attinet, considerandum, quando id fiat, & quomodo fiat: accidit autem imprimis *oratoribus*, quando vocem nimis efferre contendunt, at quomodo fiat, *tibiæ* nos & *monochorda* docent, quando impedimentum aliquod *sonum ordinarium* in duos dirimit; si itaque partes sunt æquales, sonus uterque una octava acutior est priori, nec ab invicem distingvuntur; at si sunt inæquales, *duo diversi soni* eduntur simul, qvorum alter altero gravior; & hoc *vox fracta* communiter appellatur. Cur autem deficiat nos *vox*, quando eam *acutiorem* justo *gravioremve* reddere conamur, ratio est, quod *laryngis rimam* vel adeo contrahimus, & *cartilaginem gutturniformem* beneficio *ossis hyoidis* versus *Epiglottidem* premimus, ut exitus & voci & spiritui præcludatur; vel qvod e contra eadem *rima*, deorsum cartilagines trahendo, in tantum aperitur, ut exiens *spiritus* obstaculum offendat nullum.

Verum hic propemodum oblitus essem, *laryngis* constitutionem *sicciorem humidioremve, solidiorem aut tenuiorem*, multum etiam ad *vocem* vel acutam, vel gravem reddendam conferre. Susurrus ille, quem plurima *insecta volantia* non tam alarum, (his enim abscissis susurrus adhuc remanet) quam musculorum in pectoris cavo absconditorum celerrimo & quasi crispatorio motu excitant, aliquid cum *voce* affinitatis habere videtur, quare eruditos rogo, ut examinent, an non exigui illi, *laryngis cartilaginibus proprii, musculi* tale quid efficere queant.

Plura adhuc de *voce* disquiri possent, ut, quomodo sua quisque *voce* ab aliis *dignoscatur*, quomodo inter canendum *sonus* ille, qui καῖ' ἐξοχὴν *tremulus* dicitur, excitetur &c. verum cum ad *vocis* naturam proprie non spectent, brevitatis ergo omitto.

CA-

CAPUT II.

Literarum natura, & formandi modus exponitur.

HActenus de *voce* & *ſpiritu*, & utriusque formandi ratione in genere, jam diſpiciendum, qvomodo dicta *Vox* & *Spiritus*, ceu apta *materia*, in has illasve *literas* fingantur, unica enim literarum materia *Vox* eſt & *ſpiritus*, *forma* autem earum à meatuum, per qvos tranſeunt, diverſa configuratione petenda eſt. *Literæ* igitur, non qua ſunt *characteres* quidam, ſed quatenus enunciantur, ſunt *vox vel ſpiritus, diverſimode ab organis, loquelæ deſtinatis, figuratus.*

De *literis* autem præmonendum, qvod omnium fere magna ſit latitudo, idemque *character* non una eademque oris configuratione, etiam in eadem lingva, pronuncietur; ita *a* & *e* aperta quandoque audiant, quandoque clauſa; habet & *o* ſuam latitudinem, adeo ut multo plures eſſe literæ poſſent; imo

tot, quot diversis modis *vox* & *spiritus* ab organis loquelæ figurari queunt; at ab omnibus gentibus facillimi tantum, & maxime conspicui, quorum numerus vigesimum quartum nunqvam fere superat, recepti sunt, certisqve *characteribus* annexi: Verum cum *characteres* hi non eodem ubique modo pronuncientur, imo eadem litera eidem populo diversimode aliquando sonet, quare *Germanorum literas*, & mihi vernaculas, & omnium maxime *simplices*, hic loci examinandas delegi; idem quippe ubique fere sonant, *vocales* eorum sunt admodum simplices & rei naturæ convenientes, *diphthongi* inde compositæ componentium *vocalium* naturam retinent, quippe semper in eis audiuntur, secus ac fit in plerisque lingvis, quas vivas appellant; namque ex *simplicissimis vocalibus diphthongos* aliquando faciunt, ut sunt *au, ou, ai Gallorum, oe, eu Batavorum, vel diphthongos* adeo improprias habent, ut componentium *vocalium* vix alterutra audiatur, qualis est *oi Gallorum* & *uy Belgarum*, ut plura exempla taceam;

am; vel tam varie pro ſitus varietate, ſonant, ut ſi mihi *Gallus* aliquis ſurdus docendus eſſet, non *Gallicas* eum literas, ſed *Germanicas* ab initio docerem: alioquin plane confunderetur. Nec *conſonantium* melior ſors eſt, tamque diverſa quarundam eſt pronunciatio, ut vix duæ ſint gentes, quæ *characterem g* eodem modo efferant.

At in *Germanorum Alphabeto* mihi ordo maxime diſplicet, qui ſane nullus eſt; quippe vix duæ ejuſdem claſſis *literæ* ſe invicem ſeqvuntur, quod ſurdorum informationem multo difficiliorem redderet, quare eas in hunc ordinem, qui maxime naturalis mihi videbatur, redegi.

a. e. i. j. y. o. u. w. aͤ. oͤ. uͤ. *m. n. ng. l. r. h.*
g. ch. s. f. v. k. c. q. d. t. b. p. x. z.

Ex ſolo ordine attendentibus patet, me totum hoc Alphabetum dividere in *Vocales, Semivocales,* & *Conſonantes.*

Vocales ſunt vox, diverſa tantum apertura oris modificata, & ſunt vel *ſimplices* ſeu uniformes, ut

a. e. i. j. y. o. u. w.

 Vel

Vel *mixtæ*, quæ è duabus in unam ita coaluerunt, ut ſimul pronuncientur, & ſic à *diphthongis* differunt, utpote quarum *vocales* ſucceſſive pronunciantur: hæ autem *vocales mixtæ* ſunt aͤ oͤ uͤ. quas gentes quædam vel planè non habent, vel male ſcribunt: verum de formationis modo infra plura dicentur.

Semivocales ſunt medium quid inter *genuinam vocem* & *ſimplicem Spiritum*, poſſuntque pro lubitu ad inſtar *vocalium* produci; ſunt autem vel *Naſales*, ut *m, n, ng.*

Vel *Orales*, ut *l. r.*

Conſonantes ſunt *ſimplex ſpiritus*, non ſonorus, varie tamen modificatus: ſuntque triplicis generis:

Vel enim *ſucceſſive* pronunciantur, & ad lubitum produci poſſunt, ut *g, ch, s, f, u.*

Vel ſubito *exploduntur*; quas proin *exploſivas* voco, ut *k, c, q, d, t, b, p.*

Vel *compoſitæ* ex duabus præcedentibus, quarum numerus diverſis gentibus diverſus eſt, *Germani* duas habent, *x* nimirum & *z.*

Divi-

Divisioni huic, in qua maxime ad literarum naturam & pronunciandi modum respexi, non in congrue additur, quod literæ hæ in tribus potissimum *oris regionibus*, ima nimirum seu *gutture*, media seu *palato & dentibus*, & denique extrema seu *labiis* efformentur; hinc de singulis earum classibus fere tres sunt, *Gutturalis* una, *Dentalis* altera, & tertia *Labialis*: sed de his pluribus infra.

Præoccupabo hic Lectorem, qui in sequenti capite mihi objiciet, hanc meam doctrinam semper fore mutilam, quoniam surdi omnes, qvos lingva, labiis &c. efficimus, motus nunquam visu suo sint assecuturi: Verum, præterqvam qvod visus auditui vivida sensibilitate non cedat, nec opus id esse assero, si aliqualem fecere progressum; namqve & nos sæpissime literas istas, quas ego *Consonantes* appello, inter pronunciandum non audimus, sed ex admixtis *vocalibus* & *semivocalibus* colligimus; nemo v. gr. *b*. vel *g*. vel *d*. ita enunciabit, ut centum inde passibus audiri possit. Et hæc præcipua mihi ratio videtur, cur verbum

bum aliqvod, peregrina lingva prolatum, prima vice rariſſime repetere queamus.

Antequam autem *literarum* in ſpecie naturam, & formandi modum explicem, hic non omittendum cenſui, quod, ſicuti omnes *literæ*, etiam *vocales* ipſæ, tanquam *ſpiritus ſimplex* & non ſonorus aliqvo modo pronunciari poſſunt, cum v. gr. alicui quid in aurem ſuſurramus, ita & conſonantes, exceptis illis quas *Exploſivas* appello, vocaliter ſeu adjuncta *voce* proferri poſſint, genteſque ſint, quæ ita pronuncient, ut *Galli* z ſuum & *v*.

Jam de *literis* in ſpecie agam, easque ita examinabo, ut *literarum Germanicarum* & perfecta ſimplicitas eluceſcat, & aliæ gentes ex formandi ratione diſcere queant, quomodo eas pronunciare oporteat; hinc inde etiam addam, quam improprie nationes quædam eaſdem *literas* ſuo idiomate reddant. In explicatione autem hac eundem quem in diviſione, ordinem ſervabo, ubi *vocem* & *Spiritum* pro triplici oris regione tripliciter figurari ſponte patebit.

Voca-

Vocales itaque *simplices* & uniformes sunt *a, e, i, j, y. o, u, w,* & seqventi modo formantur.

a, Vocalis est *Gutturalis*, & omnium maxime simplex, clavis *Alphabeti*, ac proin litera initialis apud omnes gentes, exceptis solis, qvod sciam, *Abyssinis*, quibus teste M. *Ludolfo* decima tertia est. Vario qvidem *linguæ* situ pronunciari potest, communis tamen & maxime conveniens est, ut *lingva* in situ qvietis suæ sit, blande in *ore* exporrecta, *dentiumqve inferiorum* marginem vel non, vel leviter tantum attingat: si itaque *maxilla* inferior deorsum trahitur, & *os* ita aperitur, ut *vox* in *gutture* efformata nec ad *dentes*, nec ad *labia* impingat, *a* quoddam apertum audietur.

e, i, j, y, sunt *vocales dentales*, seu vox, quæ inter prodeundum ad *dentes* magis minusve allidit, hinc *infantes* licet dicant *pappa*, *bo &c.* has tamen *literas* pronunciare nequeunt, donec *dentes*, saltem *incisorios* habeant: Et quidem *e* formatur, dum vox, leniter diductis *labiis*, ad *dentes* itidem modice diductos impingit;

git; *lingvæ* autem talis situs sit, ut utrinq; *caninis dentibus inferioris maxillæ* aliqvantulum obnitatur, ita enim *vocis* meatus redditur angustior, & *e* multo fit clarius.

i, j, & y. sunt eadem *vocalis*, modo correpta magis, modo producta, nec ullo nititur fundamento, *i* aliquando *consonantem* fieri, sed rapidius tantum pronunciatur, ut cum seqvente vocali *diphthongum* constituere queat: cæterum formatur *i.* eodem fere modo, quo *e*, nisi quod *dentes* magis ut plurimum stringantur, & *lingva, dentibus* obnixa, *vocis* meatus reddatur angustior; unde sonus quoque emergit acutior, qui tamen aliquando ab *e* distingvi vix potest: *y* autem est *i* solito productius seu geminum.

o, u, w. sunt *vocales labiales*, seu quæ vario *labiorum* situ efformantur, & tantundem inter se differunt *o* & *u.* quantum *e* & *i*: *w.* autem ad *u.* se habet sicuti *j.* ad *i.* Formantur quidem *o, u, w.* dum *dentes* & *lingva* eundem, quem in *a*, situm retinent, *labia* autem, sicuti in *e* & *i* dentes, magis vel minus contrahuntur, & sic,

quan-

qvando minus ſtringuntur, *o* habebitur, quando autem aliqvanto magis, *u* vel *w*: at ſollicite cavendum, ne, dum *o* vel *u* pronunciatur, appareant *dentes*, alioquin facile tenue quoddam *e* admiſceretur, & loco *o* vel *u* haberetur ő vel ű. Hæ *literæ* ſunt *Gallorum*, *au*, & *ou*, cum tamen nihil minus ſint quam *diphthongi*, & *Belgarum oe* eſt noſtrum *u*, ſed admodum improprie.

Vocales mixtæ ſunt ä. ő. ű. harum *characteres* lingvæ noſtræ peculiares ſunt, & admodum ingenioſe à Veteribus excogitati, licet moderni pleriqve rationem neſciant. Simplicem habent quæqve characterem, qvoniam *ſonus*, quem ſignificant, *unicus* eſt, licet *mixtus*; ſunt enim *a*. *o*. & *u*. ita pronunciata, ut *vocis* tranſitus, *lingva dentibusque* ad *e* pronunciandum compoſitis, anguſtior reddatur, & ita *e*. cum dictis literis *a*. *o*. *u*. unicam at *mixtam vocalem* conſtituat. *Galli* eas reddunt per *ai*, *eu*, & *u*, & quidem ſatis male, ut quilibet videre poterit. *Belgæ* carent ä, ő reddunt per *eu*, ű autem per *u*, nihilo melius quam *Galli*.

De

De *Diphthongis*, è *vocalibus* his compositis, quæque inde componi possent, multum dicere supervacaneum duxi; nihil enim in lingva nostra sunt, qvam solito rapidior, successiva tamen, componentium *vocalium* pronunciatio: & ita à *vocalibus mixtis* differunt. At quam improprias & absurdas gentes nonnullæ *diphthongos* habeant, quivis ex hactenus dictis facile colligere poterit.

Altera *literarum* Classis sunt *semivocales*, ideo ita dictæ, quod formentur quidem è *spiritu sonoro* seu *voce*, at quæ in itinere suo multum infringitur. Sunt, ut dixi, vel *Nasales*, sive quæ per meatum, quo *nasus* in *oris cavitatem* hiat, pronunciantur: *Vox* autem eò transire cogitur, cum vel ad compressa appellit *labia*, & inde regurgitans in *m* formatur: vel cum *lingvæ apex* ita palato *dentibusve superioribus* adaptatur, ut vox per *nares* regurgitare debeat, & ita *n* formatur: vel deniqve cum posteriori *lingvæ* parte, *palato* admota, ita *vox* coercetur, ut exitus non nisi per *nares* pateat, & sic *ng*. formatur; *sonus*, qui peculiarem in nulla, quod sciam,

am, lingua *characterem* habet, cum tamen à reliquis *nasalibus* non minus differat, quam *k*. diversum est à *t* vel *p*. Si quis hæc secum experiri cupiat, *naso* digitis compresso unam de tribus pronunciare conetur, nec poterit.

Vel sunt *Orales*, quæ qvidem per *os* pronunciantur, at non tam libere quam *genuinæ Vocales*, suntque duæ *l* & *r*. Fit *l*, quando *lingua* ita applicatur *palato dentibusque superioribus*, ut *Vox* non nisi exili radio juxta *lingvæ latera* erumpere possit; si enim *genas* versus *molares dentes* premas, exitum voci præcludes, & difficulter admodum hanc *literam* pronunciabis. *r* est *vox* summa rapiditate *fluctuans*, & formatur, dum pars *lingvæ* mobilior oculi ictu aliquoties palato & applicatur, & iterum inde retrahitur; ita enim *vox*, in *gutture* formata, inter pronunciandum fluit refluitque, & *subsultim* effertur: hinc qvorũ *lingua* nimis gravis est & humida, minusque volubilis, *literam* hanc, sive audiant, sive surdi sint, non bene pronunciabunt.

Jam restant adhuc *consonantes*, seu li-

teræ, quæ ex *non sonoro seu muto spiritu* formantur: è qvibus tamen nonnullæ *semivocales* fieri possunt, ut *g. ch. s. f. v.*

Sicuti *Vox vocalium* & *semivocalium* communis est materia, ita *consonantium* est *spiritus* quidam *asperior* seu *h*, quod omnium est simplicissima, & è quo diversimode figurato reliquæ fiunt. Suntque vel *sibilantes*, quæ ex *spiritu* alicubi compresso seu coarctato formantur, quales sunt *g. ch. s. f. v*: *g* quidem seu *ch* fit, quando *fauces* ope partis lingvæ posterioris adeo arctantur, ut transiens *spiritus* cum *sibilo* quodam vique erumpat.

Hic non prætereundum censeo, quod sint *Germaniæ* tractus, ubi tanta *g* cum *k* est affinitas, quanta *b* cum *p*, & *d* cum *t*, seu ubi *g* tanquam *k* lenius pronunciatur; ita & *Galli g* suum ante *a. o u.* & *ou* pronunciant.

s formatur, quando *dentes* & *lingva* ita invicem aptantur, ut *spiritus* non nisi per *dentium interstitia* prodire possit: *f* autem seu *v*, quod ab *f* non differt in lingua nostra, fit, quando *labium inferius* ita superioribus admovetur *dentibus*, ut *spi-*

ritui

ritui per eadem *dentium interſtitia* ſit e-rumpendum: *ph* eſt *f*, lingvæ *Germanicæ* peregrinum, nec ab eo quicquam niſi *cha-ractere* diverſum.

Alterum *conſonantium* genus ſunt *Ex-ploſivæ*, quæ nimirum uno impetu, & veluti ictu oculi excutiuntur, ſuntque aliud nihil quam *ſpiritus*, qui vel in *anteriori*, vel in *media*, vel in *poſtrema* oris regione coacervatus *ſubito exploditur*: & *k* quidem formatur in *poſteriori regione*, quando pars *lingvæ* poſtrema ita admovetur *palato*, ut *ſpiritus* nec per *os* nec per *nares* erumpere poſſit, ſubitoque iterum laxatur; ita enim *ſpiritus* coërcitus erumpit, & erumpendo *k c* vel *q* efficit, quæ *Germanis* eadem *litera* ſunt: in media regione formantur *d* & *t*, quando nimirum *ſpiritus* ope *lingvæ*, *dentibus palatove* admotæ, ſubitoque iterum retractæ, magis minusve compreſſus, proprio *elatere* proſilit, & ita vel *d* vel *t* efficitur, quæ tantum, ſicuti *b* & *p*, ſecundum magis & minus differunt: in regione oris *extrema* generantur *b* & *p*, quando nimirum *ſpiritui*, in tota *oris cavitate* compreſſo, ſo-

lutis *labiorum* repagulis, fores patent.

Seqvuntur tandem *consonantes*, ex *sibilante* & *explosiva* compositæ, ut sunt *x* seu *ks* & *z* seu *ts*, unica anomalia lingvæ *Germanicæ*; si enim, quod sentio, eloqui licet, *characteribus* his commode carere possemus: usum tamen eorum non improbo, sed tantum, quid convenientius esset, ostendo; nimirum ut *vox* vel *spiritus* simplex simplici quoque *charactere* exprimatur, & contra, ut simplex & unicus *character* non nisi unam *vocem spiritumve* significet: si autem *tachygraphiæ* commodum objiciatur, omnes possibiles vocalium cum semivocalibus & consonantibus combinationes simplicibus *characteribus* exprimere svaderem.

Hæc sunt, qvæ de *literis*, earumque formatione dicere constitui, cumqve *Grammaticam* scribere non sit animus, quæ de *istis* præterea dici possent, prætereo; quid autem præstiterim, aliis dijudicandum relinqvo, non tam docere eos, quam præsentibus excitare, & ab iis, sicuti juvenem decet, discere avidus; errores spero ætati condonabuntur. Certus

tus tamen sum, si veteres *Hebræi, Græci* & *Romani*, ita suas descripsissent *literas*, de pronunciationis modo jam litem non fore.

CAPUT III.

Ipsam Methodum docet, qua surdi, & ob surditatem muti, loqvi discere possint.

HActenus dicta attendentibus quidem sufficere possent, totius qvippe artificii fundamenta continent: at ne salivam tantum sibi movisse me querantur curiosi, ingenue iis aperiam, quid quadriennio hoc, quo surdis quibusdam instituendis operam dedi, scitu & dignũ & maxime necessarium observaverim: quid autem hac mea Methodo effecerim, imprimis in filia spectatiss. *Dn. Kolardi, Mercatoris Harlemens.* præter magnam *Hollandiæ* partem & universam fere *Harlemensem* civitatem, alios omnis conditionis testes habeo innumeros.

Primum, quod in subjecto docendo reqviro, est, ut sit docilis ingenii, & ætatis

tis non nimis puerilis,tum ut loqvelæ organa bene habeat conſtituta; ſtupidi enim nullius doctrinæ ſunt capaces, qvorum ætas nimium adhuc tenera eſt, nec ſatis attendunt, nec uſui ſibi commodoque id fore ſciunt: quorum autem organa loquelæ ſunt inidonea, alios quidem loqventes intelligere, ſuamque ſcripto mentem aperire poterunt, at loqvi non diſcent.

Aptum igitur ſubjectum nacto prima cura eſt, ut *vocem* eliciam, ſine qua labor fere irritus eſt omnis: id autem, qvo ſurdi *vocem* à *ſpiritu muto* in ſe diſcernunt, eſt magnum artis *myſterium*, & *ſurdorum*, ſi ita loqvi fas eſt, *auditus*, aut ejus ſaltem analogum, nimirum tremulus ille motus & titillatio, quam, dum vocem ſponte ſua edunt, in proprio percipiunt gutture. Ut itaque ſcire ſurdi poſſint, me, dum *pro voce edenda* os aperio, non ſimpliciter hiare, mutumve expromere *ſpiritum*, manum eorum *gutturi* meo admoveo, ut tremulum ejus motum, dum *vocem* edo, ſentiant: tum eandem manum proprio admovere *gutturi*, meque imitari jube-

jubeo; nec terreor, si *vox* ab initio sit scabra & difficilis, magis enim ac magis tempore politur.

Si *vocem*, quod prima plerumque vice fit, obtinui, *vocales* eos brevi tempore pronunciare doceo: nimirum *oris aperturam*, dum *vocem* in gutture fingunt, ita moderari jubeo, sicuti supra de vocalium formatione dixi: ut autem eo facilius id possint, speculum adhibeo, quia diversos istos *maxillæ, lingvæ* & *labiorum* motus ex solo intuitu imitari neqvirent, nisi aliquoties id coram speculo tentaverint. Inde dedici, falso communiter credi, surdos, statim ac auditus ipsis redderetur, locuturos; tanta enim inter vocis organa & auditum consensus esse non mihi videtur, ut prima vice auditam *vocem* imitari possimus; verum acceptam ab aliis *vocem spiritumve* sæpius imitando, propriamque simul audiendo, utriusqve demum similitudinem deprehendimus, & ita omnes loqvi discimus; qvi enim loqvi discit, perinde est, ac si aliam quandam artem addisceret, longa namque consvetudine organa redduntur

apta & ductilia; hinc peregrinas literas aliquando non nisi longo tempore rite pronunciamus.

Probe autem considerari velim, me nō omnes statim literas surdis præscribere, alioquin ideas suas figere nequirent, quod tamen summopere est necessarium; & raro plus qvam duas tresve *literas* uno die doceo, ne turbentur ideæ: at sæpissime eas repetere, & à me pronunciatas pingere jubeo.

Si autem casu, ut fit aliquando, unam *literam* pro altera pronuncient, non increpo, sed applaudo, & satis mihi factum innuo, protinusque *literæ* illius *characterem* in chartam defigo, ut ideam ejus cum figura connectere possint. Interim dum *vocales* addiscunt, manum sæpissime *gutturi* meo admoveo, ut vocem edere assuescant.

Quando *vocales* ipsis familiares sunt, ad semivocales accedo, quæ aliquanto sunt difficiliores, imprimis *nasales*; per *nasum* enim surdi vocem non nisi docti reddunt, proinde incipio ab *m*, utpote maxime conspicua, & reliqvis faciliori, ut sal-

ut ſaltem vocem per *nares* reddere aſſueſcant: Jubeo itaque *labia* comprimere, manuque *gutturi* admota *vocem* edere, & ita neceſſario *m* pronunciant, non autem *em*, ut vulgo pronunciatur. Dn. Kolardi filia, antequam curæ meæ commiſſa erat, dicere qvidem poterat *Pappa*, eſt enim *vocula* fere nobiſcum nata, at fatebatur mihi *Parens*, ſe plus millies fruſtra tentaſſe, ut diceret *Mamma*: quod tamen ego minuto temporis effeci.

Alterum jam tibi arcanum committo *Lector*, ut ſcilicet, ſi tibi docendus ſit ſurdus, caveas, ne *ſemivocales* & *conſonantes* cum annexis ſuis *vocalibus* ſimul pronunciare doceas, ut v. gr. *em*, *en*, *ka*, *ef*, *te &c.* ita enim nec legere, nec rite qvicquam effari diſcerent. *Semivocalium* & *conſonantium* vis non eſt in adjecta *vocali*, ſed in peculiari vel *voce* vel *ſpiritu*: cumque dicere ſurdũ velles *Tafel*, vel *Swartz*, nihil audires, quam *Te, a, ef, e, el*, vel *Es, we, a, er, te, zet*, quod valde eſſet abſonum, nec facile emendares: Hac autem *methodo*, primum ac *literas* norunt, legere incipiunt, nam *legere eſt literas ſucceſſive tantum pronunciare*, NB.

NB. Id in *Scholis* etiam magni usus esset imprimis quando lingvæ docentur, quarum *literæ* integris *vocibus* exprimuntur, ut *alpha*, *omega*, *gimel*, *dubbeld u*, *zet* &c. plurimum enim temporis perditur, discendique desiderium pueris adimitur, antequam initiales harum vocum *literas* abstrahere, & inter *legendum* connectere possint; adeo ut sit summo mirandum opere, egregium hoc Lectionis compendium hactenus delituisse.

Reliquæ nasales *n.* & *ng.* peculiare nihil habent, nisi qvod surdis *lingvæ* situm in speculo ostendam, manumque *naso* meo admoveam, quo *spiritum sonorum* per *nares* egredi sentiant.

Quando *l* doceo, linguam *dentibus superioribus*, at *incisoriis* tantum & *caninis*, adhibere jubeo, tum ut *vocem* per *os* edant, signum do manu: at ne loco *l* pronuncient *n*, quod fit, cum *lingva voci* adeo præcluditur exitus, ut regurgitet per *nares*, eas, donec assveverint, digitis leniter comprimo.

Litera *r* est omnium fere difficillima, de sex tamen surdis, quos hactenus in-

for-

formavi, quatuor eam ſumma facilitate pronunciabant; reliqui duo non niſi in *faucibus* eam efformare poterant; doceo autem dum manum eorum modo *gutturi*, modo *ori* admoveo, quo ſubſultantem & interruptam *vocis* expulſionem quaſi palpare poſſint; in ſpeculum quoque aliquoties reſpicere jubeo, ut tremulum & fluctuantem *lingvæ* motum obſervent: at nemo genuinam hujus *literæ* pronunciationem prima vice expectet.

Vocalibus & *ſemivocalibus* probe inculcatis, *conſonantes* nullo fere negocio addiſcuntur, ſunt enim *ſpiritus ſimplex* & *mutus*, pro diverſa *oris apertura* vel *ſucceſſive* vel *ſubito* prodiens, & ſola fere manu, ori admota, facile omnes doceri poſſunt.

h omnium eſt ſimpliciſſima, nec aliud quid eſt quam aër, qui ſolito denſius & concitatius expiratur.

g ſeu *ch* eſt *h* aſperius, quod ita doceo, dum ſurdis meis lingvæ ſitum in ſpeculo oſtendo, ſpiritumque prodeuntem palpandum do: ita ſe res habet cum *s* & *f*, utpote quibus nihil eſt facilius, quæque

ex

ex antecedenti deſcriptione facillime diſci poſſunt.

Conſonantes *exploſivas* ſurdum, etiamſi cœcus eſſet, docerem, ſi enim exploſum ipſi ſpiritum darem palpandũ, unam de tribus neceſſario pronunciaret: ſimpliciter enim ad *os* meum *lingvamque* reſpicere jubeo, tum manu *ori* admota, vel *k*, vel *b*,*p*, vel *d*, *t*, pronuncio, &, ut idem faciant, impero.

x & *z*, non aliter pronunciantur quam *ks*, vel *gs*, (ubi *g*, eſt conſonans *exploſiva*) & *ts*: quare nihil de iis addo.

Diligenter aſſuefaciendi ſunt ſurdi, ut has *ſemivocales n*, *ng*, *l*, *r*, nec non ſeqventes *conſonantes*, *b*, *g*, *k*, *t*, qvavis *oris* apertura pronuncient, alioquin eas quandoque non ſine notabili hiatu & dyſphonia cum *vocalibus* quibusdam jungere poſſent. In genere autem hibernum tempus inſtituendis ſurdis fere aptius eſt; ſimul enim halitus, inter pronunciandum ab ore provenientes, videre poſſunt.

Qvando itaque ſurdum aliquem *literas* hactenus enumeratas ſingulatim pronunciare docui, duas tresve de facillimis

ita

ita effari doceo, ut inter eas hiatus non sit: v. gr. *ab, am, da, fa, ef, &c.* ut literas successive pronunciare assuescant; tum sensim difficilioribus *combinationibus* assvefacio, *vocales, semivocales*, & *consonantes* invicem miscendo, & ita parvo negocio *legere* discunt: si qvid autem legerunt, eos ad os meum respicere, idemqve, denuo à me pronunciatum, repetere jubeo; ita enim sensim assuescunt humanam vocem solo intuitu imitari: at nolim eos hoc labore, satis molesto, donec multum profecerunt, fatigari, absterrentur enim.

Interim sedulo laborandum, ut, quando *consonans* seqvitur aliam *consonantem*, ut *ps, kt, ks, sch, &c.* vel *semivocalem*, ut *ls. lk, md, &c.* immediate eas jungant inter pronunciandum, ne *i* qvoddam inter utramqve audiatur vel *e*, qvod, nisi cavetur, freqventer accidit.

Qvando legere, & alios loqventes aliqvo modo intelligere possunt, eos ceu recens natos tracto; primo *nomina* maxime obvia doceo, tam *substantiva* quam *adjectiva*, ut & *verba* & *adverbia* maxime necessaria, tum *declinationes* & *conjugatio-*

nes,

nes. Egregii autem hic usus mihi fuit *Qvintuplex ille versatilis orbis*, dives totius lingvæ *Germanicæ* Thesaurus, quem in *Swenteri* deliciis Mathematicis reperi, auxi, & Belgico etiam idiomati applicui: ibi, præter omnes possibiles *vocalium*, *semivocalium*, & *consonantium combinationes*, omnes itidem vocabulorum *Germanicorum* terminationes, ut & derivata & composita cito jucundeqve edisci possunt. Primus *orbis* continet *præpositiones* & *voculas*, cum quibus *nomina* & *verba* componuntur; secundus *literas initiales*; tertius *vocales* & *diphthongos*; qvartus *literas finales*; qvintus deniqve omnes *Germanicas terminationes*.

At magna videtur difficultas, qvod literæ nonnullæ, ut *e* & *i*, *o* & *u*, eadem fere oris apertura enuncientur, adeoque confundi eos necesse sit; revera autem parvi est momenti, plerumqve enim non animadvertitur differentia, & literæ, quæ quoad naturam suam longe magis differunt, eodem fere modo scribuntur, maxime inter festinandum, ut *m* & *n*, *r* & *n*, *a* & *o* &c. quæ tamen exercitatum *lectorem* non remorantur. Alii

Alii objicient, *surdos* ita doctos, forsan præter me neminem intellecturos: hæc sane difficultas aliquid ponderis habere videtur, at sciendum, homines plerasqve *literas* æqve male pronunciare, ac earum *characteres* negligenter pingunt; cum tali autem, qui loqvi discit, perinde est ac qvi aliorum scripturas legere docetur; primo enim vix quicqvam nisi à *Magistro* scriptum, deinceps & à commilitonibus, deniq; e nihil non leget, licet pessime pictum. Non itaque mirandum, si, qvos loqvi doceo, ab initio me cæteris facilius intelligant (ego enim *literas* in omni sua *extensione*, non autem *mutilas*, ut multi solent, pronuncio) tum domesticos & familiares, & tandem quemlibet.

Sub finem addo, quod pleræque literæ tam inspirando qvam expirando formari possint, qvod in *Gastriloqvis* qvibusdam valde admiratus sum: & *Amstelodami* olim vetulam qvandam utroqve modo loqventem, sibique ad qvæsita respondentem, audivi, ut eam cum viro, duos tresve passus inde remoto, colloqvi pejerassem; *vox* enim, inter inspirandum

ab-

abſorpta, de longinquo venire putatur.

En, *Lector*, trium dierum opuſculum; ſi qvid rectius proferes, cum gratiarum actione accipiam: ſunt & alia adhuc qvædam, ſcilicet, qvomodo efficiatur, ut ſurdus literas quasdam, ab alio pronunciatas, diſcernere ab invicem qveat, ut *m* à *b*, *n* à *d*, *ng.* à *k*, *&c.* vel qvomodo ſyllabarum qvantitas ſit moderanda. Verum hæc & ſimilia vix niſi docendo poſſunt diſci.

Sapienti ſat dictum.



DE-

DECEMBER.

THEOLOGIA SCHOLASTICA ET EJUS INITIUM.

(Autore Jacobo Thomasio.)

§. 1.

QVæ de initio Theologiæ Scholasticæ ſcripſimus *p. 62. Schediaſmatis*, ea hic illuſtrare, & imprimis Danæi de Scholaſticæ Theologiæ origine, progresſione & ætate duplici ſententiam disquirere propoſitum eſt.

§. 2. Edidit de Theologia Scholaſtica tractatum, uti prolixum ac laborioſum, ita ſic ſatis, ut opinor, accuratum, Tubingæ Anno 1624. Chriſtoph Binderus, Theologus Würtenbergenſis, talem certè, cujus primum caput, & aliquam partem ſecundi, fortaſſe & plura digna haberet poſteà D. Joh. Himmelius, Theologus Jenenſis, quæ tantum non de verbo tranſcriberet in ſuum de Theologia Scholaſtica Tractatum, editum Jenæ A. 1632. unà cum aliis tractatibus duobus, uno de Canonicatu, altero de Jure Canonico.

§. 3. Ante Binderum idem argumentum, ſed brevius exegerat è Reformatis Lambertus Danæus *Prolegom: in Lombardi Sent. l. 1.* qui cum Commentariis ejus impreſſus habetur Genevæ Anno 1580.

§. 4. Neque non legerat iſta Binderus, ſed aliena tamen in ſuum horreum non avertit, ac ſua potius cum Danæanis, licet omiſſo Danæi nomine, ob diſſidium ut opinor, religionis comparavit, & inter illa aut nihil, aut parum diſtare profeſſus eſt *c. 1. p. 22.*

§. 5. Danæum ſecutus, uti reor, aliqua ex parte eſt Alſtedius in Theſauro Chronologiæ p. 453. & ſeqq. Danæi certè tres illæ ſunt Scholaſticorum ætates ab Alſtedio ibi annotatæ.

§. 6. Ego hic illud agam, ut quæ hiſtoriam Danæi legenti mihi venerunt in mentem, annotem. Sed jacienda prius erunt quædam futuri examinis fundamenta, certæque ponendæ hypotheſes.

§. 7. *Hypotheſis I.* Theologia Scholaſtica diſtinguenda eſt à Jure Canonico, tanquam diſciplina theoretica de credendis, â diſciplina practica de faciendis.

§. 8.

§. 8. Inculcat hoc diſcrimen Himmelius *p. 553.* dum Scholaſticam Theologiam fulcrum Papatus theoreticum; Jus verò Canonicum fulcrum vocat practicum.

§. 9. Diſtinctioni huic etiam non obſcure favet Calixtus *in apparatu*, cùm *p. 143.* Lombardum Scholaſticorum Theologum, Gratianum verò Canoniſtarum, quaſi parentes facit. Ille enim inquit, ſententiis, quæ ad doctrinam: Iſte decreto, quæ ad gubernationem ſpectant, complecti voluit.

§. 10. Ipſe Danæus quoque aliquo modo diſtinguit *p. m. 22.* his verbis: Gratiani porrò propoſitum ad imitandum ſibi propoſuit Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, ſed in disſimili plane argumento. Nam in Theologiæ verſari ipſe maluit, quàm in forenſibus litigioſisque quæſtionibus.

§. 11. *Hypoth: II.* In ipſa Theologia Scholaſtica diſtinguendum eſt inter virtutem & vitium, h. e. inter ea, quæ recte & quæ prave gerebantur.

§. 12. *Hypoth: III.* Ad virtutes refer, quod methodo utique aliqua, Theologi-

cam de credendis doctrinam comprehendere voluerunt: Quod maximam ingenii contentionem adhibuerunt: Quod it: in disputando abstinuerunt â convitiis, licet acerrime interdum dissentirent inter se.

§. 13. De hac ultima virtute Calixtum vide *p. 138.* apparatûs, quem non dubito ista depromsisse ê Grotii *Prolegomenis de Jure B. & P. p. m. 11.*

§. 14. *Hypothesis IV.* Vitia vero Theologiæ Scholasticæ longe fuerunt plura virtutibus. Quo factum etiam, ut nostris Scholasticæ Theologiæ (qualis inter Pontificios videlicet fuit,) odiosum esse nomen cœperit, cum olim Scholastici appellatio fuerit honorifica.

§. 15. Innuit & hoc Calixtus *d. l.* dum definitionem Scholasticæ Theologiæ talem proponit, quæ vituperabilem eam potiùs, quam laudabilem arguat. Confer quæ de Scholasticis & eorum Theologia differit Binderus *p. 13. 14.* qui etiam *p. 16.* docet, Scholastici Doctoris appellationem olim in laude fuisse.

§. 16. *Hypoth. V.* Vitiorum Scholasticæ Theologiæ aliud ad conclusiones pertinet, aliud ad medios terminos.

§. 17.

§. 17. *Hypoth. VI.* Ad conclusiones, quod quæstionibus Theologicis ex professo miscuerunt non-Theologicas, h. e. eas, quæ proprie spectant ad aliquam partem Philosophiæ: quòd Conclusionibus Theologicis veris miscuerunt falsas, qualis illa v. gr. est de transsubstantiatione: quod utilibus inutiles, iis, de quibus facta est nobis â DEO revelatio, curiosas, seriis denique ridiculas.

§. 18. Talium quæstionum longum Catalogum vide apud Binderum *c. 2. p. 24. & seqq.*

§. 19. *Hypothesis VII.* Ad medios terminos & eorum discursionem refer, quod sepositis fontibus S. Scripturæ, ex imperitia linguarum aliisque causis ad impuros versionum rivulos deflexerunt: quod sæpe in probando plus apud eos valuerunt sententiæ Patrum, Decreta Conciliorum aut Pontificum, vel rationes Philosophorum, etiam Ethnicorum, imprimis Aristotelis, quam Scriptura S.

§. 20. Vide definitionem Calixti supra citatam; de Regno verò Philosophiæ & Aristotelis inter Scholasticos lege Binderum *p. 15. 16.* Danæum *p. 19. & 21.*

§. 21. *Hypoth: VIII.* Et quoniam ita Sacram Theologiam adulteraverunt admixtione Philoſophiæ & ejus quidem gentilis, non modò circa medios terminos, ſed etiam circa Concluſiones; Non peccaverit fortaſſe, qui formalem hujus vitii rationem maxime reponat in commixtione Sacræ Theologiæ cum Philoſophia gentili.

§. 22. Emendemus obiter Binderum, cujus hæc verba leguntur *p. 15. Hoc certum eſt, Philoſophiæ cum Theologiæ & humanarum traditionem mixtione* (Sphalma hoc retinet etiam Himmelius *p. 696.* cum ſenſus poſtulet ſic legi: *Philoſophiæ & humanarum traditionum cum Theologia mixtionem*) *peperiſſe Scholaſticam Theologiam. Ex duobus non ſatis integris factum eſt unum corruptum.*

§. 23. *Hypoth. IX.* Qua è commixtione & violenta duorum pugnantium conciliatione fieri non potuit, quin vis inferretur hinc hiſtoriæ Philoſophiæ, illinc Theologiæ orthodoxæ.

§. 24. *Hypoth. X.* Circa ipſam Theologiæ Scholaſticæ hiſtoriam diſtinguendum eſt tempus occaſionum â tempore ipſius

ipsius Theologiæ Scholasticæ, tanquam tempus conceptionis à tempore nativitatis, ut quorundam ætates hominum computamus à nativitate potius quàm conceptione, sic in Theologiæ Scholasticæ ætatibus procedamus similiter.

§. 25. *Hypoth. XI.* Occasiones duæ videntur præcipuæ. Alteratio ecclesiæ Romanæ, & defectio à Religione puriore ad impuram: Altera exortus Philosophiæ Aristotelicæ in orbe latino, & veneratio ejus post versiones novas operum Aristotelis.

§. 26. Ostendimus autem, studio conciliandi Philosophiam gentilem cum religione Christiana, h. e. falsitatem cum veritate, factum esse, ut utraque migraret in aliam faciem. Necesse ergò fuit, ut veritas abiret in deterius, falsitas in melius. Atque sic occasionem ex una parte dedit religionis corruptio, ex altera nimia Philosophiæ glorificatio.

§. 27. *Hypoth. XII.* Tempus autem ipsius Theologiæ Scholasticæ natæ non altius repetendum videtur, quàm ab eo ævo, ubi in Ecclesia latina titulo sententiarum coeperunt scribi *systemata Theologiæ* universæ. *a*)

a) *Tu Lector candide nota hic originem systematum Theologiæ Scholasticæ, pro quibus tanquam pro aris & focis pugnant Matæologi.*

§. 28. *Hypoth. XIII.* Id autem factum est Seculo XII. quo Petrus Abelardus hujusque discipulus, Petrus Lombardus, atque alii scripserunt quisque sententias suas.

§. 29. De libro sententiarum Abelardi, qui floruit circa annum 1140. diximus alibi (vide suprà caput de Vita Abelardi.)

§. 30. Lombardi liber sententiarum nemini ignotus est. Lombardi autem ævo Alstedius *in thesauro Chronologico* assignat Annum 1145. *p. 453.*

§. 31. De sententiis aliorum, puta, Petri Pictavini & Gilberti Porretani, vide Launogum *de Fort: Aristotelis.*

§. 32. *Hypoth. XIV.* Atque hic notabile est, quod mox inventi fuerint, qui sententiarum illos Scriptores incusarent, quod Trinitatis & divinæ incarnationis mysteria Spiritu censerent Aristotelico, *b*) h. e. miscerent Theologiam Philosophiæ Gentili, teste Launogo *d. l.*

b) *Annon & hodiè idem fit in systematibus*

bus Theologiæ Scholasticæ? Quæro saltem, nihil definio.

§. 33. His ita præstructis, commemorationem Danæi in brevia quædam puncta à me, ordine quidem ipsius servato, contractam, sub examen vocabo.

§. 34. *Punctum Danæi Primum p. m. 18. & 20.* Prima Scholasticæ Theologiæ initia ad tempora Lunfranei referenda sunt, qui circa Annũ 1020. transsubstantiationem defendit adversus Berengarium.

§. 35. Επίκρισις. Confundere hic videtur tempus gestationis in utero cum tempore nativitatis.

§. 36. Lanfraneum, quem Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis *p. 65.* claruisse scribit Anno 1060. (Alstedius *p. 453.* disputationi ejus adversus Berengarium assignat Annum 1050.) toto pene seculo ante natam sub Abelardo & Lombardo Theologiam Scholasticam, constituo vi Hypotheseos XII. & XIII. Neque enim sub libris à Lanfraneo scriptis apud Trithemium appparet ullus sententiarum aut similis, qui Theologiæ Systema præ se ferat.

§. 37. Quod autem transſubſtantiationem defendit, ad occaſionem naſcendæ Theologiæ Scholaſticæ Hypoth. XI. memoratam referri meretur, ſicut ipſe Danæus *p. 21.* ſtudium evertendæ veritatis verbi Dei inter cauſas agnoſcit probandæ doctrinæ Scholaſticorum.

§. 38. Interim, quod ipſe nihilominus maluit ipſius Theologiæ Scholaſticæ primum initium â Lanfraneo repetere, dediſſe eum putem religioni Reformatæ, quæ Berengario Lanfranei adverſario circa Artic: de S. Cœna ὁμόψυφος eſt, ut ſcil: gloriari poſſet, Patriarcham hunc ſuum ſtatim ſe naſcenti Theologiæ Scholaſticæ oppoſuiſſe.

§. 39. Verùm obſervavit Binderus *p. 22.* Berengarium in alterum extremum imprudenter delapſum eſſe, cum nihil præter nudum panem & vinum in cœna eſſe dictitaret. Durius locutum alicubi agnoſcit ipſe Danæus *p. 19.*

§. 40. *Punct. II. p. 18. 19. 21. in fin:* Cauſa novationis fuit defectio â doctrina Auguſtini cùm in aliis, tùm in loco de Cœna Domini, quam revocare conatus eſt Berengarius.

§. 41.

§. 41. Ἐπίκρισ. Potius defectionem à Verbo DEI (quanquam & de hoc loquitur,) causare debuisset. Interim fateor, secessionem ab Augustini Theologia, quatenus sana ea fuit, sacrisque literis consentanea, inclinationem non parvam fecisse ad hanc labem. Verum hic insuper duo notanda.

§. 42. Primum, quòd utcunque ab Augustini dogmatibus discesserunt Scholastici, ipsum tamen inter latinos Patres maximi fecerint semper operamque dederint enixè, ut ab eo non recessisse viderentur, torquendo videlicet Augustini dicta in sensus suos.

§. 43. Deinde, quod dissensionis hujus præcipuum caput constituendum videatur, non in loco de Cœna Domini, tùm, quia locus ille non est ejusmodi, ut ab eo reliquos quasi pendere sit necesse, tùm, quia dubium esse potest, annon dissensio Berengarii ab orthodoxia deterior, quam Lanfranei: Sed in loco potius de statu hominis post lapsum, qui capitalis est locus. Constat verò hic, Pontificios ab Augustino maxime discessisse ad partes Pelagianorum,

rum, peccatum originale extenuando, & liberi arbitrii vires exaggerando.

§. 44. Qui facit imprimis commentum purorum naturalium, de quo videndus Cornelius Jansenius tribus libris de statu puræ naturæ, imprimis *lib. ult. cap. ult. f. 977. & 978.* ubi docet, ante millesimum annum & seculum Scholasticum non vocatum fuisse in dubium, quin & sanctitas Dei violetur, si quis statuat, concupiscentiam & malitiam primo homini concreari à Deo potuisse, & justitia, si creaturam innocentem diris afflictionibus premere potuisset.

§. 45. *Punct. III. p. 20. 21. 22.* Huic primæ causæ successit altera posteà, æmulatio videlicet potestatis Imperatoriæ & Studium Juri Cæsarum civili, quod circa annum 1030. revocavit Irnerius, opponendi Jus Canonicum seu Pontificium, cujus decreta in unum volumen primus congessit Gratianus circa Annum 1040.

§. 46. Ἐπίκρ. Confunditur hic historia Juris Canonici cum historia Theologiæ Scholasticæ, contra Hypoth. I.

§. 47. Gratiani compilationem Decreti Alsted. *p. 453.* refert Anno 1140. integro

gro diſſentiens à Danæo. Sed pro Alſtedio facit hic & Calixtus, qui *p. 134.* Seculum ait, originem præbuiſſe Juri Canonico, ejusque ſtudio, neque ſolius ſed alterius quoque civilis, quod etiam ante inſtitutam à Gratiano Canonum collectionum opera Jrnerii in lucem revocaverit Lotharius Saxo.

§. 48. *Punct. IV. p. 22.* Gratiani exemplum, licet in disſimili argumento ſecutus Lombardus IV. libros ſententiarum compoſuit circa Annum D. 1150.

§. 49. Ἐπίκρ. Annum 1145. hic asſignat Alſtedius p. 153.

§. 50. Cæterum Lombardus, licet ejus autoritas hoc in genere maxime invaluerit, nec primus tamen ſententias ſcripſit. Ante ipſum enim fecit hoc Præceptor ejus Abelardus, nec ſolus. Idem enim quoque fecerunt Petrus Pictavinus & Gilbertus Porretanus per Hypoth. XIII.

§. 51. *Punct. V. p. 22.* Tanti autem habitus eſt Lombardus, ut adverſus eum ne hiſcere quidem ullis licuerit. Nam cum poſt A. D. 1190. Joachimus Abbas Florentinus Petri Lombardi ſententiam impugnaret

gnaret, ab Innocentio III. ſtatim Lateranenſi Concilio damnatus eſt.

§. 52. Ἐπίκρ. Joachimum Abbatem rectène pro Florenſi nominaverit Florentinum Danæus, alii viderint.

§. 53. Sed hoc bene eſt, nec ad negotium præſens ſpectat: Illud excutiendum potius, an adverſus Lombardum hiſcere nemini licuerit.

§. 54. Fuit ſane Lombardus diſcipulus Abelardi, quem pro hæretico (tametſi reſipuiſſe narratur,) damnatum conſtat. Quanquam autem Lombardus proſpexit, ne præceptoris errores in ſuas ſententias irreperent, traxiſſe tamen omnino aliquid putem ex fonte cœnoſo, quod occaſionem dederit Galtero, ejus pariter & Abelardi ac Petri Pictavini ſententias accuſandi, tanquam quæ damnatas ipſius Concilii hæreſes refoderent, ut ex Launogo didici.

§. 55. Succesſit huic Joachimus Abbas Florenſis, ac tametſi impetum ejus Concilio Lateranenſi Anno 1215. represſit Innocentius III. tamen ut habet Launogus, Galterus prior & Joachimus Abbas, vel alii certè id denique conſecuti ſunt, ut ex ſententiis Lombardi poſteà fieret indiculus

non-

nonnullarum, quæ minimè docerentur. Hæ ad calcem ſententiarum deſignantur, h. m. *Articuli in quibus Magiſter ſententiarum communiter non tenetur.*

§. 56. *Punct. VI. p. 23.* Cæterum â Scholaſticis ne ſcripta quidem juniorum Orthodoxorum Patrum citabantur, qui minus cum Scholaſticis determinationibus videbantur conſentire. Bernardi enim Clarevallenſis nunquam vel Gratianus vel Lombardus meminit, quanquam Lombardus ſane Hugonis de S. Vict: ſcripta citat, qui Bernhardo fuit æqualis, uterque enim floruit Anno 1190.

§. 57. Ἐπίκρ. Quod Lombardus Hugonem Victorinum citans, non eodem honore dignatus eſt Bernhardum, vide, an datum ſit amori Præceptoris Abelardi, cui vehementer reſtiterat Bernhardus.

§. 58. *Punct. VII. p. 33.* Circa annum 1190. novum Evangelium â Cyrillo Carmelito cœptum eſt cudi, quod æternum Evangelium appellarent. Eo dogmata Scholaſtica confirmabantur, ritus ſuperſtitioſi Romanæ Eccleſiæ approbabantur. Sed Dominus Joh: Valdonem excitavit, qui primus omnium blaſphemum Cyrilli Evan-

Evangelium publicè confutaret. Valdoni plures ſeſe adjunxerant. Denique à Gvilielmo de S. Amore anno 1254. Evangelium illud everſum eſt.

§. 59. Ἐπίκρ. Neſcio, an multum commercii habuerit cum Scholaſtica Theologia æternum illud Evangelium, præſertim cum conſtet, damnato per Papam illo Evangelio, non minus quàm Valdonis doctrina, manſiſſe tamen Theologiam Scholaſticam, fuiſſeque propagatam.

§. 60. Videndum quoque, annon novum illud Evangelium affinitatem aliquam habuerit cum novo Evangelio (ſic enim appellabat Bernhardus) Petri Abelardi, quod ipſum tamen pontificiæ Eccleſiæ damnaverunt.

§. 61. *Punct. VIII. p. 24.* Scholaſticæ Theologiæ, ut Academicæ Sectæ, triplex conſtitui poteſt ætas, vetus, media, nova *c*). Vetus à Lanfraneo ad Albertum Magnum, ab anno 1020. usque ad A. 1220. Media ab Alberto Magno ad Durandum, h. e. ab anno 1220. ad 1330. Nova poſt Durandum usque ad Lutherum, qui eam primum revertere cœpit anno 1514. Vetus

Aristotelem in limen Theologiæ, Media in adytum recepit: Nova priores duas vicit impudentiâ, de rebus etiam abditissimis magistraliter affirmans, quod in veteri & mediâ non factum.

c) *Hodiè addenda quarta: novissima, post Lutherum ad nostra tempora, quæ reliquas impudentiâ vincit, & hodiè nota characteristica est eorum, qui se solos Lutheranos dicunt, reliquos clamant esse hæreticos aut heteredoxos.*

§. 62. Ἐπίκρ. Transeat, quod hic Danæus, ubi Lutherum nominat, pro A. 1517. quo cœpit reformatio, ponit 1514.

§. 63. Non inutile forte fuerit in ætates distinguere Scholasticos. Sed quæri potest, an distinguendi fundamentum satis accurate ponatur à Danæo Aristoteles, jam in limen, jam in adytum Theologiæ receptus, quod tamen probabilitate sua non caret.

§. 64. Quæri etiam potest de limitibus singularum ætatum. Omitto ætates reliquas. Primæ limitem initialem constituit Danæus Lanfrancum, Lombardo

100. annis antiquiorem. Quæ si placet ætas, videndum, annon Rucelini potius mentio hic facienda fuerit pro Lombardo, ut secta Nominalium & Scholastica Theologia eosdem quasi habeant natales.

§. 65. Interim certum est, non omnes hic eadem sentire. Alii enim â Lanfranco, alii à Petro Abelardo, alii ab hujus discipulo Petro Lombardo inchoant primam Scholasticorum ætatem. *Vid. Horn. Hist. Phil. p. 296.* Chemnitius *contrà Concil. Trident. f. 371.* ab Alexandro de Ales rem auspicatur.

§. 66. Pro Abelardo facit & Mornæus *in Myster. Iniqv. p. 686. his verbis: Ut Bernhardus è vita excedit, Abelardi Schola in Scholasticis continuatur, qui ejus methodum ita secuti, ut illorum Pater jure agnoscatur.*

* *Misereatur Deus populi sui, & Theologiam Scholasticam, contrà serias prohibitiones Lutheri à spuriis ejus quibusdam successoribus iterum ex orco revocatam, in tartara cum omnibus systematibus, quæ eidem superstructa sunt, detrudat! Conservet*

The-

Thesaurum Thesaurorum sacras literas, & Spiritu suo excitet earum intellectum in cordibus omnium fidelium, ut omnes Laici fiant Clerici, uti tempore Apostolorum fuit, h. e. ut totus populus fiat Sors electa Domini. Fiat! Fiet.



OPINIO ALB: KYPERI *DE* QUATUOR ANIMÆ FACULTATIBUS.

(Autore eodem.)

§. 1.

UT *animæ sensitivæ* potentiæ tres numerantur, *sentiens*, *appetens* & *locomotiva*; ita non incommode totidem assignes *animæ rationali*, *intellectum*, qui sensui, *voluntatem*, quæ appetitui sensitivo, & *locomotivam* quandam *animi*, quæ locomotivæ corporis proportione respondeat.

§. 2. Hæc animi locomotiva certo modo illud ipsum est, quod *memoriam intellectivam* vocarit quidam, dummodo

 limites

limites memoriæ intellectivæ ita constituas, ut omissa potentia species intelligibiles servandi, alteram illam promendi servata huc afferas, illique addas præterea potentiam vertendi animum seu cogitationes etiam ad extrà, vel ad nunquam anteà reposita in mentem.

§. 3. Non negabo interim, esse, quibus illa memoria intellectiva, dum cæteris facultatibus duabus tanquam tertia additur, sensu vulgari capitur, ita scil. ut illam asservandi potentiam includat, præter hanc verò nihil dicat, quam illam alteram promendi reposita. Qua ratione memoria hæc partim latior erit locomotivâ nostrâ, partim angustior.

§. 4. Atque hoc sensu capit eam Alb. Kyperus *lib. X. Inst. Phys. c. 1. n. 6. p. 553.* sic definiens: *Memoria intellectiva est facultas animæ rationalas, quâ ea, quæ ab intellectu percepta sunt, asservare, & pro necessitate rursus intellectui cognoscenda exhibere potest.*

§. 5. Idem porrò *d. l. n. 7. §. 3. p. 537.* non contentus tribus animæ facultatibus, *quartam* quoque addit, *facultatem nempe*

exe-

exequendi, his verbis: *Solet hic ambigi, quot sint constituendæ facultates animæ rationalis? Plerique* duas *faciunt, intellectum & voluntatem. Quidam* tertiam *adjungunt, nempe facultatem exequendi, aliqui &* quartam *adjiciunt, nempe memoriam intellectivam.* a) *Ego quoque quatuor*

a) Vellem autores addidisset. Nam mihi quidem noti sunt, qui memoriam faciant tertiam, non quartam, de illa exequendi facultate penitus tacentes. Qui verò executricem faciat tertiam, memoriam quartam, neminem novi, cùm ipse quoque Kyperus posteà executricem extremo memoret loco, quod & ipsa ratio postulat.

constituendas esse existimo: quia tot sunt actiones inter se primò diversæ in ordine ad facultates, nempe intelligere, memorari, velle, & exequi.

§. 6. Bis ergò à nobis dissidet Kyperus; semel, quod intellectivæ memoriæ limites alios ponit, atque factum est à nobis in hoc negotio; iterum, quod tribus animæ facultatibus, quartam etiam putat addendam.

§. 7. De memoria intellectiva jam dictum est anteà. Consideranda tamen hic ea porrò, quæ addit Kyperus in sequentibus mox verbis: *Sed his*, inquit, *regerunt aliqui, memoriam ad intellectum esse revocandam, vel memoriam* (puta intellectivam & à sensibus distinctam,) *animæ rationali, dum in corpore est, non convenire*. Duo hic vocantur in disceptationem, sed ordo postulat, ut ab eo, quod Kypero posterius est, incipiamus. Quæritur enim primo: Deturne in homine memoria intellectiva? Deinde: si detur, an non eadem illa sit cum intellectu?

§. 8. Prius illud rectissimè affirmatur à Kypero, quanquam & duabus illis rationibus, quas ipse negantibus opponit, plus fidei tribuo, saltem aliquâ ex parte, quam secundæ. Videamus utramque.

§. 9. *Contra secundum*, inquit pag. 536. *est 1. quod memoria intellectiva conveniat angelis* (hoc me non magnoperè movet, magis id, quod sequitur) *imo & ipsi animæ rationali in statu separato, un-*

de concludendum est, quòd eidem nequeat denegari in statu unionis, nam nihil animæ datur ob statum præternaturalem, sed tantum ob naturalem.

§. 10. 2. *Si intellectus in corpore uteretur tantùm memoria sensitiva, nunquam immediate universalia aut spiritualia posset ex memoria comprehendere. Nam talia memoria sensitiva non potest asservare.* Vis argumenti in eo est, quod putat Kyperus, absurdum esse, si quis statuat, intellectum universalium non posse recordari immediatè. Atqui negabit fortasse adversarius, hoc magis absurdum esse, quam si quis dicat, primam universalis naturæ apprehensionem non fieri nisi mediante sensu, fundamentum universalis naturæ suppeditante. Hoc posterius tamen absurdum non est, cum in intellectu nihil sit, quod non fuerit prius in sensu. Porrò si maxime quælibet universalium naturarum recordatio fiat mediante memoriâ sensitivâ, nihil tamen inde talis opinator dicet decedere facilitati recordandi aut bonitati, cum in eo ipso consistat naturâ habitus intellectualis, ut

phantasmatibus in memoriâ sensitivâ conservatis illabens, è vestigio & absque negotio possit ex illis universalia abstrahere.

§. 11. Quod ad posteriorem attinet quæstionem, si accurate consideres, ipsa non una est, sed duplex. Quæras enim primo: An memoria intellectiva (h. e. potentia species intelligibiles condendi & promendi; patiar enim hic illum sensum obtinere) realiter differat ab intellectu (h. e. potentia res sensu perceptas, prius intelligendi) nec ne? deinde, sive realiter hæc duo differant, necnon, quæritur porrò, an ab utriusque conceptù specifico abstrahi possit Notio communis, & illi imponi vocabulum intellectus generatim accepti, nec ne? In his duobus prius nego, posterius affirmo.

§. 12. Nego inquam, intellectum & memoriam intellectivam (id quod de voluntate etiam poterit exaudiri) realiter differre, id quod alibi docendum est pluribus. Affirmo interim, ab intellectu & memoria posse abstrahi notionem communem, & huic in defectu vocabu-

lorum

lorum imponi posse nomen intellectus jam latius acceptum, quam ubi opponitur memoriæ.

§. 13. Unde sequitur, in vocabulo intellectus aliquam esse ambiguitatem posse, dum modò stricte capitur, modò late. Beneficio autem hujus distinctionis utcunque conciliari queunt opiniones duæ, quarum una duas tantum nominat animæ rationalis potentias, intellectum & voluntatem, altera tertiam illis adjungit memoriam intellectivam. Non pugnabunt hæ sententiæ, si dicas â priore vocem intellectus latè, â posteriore strictè exaudiri.

§. 14. Jam ut ad Kyperum redeam, videtur ille quæstiones duas §. 11. â me distinctas confundere, ac pro iisdem habere, cum idem ipsi, ut ê collatione diversorum textuum, & ipsorum argumentorum resolutione patebit, esse videatur, memoriam ad intellectum esse revocandam, ut loquitur suprà §. 7. & facultatem cognoscentem & memorantem in anima rationali non distingui, ut

loquetur §. 15. Quorum prius illud retulerim ad quæstionem priorem, posterius ad posteriorem.

§. 15. Jam argumenta, quæ in hoc quæstionum genus offeruntur à Kypero, hæc sunt: *Contra primum*, inquit, *est, quod (1) actio memorandi diversa sit ab actione intelligendi, & (2) nulla appareat ratio, quare in anima sentiente destinguamus facultatem cognoscentem & memorantem, non autem in anima rationali. Et porrò si intellectus non differret á memoria, (3) semper intelligeret, quod semel cognovit, vel (4) non posset rursus intelligere, quod ante intelligit, nisi de novo ipsi Objectum obveniret, quorum utrumque falsum est.* Quatuor distinxi argumenta, ut de singulis dici seorsim posset.

§. 16. Omnium autem hic unus est scopus, ut illorum opinio convellatur, qui negant, per memoriam intellectivam augeri, debere facultatum animæ rationalis numerum, cum ea possit ad intellectum revocari, h. e. sub intelle-

ctus

ctus acceptione latiore ſeu notione communi comprehendi.

§. 17. Hic obſerves velim, eos non ideò memoriam ad intellectum revocatam voluiſſe, quia cum eo ſit realiter idem, hac enim ratione & voluntas erat ad intellectum revocanda, ſed quia ab utrisque poſſit abſtrahi notio communis, perinde uti fieri videmus in facultatibus animæ ſenſitivæ. Nam & hic memoria ad ſentientem revocatur facultatem.

§. 18. Quid jam ad hæc Kyperus? Pleraque argumenta ejus talia ſunt, ut ad illam potius de reali facultatum diſcrimine quæſtionem, quam ad hanc de unius facultatis ad alteram revocatione pertineant: porrò nec illo altero quæſtionis genere, ſi maximè de eô controverſiam cum eô hic excipias, ea dicit, quæ ſatisfaciant.

§. 19. Primum argumentum huic Enthymemati poteſt includi: actus memoriæ realiter diſtinguitur ab actu intelligendi. E. & potentia utriusque actus realiter

liter differt. Hic nego consequentiam. Multorum enim artuum, sæpe & contrariorum eadem est potentia.

§. 20. Secundum hunc pariet Syllogismum: Ut in anima sentiente se habet facultas cognoscens & memorans (i.e. sensus & memoria sensitiva) sic & in intelligente intellectus & memoria intellectiva. At in sentiente cognoscens & memorans distinguuntur. E. & in rationali intellectus & memoria. Hic sive contra realem identitatem harum duarum facultatum, sive contra revocationem unius ad alteram velit argumentari Kyperus, (dubia enim res est) nego minorem.

§. 21. Nam si de reali discrimine controvertitur, nego in anima hominis (nisi de hac loquatur Kyperus, nihil ad rem loquitur) sensitiva sensum & memoriam realiter differre.

§. 22. Quod si de revocatione unius ad alteram sermo est Kypero, ipse sibi contradicit, utique enim lib. VIII. c. 1. ibi has facit animæ sensitivæ faculta-

tes

tes, primam cognoſcentem ſeu ſenſum n. 18. p. 352. ſecundam appetentem n. 32. p. 354. tertiam locomotivam n. 41. p. 355. Sub primâ manifeſte comprehendit memoriam n. 19. & 23. p. 352. 353. quod & paſſim alii faciunt Phyſicorum. Cogitare ergo ſic debebat, ut memoria ſenſitiva revocetur ad ſenſum latè acceptum. Repete §. 13.

§. 23. Tertium Kyperi argumentum ſic poteſt informari. Quæcunque potentiæ realiter idem ſunt, earum unâ occupatâ in opere ſibi proprio, occupatur ſimul & altera in opere ſibi proprio. Atqui memoria occupata in opere ſibi proprio (quod eſt ſervare ſpecies) non ſimul occupatur intellectus in opere ſibi proprio (quod eſt ſpecies actu intelligere.) E. memoria & intellectus non differunt realiter. Minor probatur: memoria enim continue vel etiam ſemper ſervat quidam ſpecies: Sed eaſdem intellectus non ſemper ſpeculatur. E. memoria interdum occupatur, non ſimul occupato intellectu. Verum hujus argumenti

menti Majorem nego. Quæ si vera esset, sequeretur, nullam dari potentiam realiter eandem ad opposita seu contradictoria, cum certum sit, talia simul exerceri non posse.

§. 24. Quartum argumentum cogat in formam Syllogismi Categorici qui potest, ego fateor consequentiam ejus mihi sic obscuram esse, ut eam plane non assequar.

§. 25. Nunc quartam videamus Kyperi facultatem animæ rationalis, illam videlicet exequendi. Ante omnia verò danda opera, ut eam ex mente hujus autoris, qualis ipsa sit, imaginemur.

§. 26. Ipsius ergò de eâ p. 564. seqq. hæc sunt verba *XI. Facultas animæ rationalis exsequens est talis virtus animæ rationalis, qua præstare potest ea, quæ voluntas constituit. §. 1. Ejus operatio spectatur tum in statu unionis, tum in statu separationis. In statu unionis consistit 1) in moderatione affectuum. Nam quia affectus in homine ratione dirigi debent, data est animæ rationali*

tionali aliqua virtus, quâ ad rationis dictamen componerentur. Hujus virtutis executio valde per lapsum imminuta & depravata est, at in statu integritatis ita perfecta fuit, ut nullatenus rationis imperium excutere possent. (2) Consistit in dirigenda explicatione conceptuum mentis per sermonem. Quia enim sensitiva facultas non est capax rationis; etiam per se explicare non potest, quæ per rationem exprimenda sunt. (3) In gubernatione facultatis motivæ inferioris secundum voluntatis determinationem. Atque propter eam causam motus humanus est voluntarius & liber. Intelligitur verò hic tùm motus secundum totum, tum secundum partem. Quærat quis, quò referatur gubernatio risûs? Formaliter ad gubernationem locomotivæ secundum partem. Atque eo quoque locutio pertinet. Si quis ergo velit, poterit bipartire exequentis facultatis operationem, ut nempe tum affectus moderetur, tum facultatis locomotivæ sensitivæ operationes sive secundum partes, sive secundum totum, hominem de loco moveant. §. 2. In statu separationis hæc facultas exequens consistit in virtute

loco-

locomotiva tum sui, tum aliorum, & in virtute manifestandi suos conceptus aliis. Etsi enim dubitatur: An animæ rationali in statu separationis conveniat virtus se de ubi transferendi? tamen probabilior sententia hoc affirmat. Quippe cum & angelis ea virtus competat, & etiam inferioris gradus entibus, & quia ad assequendum id, quod appetit, facit, non videtur ei deneganda. Sic dubitatur quoque, an anima rationalis lvim habeat in statu separationis, alia à se ocomovendi? Attamen cum ea in statu unionis corpus promovere possit, & angeli pariter immateriales queant lapides & alia materialia de loco in locum transferre, imò verò etiam angelos alios inferiore movendi virtute præditos de ubi suo dimovere: non adverto rationem, propter quam animæ rationali virtus ea, quâ inferiora prædita sunt, de suo loco alia deturbandi, non attribuenda sit. Quod verò posterius concernit: an anima rationalis in statu separationis possit conceptus suos aliis à se manifestare, istud certum est, quod possit Deus illos exponere: & Theologi probabile putant, ani-

animas rationales beatorum inter se & cum bonis angelis suo modo colloquia & conversationem habituras.

§. 27. Summa horum est: Facultatem exeqventem in corpore qvidem consistere 1. in moderandis affectibus. 2. in loqvendo. 3. in gubernatione locomotivæ: ad quam tamen illa etiam loqvendi perinde ut ridendi vis revocari possit, ut adeò pro tribus membris duo appecreant; extra corpus autem 1. in locomotiva & sui & aliorum, 2. in virtute manifestandi suos conceptus.

§. 28. De statu illo præternaturali extra corpus nolo jam esse sollicitus, præsertim cum obscura sit hujus rei inqvisitio, & ad aliquam Physica superiorem scientiam pertinere videatur.

§. 29. In altero verò statu, qvem anima degit in corpore, malim ad duo membra vim exequendi contrahi, quam spargi ad tria, vel si peculiarem etiam vim facias ridendi, ad quatuor. Causa vero, cur speciatim noster de locutione & risu solicitus esse voluerit, hæc esse videtur, quod hæc duo habet homo propria sibi, neque cum mutis animantibus communia, prius etiam tale est, ut aliquo modo se exerat in statu separationis, dum anima conceptus suos aliis aperit.

§. 30. Observari porro hoc loco velim illud qvoqꝫ, exeri aliqvam exeqvendi facultatem in ipsa, qvam ita voco, animæ locomotiva, dum

ad imperium voluntatis, intellectus ad speculandum se promovet.

§. 31. Secundum hoc dici possit, executativam animæ hoc in corpore vim immanentem esse, vel transeuntem. Immanentem voco, quæ manet intra facultates animæ ut rationalis, atqve hæc exeritur in animæ, qvam dixi locomotiva. Transiens autē ille est, quæ egreditur ad facultates animæ sensitivæ, imperatque jam appetitui sensitivo, jam locomotivæ: locomotiva autem sive totius corporis sive partium ejus certarum.

§. 32. Sub locomotiva certarum corporis partium non malè comprehendit Kyperus loqvendi etiam & ridendi potestatem. Fortasse tamen non inepte illud etiam addam, cum locutione conjungi qvodammodo & animæ qvandam locomotivam, cum risu autem aliquod imperium in sensitivum appetitum. Loqvimur enim ea, quæ cogitamus; ridemus autem ferè ex affectu aliquo.

§. 33. Observandum ulteriùs, ab imperio voluntatis excipi aliàs qvasdam vices animæ tùm rationalis, ut intellectum à locomotiva animæ eum distingvimus; ut sensum, ut locomotivam, quæ est in arteriarum pulsu & similibus: non enim, si maximè velim, imperare arteriis possum, ut citiorem motum, tardioremve edant, nec oculorum sensui, ut, quod album est, nigrum videat, nec intellectui, ut, qvod clare intuetur falsum, verum esse persvadeat sibi.

§. 34. Distingvamus ergò omnes animæ totius actus in necessarios, qui voluntatis imperio non subsunt, & liberos. Liberos autem dividamus in tales per essentiam, quales in voluntate reperiuntur immediatè, & per participationem, quales à voluntate originaliter profecti aliis tamen facultatibus obedire imperio voluntatis credentibus, ut locomotivæ animæ juxta & corporis, item appetitui sensitivo, formaliter inhærent.

§. 35. Unde simul vides, posse hos actus liberos reduci partim ad voluntatem tanquam in suam originem, partim ad potentias obseqviosas tanquam ad suum subjectum.

§. 36. Patebit autem intuenti facultatem illam exequendi, ut Kyperus vocat, nihil aliud esse, quam facultatem exercendi actum participative liberum, nisi quod ille facultatem istam omisit quærere in animæ locomotiva.

§. 37. His ita præmissis, videamus, rectè ne idem Kyperus tribus animæ rationalis facultatibus addiderit loco qvartæ vim illam exeqvendi? Quod nego, cùm illa quatenùs originaliter ad voluntatem refertur, sub eadem optime contineatur, qvatenus verò subjective ad facultates obseqventes, non pertineat ad animam ut rationalem, sed ut sensitivam (nam locomotiva animæ ignota Kypero est,) de qvâ hic non sumus solliciti.

§. 38. Hinc patet, qvid regerendum sit Kypero sua defendenti. *Porrò sunt*, inquit p 538.

qui facultatem â voluntate differre nôn putant. Verùm res secus se habet. Videamus qvid afferat.

§. 39. *Primò enim,* ait: *facultas exequens voluntate posterior est, nam præcedit velle, sequitur exequi.* Hic distingvo 1. inter actum & potentiam, actus actu posterior est, at eadem nihilominus utriusqve actus esse potentia potest saltem originaliter. 2. Quod si executiotionem referas ad facultatem obseqventem concedo qvidem, aliam esse potentiam obseqventem, aliam voluntatem imperantem; sed inde nondum orientur qvatuor facultates animæ rationalis: nam illa obseqvens facultas aut locomotiva est animæ, & per me non differet â memoria intellectiva rectè exposita, aut appetitus sensitivus vel locomotiva corporis, neutra verò pertinebit ad potentias animæ rationalis.

§. 40. *Secundò, in anima inferiori, sensitivâ nempe, differunt facultas appetens & exequens.* (exeqvens animæ sensitivæ facultas Kypero est ipsa locomotiva, ut clarè patet ê Lib. VIII. c. 1. n. 41. p. 358.) *Ergò & in rationali.* Benè. Dicam igitur, locomotivæ corporioris, opponendam esse in anima rationali locomotivam animæ: qvæ si maxime â voluntate differt, non tamen differet â memoria intellectiva sic, ut par est, exposita.

§. 41. *Tertiò, quia unius harum facultatis actus potest esse, ita ut alteriùs non sit. Ita bonum, quod volumus, non semper facimus aut facere possumus.*

Sequi-

Seqvitur ergò, exeqvendi vim, si subjective consideratur, â facultate differre: nondum seqvitur, augeri hinc debere numerum. Repete priora.

* *De Kyperi sententia satis dictum. Majorem usum arbitror habere illam distinctionem aliarum quatuor animæ facultatum. Duæ passivæ sunt, duæ activæ. Duæ in intellectu, duæ in voluntate. In intelectu passiva sensio, activa meditatio, in voluntate passiva inclinatio, activa impulsio. Passivæ præcedunt activas & his nobiliores sunt, & per eas percipiuntur res quoad essentiam suam, quæ perceptio viva est. De quâ re alibi distinctius.*

STATUS ANIMÆ HUMANÆ QUOTUPLEX?

De Statu animæ separatæ opiniones variæ.

(Autore eodem)

§. 1.

STatus animæ humanæ multiplex est. Nos præcipuas divisiones ita digeremus.

§. 2. *Primò*: Status animæ humanæ alius est in corpore, alius extra corpus. Ille vocatur & Status animæ conjunctæ, hic separatæ.

§. 3, *Secundò*: Status animæ conjunctæ alius est in tempore, alius in æternitate.

§. 4. *Tertiò*: In tempore alius ante lapsum hominis primi, alius post lapsum. *a*)

a) Status animæ post lapsum iterum variis modis videtur dividi posse, nempe (1) phy-

ſice, in ſtatum infantiæ & adultæ ætatis; item in ſtatum hominis furioſi , & ſana mente præditi; item vigilantis & dormientis. (2) ethicè, in ſtatum (qui præcipuè ad adultos attinet.) vitii, ſemivirtutis, virtutis. (3) theologice in ſtatum gratiæ & iræ &c. Verum deſcendere hic hucusq; non libet.

§. 5. *Quarto*: in æternitate vero alius hominum beatorum, alius damnatorum.

§. 6. *Quintò*: Similem in modum Status animæ ſeparatæ alius eſt animarum beatarum, *b*) alius damnatarum.

b) Videndum, an harum ſtatus non iterum dividi queat in ordinarium & extraordinarium. Extraordinarium puta illorum, qvi in hac vita reſuſcitandi erant â mortuis ad vitam temporalem, denuo cum morte commutandã. Durum enim qvibusdam videtur dicere, hos ab illo beandorum illuſtri ſtatu ad has miſerias revocatos fuiſſe: itaq; malunt dicere, animas horum ſeparatas illet, nondum tamen perveniſſe ad illum terminum, quem alias habent animæ beandorum in illo cœleſti gaudio; ita ſententiam cape M. A. de Dominis. Videndum vero, qvid hic noſtri Theologi dicerent.

§. 7. Sunt hæ diviſiones conſentaneæ dogmatibus orthodoxorum , ſed nulla eſt earum, qvam ex heterodoxis una factio vel altera non impugnet, aut in eâ nihil deſideret.

§. 8. Qvod enim ad *primam* attinet, negabunt

eam,

eam, qvotqvot statuunt, animam nobis esse mortalem, eamqve sic esse corpori divinctam, ut subsistere extra illud non qveat.

§. 9. Verùm hi vicissim sunt in duplici differentia: Quidam enim negant, suas corporibus animas unqvam redire post mortem, ut in gentilibus Epicurei & horum similes: alii animas, utut cum corporibus extinctas, concedunt tamen â Deo unà cum corporibus denuò resuscitatum iri, ut hæretici, qvos vocant Arabicos.

§. 10. Atqve hoc dissidium diffundit se in divisionem *secundam*, qva status animæ conjunctæ alius esse dicebatur in tempore, alius in æternitate. Concederent enim eam Arabici, negarent Epicurei, ut qvi vitam illam æternam abnegant.

§. 11. *Tertiam* divisionem, ut de Pelagianis nihil hic dicamus, rejicerent Origenistæ *c*) qvatenùs ea proposita fuit â nobis, tanqvam subdivisio animæ cum corpore conjunctæ, qvam ita dixim⁹ alio fuisse in statu ante lapsum Adami & Evæ, alio post lapsum. Illi enim Platonicorum deliriis imbuti animas ante lapsum voluerunt corporibus nudas fuisse, post lapsum demum in corpora qvasi carceres qvosdam intrusas.

c) vid. Eder. Matæol. hær t. p. 11. qvi similia tribuit p. 13. Flagellantibus, & p. 214. hæreticis de Barulo.

§. 12. *Quartam* insufficientiæ arguerent Ponti-

tificii, qvi ſtatum aliqvem inter damnatos beatosq; medium ſibi fingunt, in qvo partim olim fuerint ante Chriſti deſcenſum patres Teſtamenti veteris in limbo, partim hodie ſint infantes non baptizati, quibus & ipſis limbum fabricant peculiarem; partim animæ adultorum in purgatorio, qvæ corporibus exceſſerint ante perſolutum Deo perfectè per ſatisfactiones vel ſuas vel aliorum pro delictis pretium.

§. 13. *Qvintam* negarent Pſychopannichytæ, præſertim illi craſſi, qvibus animæ omnes tam piorum qvam impiorum, veterno tam profundo ſunt occupatæ, ut cum nullas plane operationes exercere, aut ullo vel gaudio vel mœrore aliove ſenſu affici eas credant, æqva, ſine exceptione pro ſtatu illius temporis ſit omnium, ſive beandæ olim veniant, ſive damnandæ, conditio.

§. 14. Atq; ſic ſtatus ipſos animæ varios diſtinximus, ſecundum eam opinionem, qvam veram eſſe credimus. Aliter procedendum, ſi qvis non jam veros animæ ſtatus, ſed opiniones ipſas circa ſtatus animæ tàm veras, qvàm falſas diſtingvere velit, ubi qvidem non intelligo diviſionem illam, qva opinionum alia vera dicitur, alia falſa, ſed qva nullo veri falſiqve habito diſcrimine qvolibet in ſtatu animæ, ſeparantur inter ſe opiniones ex ſola propoſitionum inter ſe collatarum propinquitate aut diſtantiâ.

§. 15.

§.15. Quæ res ut evadat dilucidior, ê solo statu animæ separatæ petemus exemplum. Quo loco imprimis nobis commodus erit Discursus M. Antonii de Dominis lib. V. de Republ. Eccl. c. 8. n. 75. & seqq. f. 257.

§. 16. Ait ille, circa statum animarum separatum tres invenire se opiniones, extremas duas & unam mediam, deq; re tota in sequentibus ita disserit, ut illa sententiarum divortia hunc in modum enunciare liceat: Animæ hominum post mortem vel perfectè sunt beatæ aut miseræ, vel imperfecte, vel nec beatæ nec miseræ. Primam & ultimam sententiam extremas vocat, (qvanqvam in iis ordinandis ita ipse procedit, ut ultimam nostram primo, primam ultimo numeret loco) secundam, cui & ipse assentitur, mediam.

§. 17. Est autem prima illa, quam Pontificiis tribuit. Secunda, qvam in Calvino repperisse se gaudet; tertiam rectissime tribuemus Anabaptistis, ut adeò primam imposterum vocare possimus brevitatis ergò, si ipsum seqvamur, Pontificiam, tertiam Anabaptisticam, secundam Calvinianam.

§. 18. Licet verò in hujus ipsius controversiæ decisione Marcum hunc Antonium sequatur D. Georgius Calixtus, cum eoqve primam illam Pontificiorum rejiciat, approbata Calviniana: tamen sinceriores Theologi nostri hac parte Calixtum deserunt *d*) maluntq;

d) vid. Joh. Meisner. disp. II. de stat. an. sep.

qui §. 7. ostendit M. Antonio de Dominis hic adhæsisse Calixtum: ipsam verò sententiam hanc rejicit §. 12. seq. Add. Carpz. Isagog. p. 474. n. 8. Conf. Hülsemanni Calixt. Gewissens-Wecker in Procem. p. 2. & in opere ipso p. 642.

aggregare hic se Pontificiis qvàm Marco Antonio de Dominis *e)* aut Calvino.

e) Meisn. Disp. II. §. 12. ubi ad refutandam Calvini sententiam accedit, ante omnia ex mente Pontificiorum qvædam observat ac probat: sententiam verò ipsam M. A. de Dominis rejicit, ut lit. præced. dictum. (observavi interim, eum in disp. I. ubi contra Psychopanychitas disputat, non pauca illi M. A. de Dominis debere, qvem & §. 45. citat disertè, ac dictum ejus probat vid. §. 775. in marg. licet alibi vel nomen ejus una cum loco citando, vel locum saltem citandum ut §. 15. dissimulet) Cæterum Marco A. de Dom. & manifestè absentit Hülsem. p. 270. Brev. n. 14. & D. J. Ern. Gerhard. Disp. de Statu Armen. N. 1.

§. 19. Quamobrem primam sententiam appellemus potius Lutheranam, secunda Calvini nomen retineat, vel etiam â M. A. de Dominis novum accipiat nomen Dominianæ *f)*.

f) Nescio enim annon adhuc magis sit sobrius Calvinus, qvi in citatis â M. A. de Dom. f. 765. n. 111. aspectum in Deo concedit animæ beatæ. Sed vid. & Gerh. Tom. VIII. Loc. p. 591.

er-

terti verò non incommode ab ipsa re vocabitur Psychopannychitarum: qvi enim animas post mortem â beatitudine pariter sua & misera plane suspendunt, vix aliud sibi relinqvunt, qvàm ut piorum pariter & impiorum animas ad somnum æqvalem damnent: qvomodo in hac etiam vita somnus probum hominem ab improbo non distingvit.

§. 20. Ita igitur exemplum hoc aliqvod fuerit opinionum trium, ubi optima sit non media, sed una de extremis, qvod qvidem raro evenit.

§. 21. Veruntamen certa ratione fieri potest, ut hæc ipsa extrema Lutheranorum opinio simul verè habeatur *media*, simul opponatur excedenti Pontificiorum sententiæ, distincta nihilominus â dogmate Dominiano tanqvam defectu, qvod ista ratione in alterum Psychopannychitarum extremum vergit, qvam ob causam & Calvinus *g*) majori jure Psychopannychitis saltem subtilibus accensebitur, qvam Lutherus noster. *h*)

g) Calvinum hic incusavit Bellarminus, a qvo ipsum defendere conatur M. A. de Dom. conf. Gerh. Tom. VIII. loc. p. 591. Accusat & Isæus ad Lact. f. 361.

h) Accusat eum hoc nomine Isæus d. l. & alii, contra qvos Lutherum defendit Meisn. disp. I. de statu animæ sep. n. 10.

§. 22. Ipse profectò M.A. de Dominis illam, qvam dat Pontificiis extremam, ut mediam defen-

defendi fatetur n. 103. illique etiam ex sua opinione concedit aliqvam medietatem saltem apparentem *i*) & impropriam. Qvod

i) Nam suam illam vocat verè & proprie mediam n. 106. d. p 178. in for. Vi ergo oppositi altera illa erit apparenter & impropriè talis.

autem veram illi medietatem & propriam cupit abrogatam, non alia facit opinor, de causa, quàm quia ipsam habet pro falsa: Veræ enim sententiæ amant esse inter extremas mediæ.

§. 23. Seqvitur ergò, si sententia nostra, quam ille in Pontificiis quibusdam impugnat, est vera (talem autem esse, Theologi probant nostri,) medietatem ejus veram esse quoque ac propriam.

§. 24. Ut autem ipsa illa medietas appareat tanto clariùs, ita procedemus: Status animæ separatæ per §. 5. aut est beatæ animæ aut damnatæ. Circa utriusque animæ statum tres dantur opinandi viæ, duæ extremæ, una media.

§. 25. Quod enim ad beatas attinet animas, creduntur hæ habere statum aut plusquam humanum, aut homine pio dignum, aut minus quam humanum. Plusquam humanum illi tribuunt Pontificii, adeoque peccant in excessu, quoad illos quidem certe sanctos, quos à morte statim absque dejectione in purgatorium cœlo inferunt, & adorari volunt, (nam

cir-

circa animas quæ purgentur, certa ratione peccant in defectu, *k*) dum illos tantum non

k) Unde mediam Calvini sententiam, quam nos postea notabimus in defectu peccare vel eandem esse cum Pontificia (de purgatorii statu puta) vel non multum diversam, conf. Meisn. Disp. II. de statu animæ separatæ n. 3.

deificant, tribuendo illis majorem scientiam, potentiam, præsentiam, quam par est, ut inter ipsos & omniscium, omnipotentem, omnipræsentem Deum perparum relinquatur discriminis. *l*) Quò referas, quod animas tales ap-

l) De sancti Pontificiorum omnisciis vid. Gerh. Tomo VIII. Loc. p. 619. de Sanctis omnipræsentibus ib. p. 634. 642. de Sanctis omnipotentibus ib. p. 646. 649.

parere interdum volunt, quod angelo convenientius est quam homini mortuo. Minus quam humanum illis tribuunt Psychopannychitæ, dum in modum glirium immobiles torpentesque faciunt *m*) eoque in defectu

m) Hieronymi phrasis hæc est adversus Vigilant. it. ad Pammach. it. Meisn. Disp. I. de statu animæ separatæ §. 25.

peccant. Homine dignum Lutherani, dum animas beatorum nec in Dei sublimitatem extollunt, nec in glirium conditionem abjectam deprimunt.

§. 26. Similem in modum damnatorum animabus aut status tribuitur diabolo dignus potius quàm homine, quâ in re iterum excedunt

dunt Pontificii, dum eas apparere interdum post mortem volunt, atque illa adeò diaboli spectra pro damnatis hominum habent animabus; aut bestia dignior quàm homine, quod iterum faciunt Psychapannychitæ; aut homini juxta verbum Dei revelatum verè debitus, id quod nostri observant orthodoxi.

§. 27. Sed ut de beatis potius quàm damnatis animabus dicere pergam, illi ipsi, qui ab una parte â Pontificiis, ab altera se â Psychopannychitis abstrahunt, in opinandi planitie tam lata versantur, ut novis sententiarum dissidiis, sed quæ & ipsa excessu, defectu & mediocritate queant distingvi, locus fuerit.

§. 28. Id ita planum evadet. Beatitudo animæ separatæ major est haud dubie quam fuit, cum anima adhuc corpus hoc mortale informaret. Jam talis beatitudo aut ponitur in clara Dei visione, aut non ponitur, seu quod idem est, aut ponitur esse eadem specie cum beatitudinè post resurrectionem, aut non eadem. Porrò qui eandem illam specie fatentur; aut intendi eam ajunt post resurrectionem aut non intendi.

§. 29. Qui negant eam intendi, quod §. 20. Meisnerum *n)* video facere, videntur in ex-

n) Disputat. II. de statu animæ n. 12. Verba ejus hæc sunt: *Ante omnia ex mente Pontificiorum observandum est, beatitudinem, quæ in clara Dei visione consistit, post mortem semper eandem esse, nec post resurrectionem corporis vel extensive*

vel

vel intensive augeri posse. Vide & talia ê Pontificiis quibusdam proferentem M. A. de Dom. d. p. 779. n. 106.

cessum aliquo modo inclinare: qui sub eadem specie intendi tamen post resurrectionem fatentur cum B. Hülsemanno, *o*) exacte me-

o) Brev. p. 269. n. 14. ubi sic loqvitur: Interea, donec reuniatur corpus fidelium defunctorum cum animâ in resurrectione universali, gaudet anima gloriâ æternâ, eadem specie, sed non tanta intensione Similis opinio Scholasticorum quorundam, apud M. A. de Dom. d. p. 779. n. 107.

dium eos servare dixerim: qui autem de visione illa Dei prorsus muti sic differunt, ut beatitudinem illam, qvæ resurrectionem antecedit, ob ea qvæ seqvetur, plane tota specie aut veluti partem â toto videantur distingvere, in defectum eos propendere pronuncies. Sic autem sentit cum M. A. de Dominis *p*) & Cal-

p) Is n. 106. (vid. d. p. 779.) beatitudinem animæ separatæ negat esse beatitudinem illam essentialem, quæ electis promittitur, aut si maxime sit essentialis, negat esse totam, sive objective spectetur, sive subjective.

vino Calixtus *q*) Nec longe abeunt illa

q) vid. 5. §. 17.

Bernhardi, cum animabus beatis solius humanæ Christi naturæ, non item Divinæ aspectum indulget. *r*)

r) vid. Sixt. Jenens. Biblioth. f. 617.

§. 30.

§. 30. Patet e dictis, qvomodo Dominiana sententia, (quod jam supra §. 20. innuebamus) propius accedat Pannychismo subtili, est enim una inter tres medias, Pannychismus verò subtilis supremum inter infimas sententias duas occupat locum. Quod ut adhuc elucescat clarius, simulque sub unum aspectum sententiæ omnes, quæ ita prodeunt, revocentur, ita dicemus, incipiendo ab ultima earum, quæ in defectu peccant, sententia.

§. 1. Animæ separatæ beatorum aut nullam plane operationem exercent, quod (1) crassi Psychopannychitæ statuunt, aut exercent aliqvam. Si hoc posterius, nondum habent sensum vel certitudinem suæ salutis, ut sentiunt (2) Psychopannychitæ subtiles aut habent. Si habent, aut nondum tamen fruuntur visione Dei clara, (3) quod M. A. de Dominis volebat, aut fruuntur. Si fruuntur, aut minore tamen gradu, quam post resurrectionem, quod (4) Hülsemannus volebat, aut æquali. Si æquali, sed sic, ut invocari non debeant (5) Meisneri sententiam habemus; sin ita, ut debeant invocari, (6) Pontificiorum.

Animæ piorum ſeparatæ aut operationes ullas

non exercent 1.
exercent
Sine ſenſu aut certitudine ſuæ ſalutis aut condemnationis 2.
cum tali ſenſu aut certitudine, ita ut viſione Dei clara
non fruantur 3.
fruantur gradu ut poſt reſurrectionem
minori 4.
æqvali ut invocari
non debeant 5.
debeant 6.

Poſſis etiam retrò procedere hoc modo:

Animæ beatorum ſunt aut in ſtatu

nobili
Plus qvam humano ut invocationem mereantur 6.
humano, ſic tamen ut invocari non debeant, atq; ſic viſione Dei aut
fruuntur
æqve intenſe ut poſt reſurrectionem 5.
non æqve intenſe ut poſt reſurrectionem 4.
non fruuntur 5.
ignobili, & cum animabus damnatis communi ſic ut actiones exerceant
aliquas 2.
nullas 1.

Vides hic simul, ut secunda (Psychopannychitarum subtilium) opinio proxime distat à prima (crassorum) sic à secunda opinione proximè distare tertiam Calvini, quæ nihilominus utcunque nobilem esse beatorum statum asserit, licet infimo nobilitatis gradu. Quâ ratione peccat adhuc in defectu, sicuti quinta (Meisneri) aliqvo modo in excessu peccat, & à sexta maximè excedente (Pontificiorum superstitiosa) proxime distat. Agnovit etiam M.A de Dominis n. 102. quintam illam talem esse, ut invocationem Sanctorum promovisse censeri possit. Neqve negabis facile, valde commodam illam esse doctrinæ pontificiæ hagiolatricæ, ut vel hanc ob causam placere illis debuerit. Adde commodam & eandem videri Origeni, qvi negavit animæ resurrectionem (de quo ap. Prateol. p. m. 656.) si enim post resurrectionem, quam credimus, non fit aliqvo modo intensior, qvorsum opus resurrectione, illâ scil. verè sic dictâ, quæ vera corpora, non phantasmatica tantum, qualia & Origenes concederet, restituit nobis. Omninò accommodata illa est Sententia opinioni, quæ statuit, hominem esse solam animam.

* *Frustra disputamus de statu animæ separatæ, si ita à Philosophiâ Gentili inescati sumus, ut neqve animam in corpore degentem à spiritu corporeo secernere valeamus, neqve*

Sta-

Statum Naturæ aut Gratiæ in hâc vitâ exactè separare possimus. Mea sic sententia est. Spiritus animalis hominis post mortem ad Spiritum terræ redit, & cum eo unitur. Anima hominis spiritualis ad Deum redit, beatorum ad amorem, damnatorum ad iram Dei. Quodsi me quis Lectorum non intelligat, causa est, qvod neglectâ Philosophiâ Scripturæ, cerebrum impleverit Pseudosophia Gentili.

FINIS.



Historia Sapientiæ et Stultitiæ

& creaturam. *Peccatum vero est ens* ortum *ab homine vel diabolo, est* affectio *creatur, est* cogitatio mentis abstracta *de creatura vel homine. Ulterius dividerem Creaturam in simplicem seu Spiritum Angelicum, & compositam ex Spiritu & Materiâ, seu Corpus, & ita porrò. Scio non sapiet hæc subdivisio Philosophis nostris, seu Cartesianis seu Aristotelicis, igitur neque subdivisiones Corporis tradere volo, ne scandalizentur nimium, sed interim hunc bolum concoquant.*

SEPTEM PARTES ANIMÆ SECUNDUM SORANUM.

(Autore eodem.)

§. 1.

DIvidi animam in partes septem à Sorano, docuit nos Tertullianus lib. de anima *f. m. 650.*

a) Verba ejus: *Dividitur autem* (anima) *in partes, nunc in duas à Platone, nunc in tres à Zenone, nunc in quinque & in sex à Panætio, & in septem à Sorano, etiam in octo penes Chrysippum, etiam in novem penes Apollophanem; sed & in decem apud quosdam Stoicorum, & in duas amplius apud Posidonium.*

§. 2. Fatetur Lipsius *III. Physiol. Stoic. diss. 17. p. 184.* ubi hoc ipsum è Tertulliano affert, nihil ultra se hic scire aut legisse. *b)*

b) Cum aliàs ad singulas à Tertulliano memoratas quædam annotavisset.

§. 3. Ego quæro primùm, quis ille sit Soranus? Ubi vix dubium quidem esse potest, quin sit idem, quem Tertullianus eodem libro *f.* 944. methodicæ doctrinæ instructissimum autorem vocans, quatuor voluminibus plenissime super anima commentatum scripserat.

§. 4. Sed nondum satis ita constat, quis ille fuerit, cum Soranos Professione Medicos tres fuisse constet, Ephesios duos, unum Cilicem, ut Vossius è Suida docet *p. 414. de Histor. græc.* *c)*

c) Quanquam duos tantum Soranos è Suida profert Castellan. vit. Medic. p. 12. Suidam ipsum vide.

Præsertim cum methodicæ Sectæ utrumque Ephesium fuisse, videatur haud difficulter ostendi posse. *d)*

d) Nam